II
Robič
172
1310

NICOLAI MACHIAVELLI
Florentini diſputationum

DE REPUBLICA, QUAS DISCURSUS NUNCUPAVIT, LIBRI III.

QUO MODO IN REBUSP.
ad antiquorum Romanorum imitationem actiones omnes bene maleve inſtituantur.

EX ITALICO LATINI FACTI.



FRANCOFURTI,
Sumptibus Lazari Zetzneri Bibliop.
M. DC. VIII.

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO IOANNI OSMOLSKIO DE Praviedniki Polono Interpres S. P. D.

RECTE *vereque in ſcholis dicere ſolemus, Oſmolski Magnifice, contrariorum eſſe eandem ſcientiam. Nam percurrendo ſingillatim quaſcunque contrariorum differentias, ſemper deprehendemus omnes ac ſingulas cadere ſub eandem cognitionem: nec contra hoc pronuntiatum, enſtaſin dari poſſe. Sic utique liberalitatis & avaritiæ, juſtitiæ & injuſtitiæ, ſapientiæ, ſtultitiæ, virtutis denique omnis atque vitii naturam, una moralis philoſophia cognoſcit. Et per naturalem intelligimus, quid motus aut quies: Quod ſimplex compoſitumque corpus ſit: Quid generatio, corruptio: Auctio, diminutio: cæteraque hiſce ſimilia comprehendi-*

mus. Medica quoque ars, una eademque exiſtens, de ſanitate ſimul & morbo diſſerit: Salubri, Inſalubri: Temperie & Intemperie, Remedio & Veneno. Nec ſcientiam tantum utriuſque contrarii, unam eandemque exiſtere, per omnes diſciplinas diſquirendo cognoſcemus, verum etiam ſenſum (qui omnis ſcientiæ fundamentum eſt) unum numero exiſtentem, tamen ſentire utrumque contrariorum. Nam eodem ſenſu Tactus, Calidum & Frigidum: Durum & Molle tangimus: & lingua eadem dulce & amarum: iucundum iniucundumque guſtamus: & album nigrumque eodem oculo cernimus. Quæ res cum ita ſe habeat: credo non debuiſſe tantis calumniis obnoxios eſſe eos, qui de Republica ſcribunt, & non modo in ſcriptis ſuis, quid & quomodo quippiam bene, pie, amice, prudenter ſapienterque fiat: ſed etiam contrariorum conſiliorum rationes oſtendunt: docentque etiam modum male, impie hoſtiliter, imprudenter, ſtulteque agendi. Quo doctrinæ genere cenſeo Nicolaum Machiavellum in hiſce libris de Republic. veteres omnes ſuperaſſe: & ex

horum lectione, longe majorem rerum cognitionem comparari poſſe, quam ſi vel Diuini Platonis libros de Republic. vel ſummi ipſius Ariſtotelis, aut alterius cuiuſquam Politica legeris. Cognoſcere autem hinc licebit non bonorum tantum, ſed etiam pravorum & callidorum conſiliorum rationes. Et ut ſummatim dicam, Bona, Mala: Pia, Impia: Callida, Simplicia: ſapienter, ſtulteque facta, omnis generis plurima. Quæ ego ita eſſe legenda & obſeruanda omnia cenſeo: ſicuti in Logicis, non tantum bonas certasque argumentandi rationes diſcimus & docemus: ſed etiam Sophiſticas. Et in medicina non tantum remediorum, ſed venenorum quoque naturam indagamus. Non equidem ut iis utamur, ſed ut iis reſiſtamus. & adverſus ea commode pugnemus: cum alioquin, ſi harum rerum ignari ſimus, facile labi ac decipi queamus. Sub tuo autem clariſſimo & plane generoſo nomine, volui hunc librum à nobis de nouo caſtigatum, prodire in lucem: non quod exiſtimem te hiſce præceptis indigere: qui ipſo rerum uſu hæc omnia cognoſces: Sed ut per eum, qui

cum ſumma nobilitate maximam quoq; tam divinarum quam humanarum rerum cognitionem ſcientiamq; conjunxit: Studioſis Materia ſuppeditaretur, hanc tantam rerum varietatem cognoſcendi.

Vale.

T. T.

I. N. S.

NICOLAI MACHIAVELLI DISPUTATIONUM De Republica Romanorum, ex prima decade T. Livii,

LIBER I.

Ad Zanobium Bundemontium & Coſmum Rucelaium.

PROOEMIUM.

SÆPE ego mecum non ſine admiratione conſideravi, quantum antiquitati in quibuſdam tribuatur: cum ut cętera exempla omittantur, unica vetuſtiſſimæ alicujus ſtatuæ particula, magno pretio perſæpe comparata ſit, ut & domui ornamento, & ſculptoribus exemplo eſſet ad imitādum, qui eam deinde ad vivū exprimere omnibus modis conati ſunt. Econtra autem admirationi potius eſſe, quam exemplo ad imitandum, virtutes, & quæ ex virtutibus profectæ ſunt, Actiones illas vetuſtas, atque res pręclare olim geſtas cum à Regnis & Rebuspublicis, tum Regibus, Ducibus, Civibus, Legiſlatoribus & aliis: quarum omni-

Antiquitatis obſervatio qualis debebat eſſe.

um vix umbra aliqua ſupereſt. Atque id quidem eo accuratius eſt à viro ſapiente expendendum, quo magis alioquin cernimus in diſcordiis civilibus, cæterisque infortuniis, quibus obnoxii ſumus, ad ea remedia nos confugere, quæ à veteribus, per leges inſtituta & excogitata fuerunt. Neque enim aliud eſt Jus Civile, quam ſententiæ quædam à veteribus Juriſconſultis pronuntiatæ: quæ in certum redactæ ordinem, dijudicandi rationem noſtris Juriſperitis oſtendunt. Sicuti neque Medica ars aliud eſt, quam antiquorum experimentorum collectio, ex qua medici noſtri medendi modum deſumunt. Sed neque in Reipublicæ adminiſtratione, illius membris conſervandis, Regnis gubernandis, re militari inſtituenda, bello gerendo, jure ſubditis dicundo, aut imperio augẽdo, quiſquam Princeps, Rex, Reſpub. aut Imperator ſe ad veterum exemplorum normam, mores & imitationẽ componit. Quod proinde mihi perſuadeo, non tam ob eam cauſam euenire, quod tantopere in pejus ruerint humanæ res: aut quod otium & ambitio, in provinciis & Chriſtianorum urbibus permultis, tam altas radices egerint: quam ob id, quod hiſtoriarum vſu legitimo deſtituamur, nec eos fructus ex illarum lectione percipiamus, quos illæ natura ſua alias producere queunt. Atque hoc ipſum eſt, quod permultos cernimus, in iis legendis, voluptatem quandam ex illa rerum varietate percipere: ſed de illarum rerum imitatione, ne cogi-

Hiſtoriæ obſervãdæ ratio.

cogitare quidem, ac ſi non difficilis & laborioſa tantummodo eſſet: ſed etiam talis, quam omnino aſſequi nemo poſſet: eodem plane modo, ac ſi cœlum ipſum, elementa, totaq; humana natura, ab ea quæ olim erat, plurimum degeneraſſet. Itaq; ego ut homines ab hoc errore liberarem, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi in omnes T. Livii libros, qui ad noſtram memoriam pervenerunt, cogitationes meas ſcriptis comprehenderem, eaq; explicarem, quæ de rerum antiquitus geſtarum imitatione, & cum noſtris comparatione ſentirem: cum ut melius hiſtoriæ ipſæ intelligerentur; tum ut lectores earum, dignum ſuis laboribus fructum reportarent. Et quamvis difficile ſit iſtud onus, tamen eorum auxilio, qui humeris meis impoſuerunt illud, eo uſque deportabo, ut qui mihi ſucceſſerint, ad finem uſque ſine magno labore perducere hoc opus queant. *Scopus harũ diſputationum.*

Caput I.

Qualia ſint Urbium in univerſum omnium principia, & Romæ ipſius cujuſmodi origo extiterit.

SI quis ex hiſtoriarum lectione, ſecum animo reputet, cujuſmodi Romanæ Urbis initium fuiſſe perhibeatur, & quibus moderatoribus à principio ſtatim inſtituta ea Reſpublica & legibus inſtructa eſſe cenſeatur: ei mirum videri non debet, quod ipſius virtus, potentiaq; tot ſeculis perdurarit, & ad tantam imperii magni-

Diverſi urbium conditores. tudinem demum pervenerit. Sed de ejus principio differenti, obſeruandū eſt, Urbes, oppida, & quæ ejuſmodi ſunt, omnia aut ab iis hominibus extrui, qui illic nati ſint, aut qui peregrini eo pervenerint. Indigenæ profectò ad Urbem condendam permoventur, cum intelligũt ſe hinc inde in exiguas partes diſperſos, tutos eſſe non poſſe, cum nequeant ſingillatim externam vim propulſare: nec fieri poſſit etiam, ut in hujuſmodi caſibus atque periculis convenire ſtatim queant: adeoque periclitari ſe agnoſcunt, ne quando hoſti prædæ futuri ſint: ob eamq; cauſam, inſtinctu præſertim cujuſpiā, qui inter ipſos prudentior eſſe videatur, conveniũt in unum aliquem locum, quem & ad victum comparandum commodiorem, & ad defenſionem maxime opportunum arbitrantur. Hujuſmodi fuit Athenienſis, ac Venetæ Urbis cōdendæ occaſio: nam priorem, duce & ſuaſore Theſeo, condiderunt indigenæ ejus loci poſtq̄ prius varie diſperſi fuiſſent. Venetias autē extruxere itidem muniendi ſui cauſa inſularum earū incolæ, quæ in Adriatici maris ſinu continentur. *Athenienſis & Venetæ urbis initia. Adriatici maris accolæ.* Romano enim Imperio declinante eas inſulas multi occupaverant, ut à Barbarorum, qui ſubinde Italiam invadebant tyrannide tuti forent: atque iidem deinde ſucceſſu temporis abſque ullo principe, Urbis fundamenta jecerunt: & ſponte ſua itidem in ipſis initiis, ſe iis legibus munierunt, quibus cōſervari poſſe, ſperarent. Nec defuit eorum induſtriæ fortuna: ſiquidem

quidem

quidem ex loci opportunitate ad quem Barbaris qui Italiam affligebãt, ob navium inopiam, aditus minime patebat, otium & tranquillitatem nacti, ex parvis initiis, ad magnam imperii magnitudinem, ſicuti hoc tempore videre eſt, pervenerunt.

Advenas autem, à quibus Urbes fundantur, aut liberos eſſe oportet aut aliorum imperio ſubditos. Poſterioris generis ſunt coloniæ, quæ utique à potente aliqua Republica, aut Principe, certis locis collocantur, cum ut parti nuper imperii propugnacula eſſe queant, tum ut reliquarum Urbium. ex quibus mittuntur, nimia civium multitudo levetur; cujuſmodi civitates Populus Romanus permultas, in finibus imperii undiquaque conſtruxit. Ejuſdem generis ſunt etiam Urbes, quæ à potentibus Monarchis perſæpe extruuntur; conſervandæ potius gloriæ laudiſque eorum memoriæque, quam ponendæ certæ ſedis cauſa; In quem finem Alexandriam Ægypti, ab Alexãdro Magno conditam fuiſſe conſtat. Sed hujuſmodi Urbes profecto, quia liberũ ortum non habẽt, ſed à prima origine ſervitute premuntur, raro ad magnum faſtigium evehuntur, aut Imperii magnitudinem aliquam ſibi comparare poſſunt. Quod proinde etiam Florentiæ accidit; hæc enim ſive à Syllæ militibus condita ſive à Feſulanorum Montium incolis extructa (qui firma illa pace & diuturna tranquillitate, quæ Octaviano regnante orta eſt, confiſi; in plani-

Advenæ urbes cõdentes duplices.

Initia urbiũ aut libera, aut ſervitute preſſa.

ciem juxta Arnum fluvium deſcenderunt) ſub imperii Romani jugo ſtatim certe fuit: nec altius caput extollere potuit, quam ei videretur, cujus imperio parere cogebatur. Libera autem, & nullo ſervitutis jugo oppreſſa videri debet, illarum Urbium origo, quas ii condunt, qui morbis, fame, aut bellis pulſi, patrium ſolum deſerere, & novas ſedes quærere coguntur: ſive id ſoli, & per ſe, ſive duce aliquo faciãt. Qui enim hoc modo patria pelluntur, ii aut Urbes occupant, jam ante conditas ab aliis, easq; inhabitant, ſicuti Moſi cum ſuis accidit: aut novas ipſi condunt, veluti Ænea duce Trojani fecerunt. Atque in hiſce maxime, cum illius qui condit virtus, tum fortuna ejus, quæ conditur Urbis, conſpicitur: quæ proinde eo majora cenſentur ambo, quo ab inſigniori magisque memorabili cauſa, primam originem obtinere videbuntur. Et virtus ipſa quidem illius qui Urbem condit, ex delectu loci maxime opportuni, & prima legum inſtitutione innoteſcit. Qua in re, cum non ſemper etiam liberum ſit, deligere quod lubeat, ſed urgeat quandoque unum quiddam ipſa neceſſitas, in eaq; virtus præcipue ſpectetur: operæ pretium fuerit conſiderare, num ad Urbem extruendam locus fertilis ſemper ſterili ſit præferendus; Etenim ſi locus ſterilis ſit, neceſſitate quadam coacti cives, ab otio abſtinebunt, & honeſtis exercitiis atq; artib⁹ occupati, minus anſam præbere poterũt diſcordiis civilibus: quod Raugiæ & aliis qui-

Quæ urbes ſint liberæ à principio.

Locus aptus ad urbem condẽdam.

quibuſdam accidiſſe ſcimus, quæ in hujusmodi locis ſitæ ſunt. Et eſſet profecto hujusmodi minus fertilium locorum delectus prudentior ſi modo homines ſuis rebus contenti, & ab imperandi cupiditate liberi forent. Sed quia, ob id, quod in hominibus regnandi deſiderium ineſt, tuti eſſe nequimus, niſi potentia muniti: vitanda eſt maxime loci ſterilitas, & fertiliſſimus ager in Urbibus conſtruendis deligendus: Ut in eo civibus numero auctis alimenta ſuppetant: potentiaque auctæ hujusmodi novæ Urbes, omnem externam vim propulſare, atq; etiam opprimere queant. Pericula autem, quæ ex fertilitate locorum atque delitiis oriri poſſunt, legibus præcaveri queunt, quibus otium prohibeatur & perpetua quædam honeſtorum exercitiorum neceſſitas imperetur. Sic enim à ſapientibus viris factũ eſſe legimus, qui etſi amœniſſima loca & delitiis plena incoluerint, legibus tamen quæ otium prohibentes, laborandi neceſſitatem imponerent, prçſtantiſſimos viros produxerunt, & ad militiã aptiores, quam in agreſtibus ſterilibusque locis naſci ſoleant. Ejuſmodi fuit Ægyptiorum regnũ, quod ſolo fœliciſſimo ſitum, hujusmodi ſtatutis fortiſſimos viros produxit: quorum ſi extaret memoria, majorẽ laudem mereri potuiſſet, quam ſit vel Alexandri Magni recens adhuc gloria. Soldani Ægyptii autem Imperium univerſamque eorum, quos Mamaluchos nuncupabant, reip. gubernationẽ, ſi quis ſecum animo repu-

Otiũ & inſolentia in urbib. præcavẽda.

tet; & quibus exercitiis ad rem militarem ſeſe præpararent, antequam à Selimo magno Turcarum Imperatore delerentur, expenderit; is veluti in ſpeculo contemplari facile poterit, quantũ ſibi eæ gentes timuerint ab otio, quod regionis ejus fertilitas parere potuiſſet. Quãobrem ſatius eſſe cenſemus, in condenda civitate fertilius ſolum deligere; ſed legibus interea cives eſſe coercendos ab otio exiſtimamus. Alexandro Magno, cum urbem condere in laudis potentięque ſuæ memoriam ſtatuiſſet; Dinocrates Architectus ſuadebat, ut eam ſupra montem Athon extrueret; illic enim non tantum natura loci munitiſſimam eam fore; ſed ob altitudinem montis etiam ita confirmari poſſe, ut humanam figuram conſequeretur; atque id ut novum & rarum, ita dignũ quiddam ejus gloria eſſe futurum. Sed cum ex eo deinde Alexander quæſiviſſet, unde & quo modo eius Urbis cives victum comparare oporteret? Reſpondit, ſe ea de re antea non cogitaſſe; quam ob rem ſubridens Alexander, relicto monte, Alexandriam condidit, eo loco, ubi cives ob regionis fertilitatem, Nili & Maris commoditatem libenter commodeq; habitarent. Hiſce ita conſtitutis, ſi jam Romanæ Urbis originem expendamus; deprehendemus eam liberam, nulloq; penitus ſervitutis jugo preſſam fuiſſe. Atq; hæc eadem, ſi Æneam primum conditorem habuiſſe cenſeatur, à peregrinis; ſin Romulum primum autorem putetur habuiſſe, ab Indigenis.

Alexãdri M. ſententia de loco deligẽdo ad urbem condẽdam.

Romæ prima origo.

nis ejus loci condita fuit. Cernere ſimul etiam eſt, quo pacto ſtatim ab initio Romuli, Numæ Pompilii & aliorum qui deinceps ſecuti ſunt, legibus, ita munita fuerit adverſus ea vitia quæ loci commoditas parere potuiſſet: ut eam tot pulcherrimis virtutibus exornatam neque ſoli fertilitas, neque commoditas maris, nec creberrimæ victoriæ, neque ipſa denique Imperii magnitudo, multis ſeculis corrumpere potuerint. Cæterum, quæ ab hac Republica geſta eſſe Tito Livio commemorantur, quia aut publico, aut privatorum conſilio: eademque omnia rurſum aut intra aut extra mœnia, patrata eſſe conſtat: ab iis noſtrarum diſputationum initium ſumemus quæ publico conſilio in Urbe ipſa geſta fuerunt: & præcipua quæque ex iis deligentes, ita de illis diſſeremus in hoc primo libro, ut quæ ex illis dependere videbuntur, ſimul omnia percurramus. *Romanarũ rerum diviſio.*

CAPUT II.

Quot ſint Reipub. Species: & ſub qua Romana comprehenderetur.

HISCE ita conſtitutis, diſputationem de iis Urbibus omittemus, quæ originem habuerunt ſervituti obnoxiam; & de iis diſſeremus, quæ à primis initiis liberæ fuerunt, & ſeſe pro ſuo arbitrio gubernarunt, ſive Reſpub. eæ fuerint, ſive Imperii rationem etiam habuerint. Cæterum ſicuti diverſæ cauſæ eſſe ſolent quibus Vrbium fundamẽta ponuntur; ita quoque *Diverſa rationes legum in Rebuſp.*

quę diverſæ ipſis rationes legum & inſtitutorum exiſtere conſueverunt. Quibusdam enim ſtatim ab initio, aut non multo poſt, leges ſimul omnes ab uno quopiam conditæ fuerunt: cujuſmodi eæ erant, quas Lycurgus Spartanis dedit. Aliquibus autem non niſi caſu, & per intervallum leges contigerunt: prout ea, quæ diverſis temporibus accidebant, his aut illis legibus occaſionem darent: quod Romæ accidit. Longe autem fœlicior eſt ea Reſpublica cui ſtatim ab initio prudentiſſimus vir aliquis contingit, à quo ita legibus inſtituatur, ut non ſit opus, eam deinceps aliis novis legibus emendare: ſic enim Spartanos cernimus, quod Rempubl. ſtatim à principio legibus ſufficienter munitam habuiſſent, ſupra octingentos annos pacifice & abſque ullo inſigni aut periculoſo motu vixiſſe. Et infœlicior è contra cenſenda ea fuerit, cui non ſtatim cōtingit tam ſapiens quiſpiam moderator, à quo bene inſtituatur: ſed neceſſum habet ſubinde novas leges & inſtituta excogitare, ut melius inſtitui queat: tantoque etiam miſerior unaquæque ſemper eſt, quanto primis ſuis inſtitutis magis à recta via aberraverit. Et quæ primis inſtitutis omnino corrupta fuerit, ea nunquam in tales caſus incidet, propter quos, novis legibus perfecte inſtitui queat: Etenim quæ reſpub. ab initio, etſi non perfecte, mediocriter tamen inſtitutæ ſunt, ex iis quæ ſubinde occurrunt, emendari & perfici queunt, ſed ita, ut in his mutationi-

bus

bus, ne ipſæ quidem periculo careant. Tanta nimirum eſſe ſolet populi importunitas, ut nũquam unanimi conſenſu novas leges & inſtituta admittat, ſi non id plane neceſſarium cognoverit. Et quia hujuſmodi novarum legum aperta neceſſitas, nunquam ſine periculo apparet: facile evenire põt, ut corruat plane Reſpub. in his mutationibus, priusquam legibus perfecte inſtituatur. Cui rei argumento eſſe poteſt Florentinæ Reipub. ſtatus, qui in Aretino motu undecima vice emendatus fuit, & in Pratenſi duodecima corruptus. Deinceps autem, de Romanæ Reipub. ſtatu diſputaturus, & rationem explicaturus, qua tam bene illa inſtitui potuerit: hoc monendum cenſeo primum, quibuſdam, qui ex profeſſo hac de re ſcripſerunt, tres ſolum Reipub. ſpecies videri: Monarchiam, Ariſtocratiam & Democratiam: quarum una aliqua, quæ optime placeat, queat inſtitui civitas. Sed qui prudentiores hiſce cenſentur, ſex Rerumpub. formas conſtituunt, ex quibus tamen tres peſſimæ ſint, reliquæ ſua natura bonæ quidem, ſed ita affectæ, ut in malas facile queant degenerare. Bonas Reipub. formas ajunt eas eſſe, quæ jam ante commemoratæ fuerunt: malas autem tres alias, in quas hæ, propter affinitatem quandã facile degenerant, Tyrannidem, Oligarchiam, & Populi licẽtiam; Atque hinc fieri, ut ſi quis Rempublic. una aliqua ex jam commemoratis bonis Reipub formis inſtituerit: nõ fore tamen diuturnam: quod hic

Quot formæ Rerũpub.

hic nihil poſſit obſtare, quo minus paulatim in cõtrariam degeneret; propter ſimilitudinem nimirum quæ hic eſt, inter bonam & malam Reip.b.ſpeciem. Et hujuſmodi quidem Imperiorum & Rerumpublicarũ varietas, caſu prope in hominũ ſocietate originem habuit. Nam cum ab initio mundi, homines primum pauci eſſent, diſperſi hinc inde haud dubie vixerunt. Poſtea autem numero aucti, convenerunt & ut ſe melius defendere poſſent, de cujuſque robore & fortitudine periculum fecerunt, ut illum tanquam ducem ſequerentur, quem fortiſſimum eſſe conſtaret. Ex quo inſtituto ſimul etiam orta eſt Honeſti Inhoneſtiq; diſtinctio; quod omnes odio habeant eum, qui eos læderet, à quibus beneficium accepiſſet; & miſereretur eorum, qui injuriam paterentur. Itaque ingratos odio habentes, & ſimul metuentes ne idem ſibi contingeret, ad leges ferendas & ſanciendas movebantur, quibus hujuſmodi injuriæ punirentur. Sicque paulatim ipſius juſtitiæ ratio univerſa patefacta eſt; ut deinceps in eligendo principe non tam corporis robur, quam animi virtutem, Iuſtitiam præſertim atq; prudentiam conſiderarent. Sed poſtquam ſucceſſu temporis deinde cœptum eſſet homines ad Principatum jure hæreditario, non libera electione promoveri: degenerare ſimul etiã cœperunt hæredes à maiorum moribus: & derelictis Virtutis actionibus, ſatis eſſe exiſtimarunt ſi reliquos homines opibus delitiisque ſuperarent

Varietatis atque diverſitatis Rerũpublicarum origo & ſucceſſus.

rent

rent. Quo factum eſt, Vt in multorum odium ſimul etiam inciderent. Odium timor ſequebatur, qui eo uſque progreſſus, ut majoris mali metu vindictã quoq; pareret, adverſus eos, qui timebantur; occaſionem dedit, ut ex principibus, Tyranni fierent. Atque hinc jam initium habuit ruina illorum. Nam cum optimi quiq; & potentiſſimi, hujuſmodi principum Tyrannidem ferre non poſſent, & indignarẽtur quod vitam uſque adeo turpiter tranſigerent; conjurare cœperunt adverſus illos, & populi multitudine adjuti, Tyrannos expulere; populus igitur ipſe Tyrannidis jugo liberatus, libenter iis optimatibus parebat, quorum authoritate libertatem fuiſſet conſecutus; quoniam nõ ipſe, ſed ii primum fuiſſent auſi, adverſus Tyrannidem conſilia tractare. Quę cum ita eſſent, optimates, quibus formidoloſa fuerat unius potẽtia propter recentem Tyrãnidis memoriam, ex ſuo ordine Magiſtratum deligebant. atque is principio, Remp. bene gubernabat, legibus recenter latis parebat, & publicam vtilitatẽ privato præferebat commodo. Sed qui ex hoc Optimatum magiſtratu nati, paulo poſt Reipub. præficiebantur ignari fortunæ varietatis, minimeq; rerũ uſu atq; experientia pollentes, ſuperbire & ipſi ſolebãt; contẽptaq; ea, quæ inter cives eſſe debet, æqualitate & proportione; ambitioni, avaritiæ & luxuriæ ſeſe dedebant. Atq; hac ratione à majorum virtute degenerantes; efficiebant, ut Reſpublica ex optimatũ admini-

ſtrati-

ſtratione, paulatim in paucorum potentiam incideret: Quibus pro ſua libidine omnia adminiſtrantibus, facile rurſus idem accidebat, quod ſuperiori Tyranno contigiſſet. Nam cum eos ob vitam luxui deditam, & res male adminiſtratas, neceſſe eſſet in odium populi incidere: & odium injuriæ comitari ſoleant: inſidias, tumultus & ſeditiones evitare nequiverunt: quibus tandem populi multitudine, ipſi quoque occaſione aliqua expulſi, Democratiæ occaſionem darent. Etenim populus Oligarchia expulſa, & memor injuriarum, quas accepiſſet, cum à paucis hiſce præpotentibus, tum ante ab unius Tyranni libidine, ipſe ſibi imperium retinere, nec quicquam paucorum præpotentium, aut etiam principis Unius arbitrio ſubjicere volebat. Democratia ergo inſtituta, in principio, perinde ut in reliquis Reipublic. formis, res bene & pacate adminiſtrabantur: quãdiu illi ſcilicet viverent, quorum opera hæc libertas fuiſſet comparata. Sed defunctis hiſce ſtatim in eorũ poſteris nimia licentia tranquillitatem corrumpebat: quod nemo quenquam metueret, neq; privatum, neq; munus aliquod à Rep. gerentem, ſed quisq; ſuo modo viveret: ex qua re ſeditiones ſubinde oriri, & alios ab aliis injuriis ſæpiſſime affici oportebat, in quib. cõſtituti calamitatibus, neceſſitate quadã tandẽ compellebantur rurſus, aut certe ad vitandũ hoc malum, ab excellẽti aliquo & ſapiente viro movebãtur, ut unum aliquem principem eligerent

rent eiq;; omnes parerent. Et ad monarchiam quidem hac ratione reverſi, iiſdem, atque prius oſtendimus, cauſis & occaſionibus, temporis ſucceſſu, denuo ad alias atque alias Reipublicæ formas delabuntur, donec ad eandem Populi licentiam revertantur. Hic eſt circuitus, quo Rerumpublicarum formæ commutantur: ſed non facile accidit tamen, ut, in talibus mutationibus, ille multoties abſolvatur, & ſalva Urbe, ſæpe redeant eædem illa Reipubl. formæ, quæ prius fuerant. Perſæpe enim in his mutationibus perturbata Reſpublica, & conſilio viribusque deſtituta, ab alia aliqua vicina, quæ melius inſtituta ſit, opprimitur: Quæ res profecto ſi non obſtaret, fieri poſſet, ut forma Reipublic. unius Urbis, ſecundum eum quem oſtendimus circuitum, infinito temporis ſpatio converteretur & commutaretur. Quæ cum ita ſint, neceſſum eſt, omnes eas formas Rerumpub. malas pronuntiare, quas jam commemoravimus, cum ob breuitatem temporis, quo durare poſſunt tres illæ ſalutares, tum ob malorum multitudinem, quam ſecum afferunt tres deteriores aliæ. Quam rem cum legiſlatores viri ſapientes ſecum animo perpenderent: omnes has formas Reipub. ſingillatim rejecerunt: & aliam quandam delegerunt, quæ ex Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia compoſita quodammodo eſſet, & omnium triũ temperie quadam conſtans, mutuo unius ad alteram reſpectu firmior foret atque durabilior. Inter cœteros autem

Rerũpub. mutationes periculoſæ.

Optima Reip. forma.

tem legiſlatores, maximam laudem ex hujusmodi Reipublic. inſtitutione. conſecutus eſt Lycurgus, apud Spartanos: apud quos ita leges inſtituit ut regibus ſua dignitas, Optimatibus ſua potentia, & populo legitima libertas conſervaretur: atque ita Rempublicam ordinavit, ut ad octingentos annos ſine ullis motibus fœliciſſime durarit. Contrarium accidit Soloni apud Athenienſes: nam cum ejus leges ad populi libertatem ſolam ſpectarẽt, & meram Democratiam inſtituerẽt: minime diuturnam Reipub. formam conſtituit, ita quidem ut antequam ipſe è vivis decederet, Piſiſtrati Tyrannidem viderit. Et quamvis quadrageſimo anno poſt ejus hæredes expulſi fuerint; & Athenienſes recuperata libertate, priorẽ Democratiam, ſecũdum Solonis leges, reſtituiſſent: non eam tamẽ conſervare ſupra centeſimũ annum potuerunt. Nam etiamſi Solonis legibus, non paucas alias adjeciſſent perneceſſarias, quibus & præpotentium civium inſolentia & plebeiorum licentia refrenaretur: quia tamen Democratiam cum Ariſtocratia & Monarchia non miſcuerunt; longe breviori tempore duravit eorum Reſpublica, quam Lacedæmoniorum. Sed ad Urbem Romam veniamus: cui etſi Lycurgus aliquis non contigerit, à quo potuerit ſtatim in principio ſemel ita accurate inſtitui, ut diutiſſime libera conſervaretur: tamen idipſum ei poſtea paulatim caſu quodã obtigiſſe videtur: propter multas ſeditiones inter Senatum

tum & plebem ortas. Quibus factum eſt, ut id quod una vice obtinere non potuit, temporis ſucceſſu, & ex novis legibus, quibus ſubinde novi motus occaſionem dabant, conſequeretur. Sed neque prima illa Romanæ Reipublicæ inſtitutio, tantum à recta via aberrabat: ut perfici non poſſet, quod Romulus cæterique Reges permultas præclaras leges tuliſſent, quibus etiam Vivendi ratio libera conſervabatur. Quia tamen illi regnum formare conſtituerant non Rempublicam liberam: idcirco poſteaquam ea Urbs libertatem fuiſſet conſecuta, multa illi deerant eorum, quæ ad libertatem tuendam requiruntur: de quibus à prioribus Regibus nihil ſtatutum fuerat. Præterea cum Reges ii, propter cauſas à Livio commemoratas, regno pellerentur: & in eorum locũ ſtatim bini Conſules crearentur: Regium quidem nomen ſed nõ Regia poteſtas Roma fuit expulſa. Itaq; cum jam illic bini conſules cum Senatu, rerum potirentur, compoſita erat forma Reipublicæ ex Monarchia & Ariſtocratia: Unum hoc deerat adhuc, ut hæ cum Democratia cõmixtæ temperarentur. Atq; hinc factum eſt, ut Nobilitas ſucceſſu temporis inſolentior & nimis arrogans reddita, plebem advuerſus ſeſe concitaverit: quibus in motibus, ne imperium totum amitterent Optimates & Conſules, populo quoque coacti fuerunt ſuas in Republica partes concedere: ita tamen ut iis nihilominus conveniens honoris & potentiæ gradus conſerva-

ſervaretur. Hinc ergo orta ratio tribunos plebis creandi, firmiorem Rempublicam reddidit & ex omnibus tribus politiæ formis rite compoſitam. Fortunatique certe fuerunt, quod in iis mutationibus neq; Regiam potentiam plane ſuſtulerint, ut eam optimatibus conferrent, nec poſtea Optimatibus omnem adimerēt autoritatem, ut eam populo traderent: ſed conceſſa ſingulis tanta potentia, dignitate, & libertate, quantam juſta proportio requirere videbatur, Rempublicam formarint perfectam ex omnibus tribus politiæ formis conſtantem.

Caput III.

Qui motus Romæ in cauſa fuerint, ut Tribuni plebis crearentur: utq; Reipublicæ forma eo ipſo perfectior reddita ſit.

Qui de moribus hominum, ipſaque vita civili diſſeruerunt, ex variis exemplis quibus hiſtoriæ omnes prope refertæ ſunt, demōſtrarunt, eum, qui Rempub. legibus informare & inſtituere recte velit: tales illas ſancire oportere, ac ſi homines in Univerſum omnes natura pravi ſint, & ad facinora quæque perpetranda, oblata quacunque occaſione, proclives. Etenim ſi quæ vitia in Republica aliquādiu non appareant: id fieri cenſendum eſt, non tam hominum bonitate, quam ob id, quod iis nulla manifeſta aut commoda occaſio data fuerit: Temporis ſucceſſu tamen, ut omnis generis occaſiones offeruntur, ita omnis generis mala per-

Malitia naturaliter hominibus ineſt.

perpetrari videntur. Huic rei documento Roma eſt, in qua, pulſis Tarquiniis maxima videbatur eſſe Senatus & populi concordia, ipſique nobiles, abſque ullo faſtu, mites & populares eſſe putabantur: quoniam enim nulla librra occaſio erat, plebem gravius tractandi: quamdiu Tarquinii ſupereſſent: eam favore & officiis proſequebantur, ne forte ab ipſis acerbius tractata, ad Tarquinios denuo deficeret. Sed poſt quam interiiſſent deinde Tarquinii, nec ullum ab ipſis periculum nobilitati amplius impendere videretur: cœpit illa ſtatim adverſus plebem ſævire, & venenum, quod prius pectore conditum habuiſſet, evomere. Atque id ſatis manifeſtum Argumentum eſt, ejus quod paulo ante diximus, Homines non ſe recte gerere, niſi neceſſitate cogantur: quoniam ſi liberum iis ſit uti licẽtia, ſtatim omnia jura perturbant: quo fit ut recte dici ſoleat, paupertate & fame induſtrios homines, legibus autem bonos effici: Quod ſi qui ſponte ſua recte agant, iis lege opus non eſt: ſed ubi deſinunt ſponte officium facere, hic lege opus eſt, ut cogantur. Itaq; ſublatis Tarquiniis, qui, metu ſui, patricios in officio continebant: neceſſum fuit excogitare aliquid, quod idem, atque illorum metus, præſtare poſſet: atque hinc ratio inventa eſt creandi Tribunos plebis: qui poſt motus illos & ſeditiones inter plebem & Senatum ortas, ad conſervandam populi libertatem, privilegiis & dignitate creabantur, ut eſſe poſſent veluti Ar-

bitri quidam inter Senatum & plebem, & nobilitatis petulantiam refrenare.

Caput IV.

Diſcordias, quæ inter plebem & Senatum Romæ fuerunt, occaſionem dediſſe, ut ea Reſp. libera ſimul & potens efficeretur.

SED neque ſilentio prætereundi nobis ſunt tumultus illi atque turbæ, quæ poſt expulſos Tarquinios, Romæ diverſis de cauſis extiterunt, antequam tribuni plebis legerẽtur. Quo hoc loco improbanda mihi videatur quorundam ſententia, qui Romam ajunt tumultuoſam Urbem fuiſſe & nequaquam recte inſtitutam: Uſque adeo nimirum, ut niſi tanta fortunæ proſperitas iis contigiſſet in re militari: quacunque alia Republica inferior eſſet futura. Ego equidem negare non auſim, quin pop. Rom. Fortunæ proſperitas rei militaris virtus imperiũ pepererint: ſed id rurſus contendo, peritiam rei militaris, non niſi ex bona diſciplina oriri: & ubi hæc duo jam ſint, vix fieri poſſe, ut ea non etiam ſequatur fortunæ proſperitas. Quod autem tumultus illos, qui inter plebem & Senatum extitere, attinet: eos qui accuſant, id mihi videntur damnare & vituperare, ex quo prima occaſio & ratio, conſervandæ pop. Romano libertatis emerſit: magiſque inſolentes turbas illas ſpectare, quam effectus illarum ſalutares intueri. In omni Rep. diverſum ſemper eſt plebis & Optimatum ingenium, diverſaque ſtu-

Pop. Rom.

ſtudia: & quæ leges ad conſervandam libertatem conduntur, eæ originem habent ex eorum diſcordia: ſicuti monſtrant exempla Romanorum. Sed neque poſt Tarquiniorum interitum ad tempora uſque Gracchorum, annis pluſquam trecentis, tanti fuere motus illi Romæ, ut ſæpe vel exilia vel cædes pepererint. Quoniam toto illo temporis ſpacio vix octo aut decem cives in exilium miſſi fuerunt, cæſi pauciſſimi, & pauciores pecunia mulctati. Non debemus autem æſtimare, eam Rempublicam male inſtitutam fuiſſe, ex qua tot præclara virtutum ſpecimina edebantur: quia hæc, non niſi ex bona diſciplina originem poſſunt habere. diſciplina bonis legibus nititur: atque hæ denique, ex iis motibus ſemper ortæ ſunt, quos à multis inepte vituperari docuimus: ſiquidem nec cædes, nec exilia nec ullum Reipubl. detrimentum pariebant, ſed leges & ſtatuta conſervandæ publicæ libertati ſalutaria. Quod ſi quis autem, hanc non fuiſſe veram rationem conſtituendæ Reipub. contendat, nec legitima media leges bonas impetrandi: quoniam periculoſum eſt & prope horrendum, cernere, in eadem civitate, populum cum Senatu, & Senatum cum populo rixantem: concurrere plebem: tabernas per urbem claudi: populum univerſum deniq; Roma cedere? huic ego reſpondeo, ſingulis urbibus ſuos quoſdam modos contigiſſe, quibus ambitionem potentiorum & inſolentiam optimatum reſtinguere potuerint.

Quod eo tempore potiſſimum apparuit, quo in rebus arduis, populi opera opus fuit. Romani igitur ſuum etiam modum habuerunt, nova ſtatuta & leges neceſſarias à Senatu impetrandi: ut vel concurrerent undiquaque, vel, quando milite opus erat, nomen imperatori dare nollent, aut aliquid aliud ſimile conarentur. Quibus in tumultibus, ſi Senatus populum ſibi reconciliare vellet, neceſſum habebat, ei aliqua ratione gratificari & ſatisfacere. Nec ſunt uſq; adeo periculoſi liberi populi motus: quoniam tunc demum excitantur, cum oppreſſi fuerint homines, aut opprimi videbuntur. Et ſi fruſtra id metuerint, facile remedium tumultui adhibetur, per viros bonos & prudentes, qui in publica concione demonſtrent, falſam eſſe amittendæ libertatis ſuſpicionem, propter quam tumultuentur. Nam etſi populus ignorantia laboret, tamen capax eſt veri, ſi id per aliquem probatæ fidei virum, ei aperiatur. Itaq; minime vituperanda eſt Rom. Reipub. inſtitutio, ſed cogitandum potius, tot res ab illa præclare geſtas, non niſi ex bonis cauſis originem habuiſſe. Ex tribunorum electione autẽ, ſummam laudem meruerunt, quod ea res non modo cum Democratia, optimatum & Conſulum potentiam temperarit, ſed ad conſervandam toti Reipub. libertatem, plurimum conduxerit: ſicuti in ſequentibus oſtendemus.

CA-

CAPUT V.

Utrum Libertatis cuſtodia optimatibus, an populo tutius committatur: & utrum item majorem cauſam tumultuandi habeant ii, qui conſervare res jam ante partas cupiunt, aut qui novas acquirere volunt.

QUI Rempub. prudenter conſtituerunt, id inter cætera maxime curandum ſibi exiſtimarunt, ut libertatis fundamentum quoddam ab initio ponerent: quod quidem eam tanto melius diutiuſq; conſervare ſolet, quanto firmius fuerit. Quoniam vero ex optimatibus atque Plebeis hominibus conſtare ſolent Reſpublicæ, quæſitum eſt nõ immerito, utrum his an vero illis hominibus tutius hoc libertatis fundamentum cuſtodiendum committatur. Et apud Lacedæmonios quidem olim, noſtra vero ætate etiam apud Venetos cernimus, id Patriciis eſſe demandatum: Romanos autem ſcimus econtra, plebem cuſtodiendæ libertati præfeciſſe: Itaque nobis quærendũ erit hic, utri prudentius fecerint; Quod ſi Argumenta igitur expendamus, quibus moti utrinque, tales libertatis cuſtodes deligendos cenſuerint: non deerunt in utramque partem rationes. Sed eventus ipſos ſi intueamur: Magnates ad hoc magis idoneos eſſe æſtimabimus, quoniam diutius libertas in Venetorum & Lacedæmoniorum, quam in Romanorum Rep. At Romanorum quoque conſilium interim, hiſce argumentis

Fundamẽtum libertatis apud venetos, Romanos, & Spartanos.

probare poſſumus : quoniam una quæque res, ei quam tutiſſime cuſtodienda tradatur, qui eam ſibi uſurpare minime cogitet. Cernimus autem, in plebeis hominibus, hanc unam eſſe cupiditatem, ne ſervitute opprimantur: imperium ſibi vſurpare non cogitãt: quia id fieri non poſſe facile intelligunt. In præpotentibus magnum eſt dominandi deſiderium, majorq; ſpes imperii conſequendi, quam in plebe. Ex quo ſequitur, tutius plebem quam Magnates cuſtodiendæ libertati præfici poſſe, quæ neq; eam opprimere cogitat: neque ſi cogitaret, illam invadere poſſet: cum Magnatibus econtra magna inſit cupiditas dominandi, neque exigua conſequendi Imperii ſpes. Qui vero Spartanorum & Venetorum inſtitutum laudant, eos aſſerunt, qui cuſtodiã libertatis nobilioribus demandant, duabus de cauſis rectius agere. Nam & illorum dominandi cupiditati, aliqua ratione ſatisfaciunt: ut cum intelligant ſe in Reip. adminiſtratione Plebem hac ratione ſuperare: tali prærogativa acquieſcant. Et plebis inconſtantiæ eam adimunt potentiam, qua multas Reipublicę perturbationes excitare poteſt, cum alias, tum etiã tales, quibus optimates ad magnũ aliquod facinus tandem impellere poſſet. Quarum rerum exempla, abunde nobis Roma ſuppeditavit, in qua Urbe, cum Tribuni plebis ad eam potentiam evecti fuiſſent, non ſatis eſſe duxerũt, ſi unus Conſul Plebejus eſſet, ſed ambos voluerunt: atque hinc paulatim ad Cenſuram

ram, præturam, & alios dignitatis gradus aſpirarunt: tandemq; eo dementię pervenerunt, ut ſi quos patriciis infenſos eſſe, aut aptos ad illos infeſtandos, cognoſcerent, eos ad cœlū vſq; evehérent: quæ res & Marii potentiam peperit, & Reip. ruinam. Hæc cum ita ſe habeant, dubium profecto videri poteſt ei, qui rem in utramq; partem diligenter expenderit, utri potius libertatis cuſtodiæ ſint præficiendi? præſertim ſi nondum conſtet, an qui res ſuas ac partam jam antea dignitatem conſervare, aut qui ad ea, quæ nondum habent, cōſequenda, aſpirant, magis Reip. noxii ſint? Mihi ſane conſideranti rem omnem, ita pronuntiandum videtur: ut in hac libertatis cuſtodia, diverſa ratio ſit iis obſervāda: qui Imperium comparare, quam iis qui præſenti rerum ſtatu contenti ad majores opes & dignitates non aſpirant. Nam priores illi Romanos debent imitari: poſteriores hi Venetorum & Spartanorum conſilium, hac in re ſequi debent veluti id proximo capite à nobis oſtendetur. Ad eam autem quæſtionem, qua diſputatur, num ii pernicioſi ſint tranquillitati Reip. magis, qui acquirere quippiam deſiderant, an vero qui res partas cupiunt conſervare? Conferet nobis M. Menenii exemplum. Qui ex plebeis ipſe Dictator creatus, cū Marco Follio magiſtro Equitum, itidem Plebejo ad inveſtigandam conjurationem, quæ Capuæ adverſus Rempubl. facta fuerat, miſſus; ſimulque mandatum à plebe accepit, ut in eos anim-

An q acquirere, aut q parta volunt tueri majores motus in Rep. excitent.

adverteret, qui Romæ largitionibus & ambitione ad Conſulatum cæterosque honorum gradus aſpirarent: in Patriciorum invidiam incidit. Nam cum ii exiſtimarent, hoc mandatum imperiumq; Dictatori, adverſus ſeſe traditum à plebe fuiſſe: conqueri cœperunt, non nobiles eos eſſe, qui per ambitionem ad honores aſpirarent: ſed plebeios, quos, quod neque majorum ſplendori, neque propriæ virtuti confidere poſſent, oporteret largitione & malis artibus eo eniti. Atque has calumnias cum in dictatorem præcipue conjicerent, tantum utique effecerunt, ut Dictator Concione advocata, conquereretur de calumniis patriciorũ, depoſitaque dictatura, ſe populi judicio ſubmitteret. In cujus cauſæ tractatione, ejuſdem hujus quæſtionis mentio facta eſt, ipſe tamen fuit abſolutus Cum autem & ejus qui parere, & qui parta tueri cupit, deſiderium, permagnos motus in Repub. excitare queat: major tamen eſt vis eorum qui jam poſſident: nam amittendi metus eoſdem impetus in iis excitat, atque in aliis acquirendi ſtudium. Nec videtur cuiquam, quod ſatis tuto res ſuas poſſideat, niſi eaſdem ſimul augere queat. Quibus accedit quod propter potentiam majorem vim habent Rempublicam turbandi: & largitionibus ſuis, in tenuioribus excitant varias cupiditates, variosque animi motus.

CA-

CAPUT VI.

Utrum Romæ potuerit talis Reip. forma inſtitui, qua diſcordiæ illæ & inimicitiæ, inter patres & plebem, tollerentur.

QUID perpetuæ illæ Senatus, populique, contentiones Romæ efficerent, jam diſſeruimus: Sed quia illæ ad Gracchorum tempora uſque perdurarunt, & tandem amittendæ libertatis cauſæ extiterunt: merito quærere quis poſſit, num Roma ad tantum faſtigium evehi potuerit, alia aliqua forma Reipublicæ, qua hujuſmodi Senatus populique dimicationes evitare licuiſſet? Cui quæſtioni ſatisfaciemus, ſi inſpexerimus formam Reipublicæ earum urbium, quibus & longo tempore frui libertate contigit, & hujuſmodi contentionibus, tamen atque diſſidiis abſtinere: ſimulque conſideraverimus, num Romæ quoque talis forma Reipub. introduci potuerit. Exemplorum loco eſſe nobis poterunt, ex antiquis Urbibus Sparta: & recentioribus Venetiæ: quarum ante quoq; fecimus mentionem. Ac Sparta quidem à Rege & Senatu exiguo gubernabatur. Venetiis, qui Reip præſunt, à cæteris civibus ſenatoris vocabulo nō diſtinguuntur: ſed quotquot in univerſum civib. licet ad Reipubl. gubernacula aſpirare: ii uno nomine omnes appellantur Nobiles Veneti. Cui appellationi occaſionem dedit caſus potius quam prudentia legiſlatorum. Nam cum ad eos ſcopulos, in qui-

Nobilium venetorum origo.

in quibus ea Urbs nunc ſita eſt, permulti convenissent, ob cauſas à nobis prius commemoratas: iique ſucceſſu temporis, eo uſque aucti eſſent ut abſq; legibus pacifice vivere non poſſent: formam Reip. inſtituere coacti ſunt. Qua de re cum ſæpe convenirent, ac de Rep. conſultarent: tempus obſervarunt quando eo uſq; aucti eſſe viderentur, Ut ad libertatem conſervandam, & replendam civitatem ſufficerent: ac tunc ſancita lege, omnibus reliquis, qui porro ad eos habitandi cauſa pervenirent, aditum ad Rempublicam capeſcendam præcluſerunt. Itaque cum temporis ſucceſſu deinde permulti alii eo perveniſſent, quibus non licebat ad Rempublicam aſpirare, ut antiquis illis civibus autoritas aliqua conciliaretur, eos omnes Nobiles Venetos nuncuparunt: cæteros qui poſterius acceſſiſſent, populi nomine inſigniverũt. Atque hæc civium diſtinctio & conſervati ſine tumultu potuit. Nam cum primum præcluderetur aditus ad Remp. iis, qui porro eſſent eo venturi: nemini eorum qui tunc illic agebant, fiebat aliqua injuria, cum ex æquo omnes ad Reip. gubernationem admitterẽtur: Qui poſtmodum eo commigrarunt, cum talem Reip. formam jam inſtitutam, confirmatamque invenirent, nec cauſam nec occaſionem tumultuandi habebant. Nam cauſa illis deerat, quod jure conqueri non poſſent, ſibi, qui nondum illic fuiſſent, in tali Reipublicæ conſtitutione aliquid ademptum eſſe & quoniam ab iis, qui

præ-

præerant Reipub.gubernationi,in officio continebantur, nec uſurpabatur illorum opera in rebus,quibus, aliqua autoritas ipſis poſſet conciliari, omni tumultuandi occaſione deſtituebantur. Atque id quidem iis tanto minus contingere poterat,quod non eſſent numero ſuperiores antiquis iis, qui Rempublicam poterant adminiſtrare, & Nobiles vocabantur, ſed aut æquales, aut inferiores: ob has igitur cauſas, Veneti, talem Reipub. formam conſtituere, eamque ſine tumultibus diutiſſime conſervare potuerunt. Spartani ut prius monuimus,à Rege paucis Conſiliariis ſtipato gubernabantur: & pacem diutiſſimam habuerunt, primo quod exiguus eſſet eorum numerus, ſimulque prohibuiſſent, ne quiſquam peregrinus in civium numerum cooptaretur: deinde à Lycurgo leges cum ſingulari quadam Veneratione acceperāt, ex quarum præſcripto viventes omnē tumultuandi occaſionem evitabant. Nam cum perpauca officia Lycurgus cōſtituiſſet, quibus qui præficerentur,cæteros gradu dignitatis antecederent:ęqualem vero frugalitatē omnibus pręſcripſiſſet: ambitionem è plebe ſuſtulit: nā perpauci erant qui muneribus publicis præficiebantur, iidemque procul à reliquorum hominum conſortio vivebant, neq; plebem injuriis laceſſebant,Reges itē in medio Conſiliariorum ſuorum conſtituti, nullam tuendi ſui rationem meliorem habebant, quam ſi plebem ab omni injuria defēderent: nam ſic ſiebat ut neq; im-

Spartanorum Reſp.

perantes ullo modo metuerent, neque ipſi imperare cuperent: atque hac ratione omnis æmulatio inter nobilitatem & plebem evitabatur, ut longo tempore pace, ac tranquillitate frui potuerint. Itaq; binæ potiſſimum fuerunt longæ Spartanorum tranquillitatis cauſæ: exiguus civium numerus, qui à paucis regi potuerit: & quod peregrinos non cooptarent in Urbem quibus vel aliquid in forma Reipubl. immutari, vel civitas tantopere augeri potuiſſet, ut à paucis illis regi nequiverit. Quæ cum ita ſe habeant, cernimus non potuiſſe Romanorum legiſlatores aliter inſtituere talem Reipublic. formam, quæ diſſidiis ac tumultibus careret, quam ſi aut Venetos, aut Spartanos imitarentur: & vel ſicuti illi opera plebis in bellis non uterentur: vel ſicuti Spartani peregrinos nullos in Urbem reciperent. Cum autem neutros imitati ſint, occaſionẽ dedere populo, vt & quantitate, & viribus augeretur: quæ proinde cauſa fuit, ut perſæpe tumultuaretur. Quo loco cernere eſt, populum Rom. non potuiſſe magis quietum tranquillumque effici, niſi ſimul etiam fieret imbecillior: qua ratione deinde præcludebatur ei aditus perueniendi ad id faſtigiũ, ad quod pervenit. Itaq; ſicuti Romę accidebat, vt ſublatis tumultuum occaſionibus, ſimul etiam tolleretur ratio augendi imperii: ita in cæteris rebus humanis, ſi quis rem diligenter perpendere volet, cõperiet ſemper evenire, ut ſublato uno aliquo abſurdo, aliud deinde conſequa-

Cauſa tumultuum plebis & populi Roma.

qua-

quatur. Nam ſi gentem aliquam inſtituas præclare in diſciplina militari, ut ejus opera ad acquirendum imperium commode uti queas: vix eam poſtea ex animi tui ſententia gubernare, ac domare poteris. Sin vero, ut ex animi ſententia ei imperare queas, non patiaris illam viribus, ac militari diſciplina augeri: facile amittes, ſi quid per eam acquiſiveris imperii & eris prædæ cuiq; hoſtium, qui te adorietur. In omni ergo deliberatione, quæ de rebus politicis inſtituitur, conſiderandum, unde majora aut minora abſurda conſequi poſſint: idq; conſilium pro optimo deligendum, ex quo pauciora mala conſequi queant. Neque enim tale invenies, quod omni malo careat. Potuiſſent igitur Romani Lacedæmoniorum exemplum imitari, & ita Rempub. à principio inſtituere, ut Regem eligerent, eique paucos aliquot conſiliarios adderent: ſed cum ad eam Imperii magnitudinem niterentur, non poterant impedire populi incrementum: itaque neq; Rex ille exiguo conſiliariorum numero ſtipatus, ob ſolam concordiam civium electus, illis multum prodeſſe potuiſſet. Si quis igitur de novo, Reip. formam inſtituere velit, ei perpendēdum eſt, num illam ita inſtituere cupiat, ut augere vires, & imperium acquirere poſſit, ſicuti Roma: an ut ſua ſorte contenta, ſuiſque limitibus ſe tranquille & pacifice contineat. Nam ſi cupias, ut creſcat & imperiū acquirat, Romanorum exemplum imitari oportet, & tumultus civium quam fieri

poteſt modeſtiſſime ferre, cum abſque magno numero bene ornatorum civium, & in re militari præclare inſtitutorum Reſpub. neque creſcere, neq; ſi creverit, conſervari poterit. Quod ſi eam pacificam, & parvam efficere velis, Venetorum, & Spartanorum exempla ſequi oportebit: ſed eædem hæ Reſpublic. cum imbecillæ ſint, non niſi magno cum periculo imperium acquirunt: itaque ſi diutina pace eas frui velis, in id maxime incumbendum eſt, ut prohibeas, ne ditionem multam acquirant: quam periculoſum enim ſit imperium Reipub. quæ populum habeat imbellem, apparuit, cum in Venetis, tum Lacedæmoniis: quorum hiſce, cum univerſa Græcia pareret: ſtatim deficientibus Thebis, autore Pelopida, reliquæ civitates idem exemplum ſequutæ ſunt, ut uno quaſi momento univerſa eorum Reſp. interierit. Veneti quoque cum magnam Italiæ partem acquiſiuiſſent, idq; pecuniis & aſtu magis quam bellica virtute: periculum facturi de ſuis viribus, uno prælio omnia amiſerunt. Ideo credo Reip. quam plurimum prodeſſe poſſe, ad longiſſimam pacem conſervandam, ſi primum inſtituatur ad normam Reipub. Spartanorum, aut Venetorum: deinde urbs ipſa, loco natura admodū munito, quique difficillime expugnari queat, cōdita ſit: deniq; ſi non habeat tantas vires, quæ vicinis ſint formidabiles. Nam duplici de cauſa ſolent homines Reip. cuipiā bellum movere: ut vel ipſi eam occupēt, aut ne ſub

illius

illius imperium ipſi redigantur: Quod ſi igitur eo quo diximus modo inſtituta fuerit aliqua Urbs, utrique cauſæ belli repugnabit: quoniam ob difficultatem ejus expugnandæ, nemo facile illam adorietur: & cum intra ſuos limites ſeſe contineat, ita ut experientia conſtet, eam imperandi cupiditate non teneri; nemini formidoloſa eſſe poterit, vel erit quiſquam, qui ei bellum moveat, ob metum, ne ab ipſa occupetur. Hæc omnia autem tali Reipubl. longe fœlicius contingent, ſi legibus quoque in ea caveatur, ne imperare cupiant. Quo modo equidem, ſi quæ Urbs inſtitueretur & adhibita diligentia conſervaretur: eam vere fœlicem fore crederem, quæ vera tranquillitate frueretur. Verum enimvero cum res humanæ omnes ſint in perpetuo motu, nec quicquam ſit in iis firmum atque durabile: neceſſe eſt, eas omnes aut incrementum, aut decrementum accipere: multaque perſæpe, ipſa neceſſitate urgente facere cogimur, quæ ratio omittenda eſſe ſuadebat. Quo fit, ut etſi talem Reipub. formam conſtitueris, quæ imperium non ambiendo, tranquillitate fruatur: poſſit tamē occaſio quędam occupandi alicujus imperii ei contingere quam negligere nequeat: atque hoc ipſo eidem evenire, ut tranquillitatis ſuæ fundamenta labefactet & interitum acceleret. Quin etiamſi eidem Reipub. contingeret tanta cœli clementia frui, ut nunquam bellum haberet: poteſt illi nihilominus evenire, ut ex otio cives effœmi-

nati

nati, aut etiam diſcordes evadant, quæ binæ cauſæ & conjunctæ & ſingulæ ſeorſim, ſufficientes ſunt ad illius ruinam promovẽdam. Hæc cum ita ſe habeant, & difficillimum ſit hujuſmodi Rerumpublic. conſtitutionem ad amuſſim mediam conſervare, quæ omni & invidia & ambitione careat: danda opera utique fuerit in conſtituenda Republic. ut id quod honeſtius eſt, ſemper præferamus: quamobrem eo ſpectare oportet, ut ſi per occaſionem contingat aliquod imperium adipiſci, id quoq; Reſp. conſervare queat. Quamobrem ut eo redeamus unde ſumus digreſſi, melius inſtitui poſſe Rempubl. ſentio ad exemplum Romanorum, quam vel Venetorum, vel Spartanorum: quod vix poſſit medius quidam modus inter extrema inveniri, aut conſervari: Tumultùs quoque illos populi adverſus Senatum, ferre oportet tanquam abſurdum aliquod, ſed tale, quod in populo qui ad tantum Imperii faſtigium ſit emerſurus, evitari nequeat. Hæc de præſenti quæſtione dixiſſe ſufficiat. Deinceps, de tribunitiæ poteſtatis neceſſitate, pro conſervanda libertate Reip. & utilitate accuſationum, quæ coram Tribuno inſtituebantur diſſeremus.

* * *

C A-

CAPUT VII.

Quam neceſſum ſit, ad conſervandam Reip. libertatem, ut libere poßis civem aliquem accuſare. NB.

IIs, qui cuſtodiendæ Reipubl. libertati præficiuntur, nihil æque curæ eſſe debet, quam ut poteſtatem habeant cives, qui contra libertatem aliquid deliquerint, libere accuſandi coram populo, magiſtratu, aut alia aliqua concione. Id enim Reipublic. duabus de cauſis plurimum prodeſt. Nam primum, non facile quis contra libertatem aliquid tentabit, metu ne accuſetur: & ſi tentaverit quippiam, poterit ſine magno motu facile reprimi. Deinde, eadem hac ratione inſtituitur modus extinguendi odia & ſuſpiciones, quæ in urbibus ſenſim contra cives quoſdam accenduntur: quorum reſtinguendorum, ſi non extet ratio aliqua legitima: ad media quædam abſurda confugiunt homines, ex quibus perſæpe Rerumpub. ruina conſequitur. Quamobrem exiſtimare oportet, multum intereſſe ad conſervandam Remp. ut ratio quædam legibus conſtituatur, qua odia illa reſtingui, ac ſatiari queant. Id permultis exẽplis demonſtrare poſſem: & præſertim Coriolani, de quo ſcribit Livius. Cum patriciis aliquando non admodum bene cum plebe conveniret, quoniam ex Tribunorum creatione videbatur, nimiũ aucta eſſe ejus potentia: magnam Annonæ caritatem Romæ

ortam eſſe, Senatum itaque frumentum è Sicilia advehi Romam curaſſe: Sed Coriolanus, occaſionem adeſſe ratus, populi nimiam licentiam caſtigandi, ſuaſit patribus, ne frumentum ei diſtribuerent. Quod cum Populus intellexiſſet, magnopere indignatus, Coriolanum Senatu egredientem, per ſeditionem oppreſſiſſet, niſi ei Tribuni plebis ſubito ad dicendam cauſam diem dixiſſent: Quo caſu manifeſte apparuit, quantum interſit Reipublic. ut ratio extet qua populi iracundia adverſus aliquem concepta, ſecundum leges extinguatur. Quæ ſi non extet: confugitur ad inordinata quædam media, quorum eventus multo pejores ſunt. Cum enim modo, legibus præſcripto, civis punitur, non impendet magnum Reipublicæ periculum, quamvis illi injuria fiat: cum exequutio non fiat, neque ſeditioſe per privatos, neq; exterorum hominum auxilio, ex quibus, libertatis amittendæ periculum maxime ſolet impendere: ſed autoritate publica, & ſecundum leges. Quid enim, ne à Coriolani exemplo diſcedamus, ſi is, per ſeditionem, à populo fuiſſet interfectus, Romæ accidiſſet? videlicet multæ privatorum offenſiones, metus vindictæ, conjurationes, atque hinc denique Reip. ruina: quę omnia interveniente publ. autoritate, evitari potuerunt. Hiſce omnibus conſentiunt, quæ noſtra ætate fieri cernimus: quantas enim mutationes Florentiæ pepererunt Franciſci Valerii factiones? quæ caveri omnes potuiſſent, ſi legitima

Coriolanus.

gitima quædam ratio in Republic. extitiſſet, qua populus potuiſſet reſtinguere odium, quod adverſus illum conceperat. Erat enim is, veluti Princeps civitatis, itaque in multorum odium inciderat, qui eum ambitioſum eſſe æſtimabant, quod magnanimitate, & audacia ſua, civilem vivendi rationem excedere velle, videretur. Itaque, cum non extaret in Republica alia eum coërcendi ratio, quam factione, quæ illi contraria eſſet, cœpit ipſe ſibi clientes, atque fautores conciliare, quibus defendi poſſe ſperabat. Adverſa vero illius factio, idem tentare coacta eſt: ut tandem ad arma ventum ſit: quibus accidit, ut Valerii potentia (quæ ſolo ipſius damno, ſi legitima ratio ejus efficiendi extitiſſet, reprimi potuiſſet) non, niſi multorum nobilium ac præſtantiſſ. civium internecione, opprimi potuerit. Hoc idem comprobavit Florentiæ etiam exemplum Petri Soderini, cujus cauſa tota ab ea pendebat, quod non eſſet in Repub. uſitata ac legibus conſtituta ratio quædam, præpotentium civium ambitionem accuſandi, nec ſufficit, ut coram octo iudicibus præpotentem aliquem accuſare poſſis: quod ubi pauci iudices ſunt, facile à paucis corrumpi & in ſuam ſententiam pertrahi queant. Quod, ſi igitur talis ratio accuſandi Florentiæ tunc extitiſſet: cives Soderinum turpiter viventem accuſaſſent, nec opus habuiſſent Hiſpanorum exercitum advocare. Quod, ſi idẽ Soderinus recte vixiſſet, non accu-

Petrus Soderinus.

ſare

ſare illum auſi fuiſſent, quod metuendum foret, ne viciſſim ipſi quoque accuſarentur: atq; ita evitari potuiſſet illa æmulatio, quæ tot malorum cauſa extitit. Quo fit, ut quando cernimus à factione aliqua, in urbem advocari externũ auxilium: id pronunciare poſſimus, fieri propterea, quod ea Reipub. forma male inſtituta ſit, nec habeat legitimam rationem ſedandi hujuſmodi ignes, qui in illa accedũtur. Quibus omnibus rebus remedium adhibetur, ſi ratio inſtituatur accuſandi coram multis judicibus, magnæ autoritatis atque potentiæ. Hiſce rebus ergo proſpexerant Romani tam bene, ut tot patrum plebiſque diſſenſionibus, neque plebs, neque Senatus, neque alius quiſquam externum auxilium deſiderarit, cum domi haberent remedium, hiſce malis præparatum. Superioribus exemplis poſſumus & illud ex Livio addere, qui narrat, cum in Cluſia, quæ tunc erat nobiliſſ. Tuſciæ civitas, à Lacumone quodam Arnutis ſoror fuiſſet vitiata: nec is, propter illius potentiam, poſſet injuriam vindicare, ad Gallos confugit, qui tunc eam Italiæ partem tenebant, quæ hodie Longobardia nuncupatur, eosque impulit, ut ſecum Cluſiam proficiſcerentur, ad injuriam vindicandã: quod certe nunquam feciſſet, ſi domi per leges civitas id facere potuiſſet. Verum enimvero, ſicuti juſta accuſandi ratio in Rep. ſalutare eſt libertatis remedium, ita calumniæ occaſio perniciosa eſt: ſicuti proximo capite diſſeremus.

Lacumo & Arnus.

CA-

CAPUT VIII.

Ut juſta accuſandi ratio Reipublic. ſalutaris eſt: ita pernicioſa ſunt calumniandi occaſiones.

QUAMVIS Furii Camilli virtus, poſt liberatam à Gallorum obſidione urbem, apud cives Romanos ita innotuiſſet, ut cæterorum nemo eſſet, qui illi honorem quovis loco deferendum eſſe non exiſtimaret: Manlius Capitolinus tamen, hunc honorem illi atque gloriam magnopere invidebat, putabatq; ſe conſeruato Capitolio æque bene, atque Camillus, de Republic. meritum, neque etiam virtute bellica illo eſſe inferiorem. Ea invidia commotus ergo, cum apud patres illum in invidiam vocare non poſſet, ad plebem ſeſe convertit, & apud eam de Camillo, cæteriſque patribus varia conqueri cœpit: inter cætera autem aſſerebat, Aurũ, quod civitas contribuiſſet, ut à Gallis ſeſe redimeret, Gallis rurſus ademptum, apud primores patrum conſervari, quod quidem ſi recuperaretur, ſufficere ad liberandam ære alieno plebem. Hiſce verbis fides à multitudine populi habebatur, augebaturque Manlii exiſtimatio, ut ad illum jam concurſus fierent, libereque per urbẽ tumultuari inciperet. Quibus rebus cum patres vehemẽter commoti eſſent, ac ſuſpicarentur, ne quid inde gravius oriretur, creato Dictatori mandãt, ut cognita ea cauſa, Manlii impetum coerceret Dictator viatore

tore ad Manlium miſſo, illi diem dicit; comparuit ille ad tribunal, ingenti plebis agmine comitatus: Cumque jam conveniſſent, Senatuſq; Dictatorem, Plebs Manlium, ut ducem ſuum in Comitio intuerentur: Dictator ſilentio facto, ex Manlio quæſivit apud quem ex patribus theſaurus ille cuſtodiretur? Senatum enim æque, atque Plebem id cognoſcere velle. Ad id vero, cum Manlius nil certi reſponderet, ſed ſubterfugia quærendo, aſſereret, non eſſe opus, ut ea quæ ipſe ſciret, publice aperiret: à Dictatore in vincula duci iuſſus eſt. Quo loco ſatis cernere licet, quam pernicioſæ ſint, cum in liberis, tum aliis Rebuſp. calumniæ, ad quas evitandas, tollendasq; nullo labori parcere oportet. Evitantur autem calumniæ commodiſſime, ſi liberum ſit unumquemq; accuſare: nam ut libera accuſandi ratio Reip. prodeſt: ita nocēt calumniæ. Differunt accuſationes à calumniis, quod calumniari poſſit unuſquiſq; quemcunque, & ubicunque volet: neque ad id probandum, quod impingit adverſario, probatione ulla aut teſtibus utitur. Accuſare autem legitime non poteſt unuſquiſq;: quod in accuſationibus opus ſit probatione, teſtibus, cæterarumq; rerum circumſtātiis, quibus pateat id, quod accuſator impingit. Præterea, nō ſolent inſtitui legitimæ accuſationes, niſi corā magiſtratibus aut concione totius populi. Calumniæ nullum certum locum habent: quod vel in foro, vel hinc inde per plateas, atq; tōſtrinas de hominibus

Calūmniæ ut differant ab accuſatione.

buſ ſpargantur : ac plerumque locum habent in Rebuſpublicis male inſtitutis, & in quibus non ordinata quædam accuſandi ratio extat. Quo fit, ut qui Rempublicam recte inſtituere velit, in id præ cæteris incumbere debeat, quo liberum tutumque ſit legitime civem quemcunque accuſare, atque id, ubi legibus conſtitutum fuerit, ferri non debent calumniæ ullo modo, ſed puniri ſevere : quod cum liceret eum, quem calumniatur, legitime & ſine ſuſpicione accuſare : id non faciat calumniator, ſed clandeſtinas calumnias ſpargat. Quod ſi hiſce rebus non recte in Republica proſpectum ſit, multa mala patrantur : quoniam locus calumniis datur, quæ cives non caſtigant, ſed commovent, atque perturbant, ita, ut quæ de ipſis ſparguntur non metuant, ſed calumniatores odio proſequantur. Hiſce de rebus præclara ſtatuta habuere Romani : Florentini nequaquam, quo factum eſt, ut ſicuti Romanis illa recte inſtituta multum profuere, ita à Florentinis neglecta plurimum nocuerint. Nam hiſtorias horum intuenti, apparet facile, quantis calumniis obnoxii ſemper fuerint, quicunque è Florentinis civibus aliquid magni pro Repub. geſſerunt. De hoc enim ſpargebant, quod pecuniam publicam in ſuos uſus convertiſſet : de illo aſſerebant, quod corruptus muneribus hoſtem non viciſſet : & de alio, quod ob ambitionem hoc aut illud perpetraſſet : atque ex hiſce undequaque clandeſtina odia naſcebant-

Accuſationum & Calũniarum ratio Romæ melius quam Florẽtiæ inſtituta.

bantur: ex odio factiones: atque ex hiſce ſeditiones atque tumultus quibus peſſundabatur Reſpublic. Quæ omnia evitari potuiſſent, ſi Florentiæ ſtatuta quædam atque leges extitiſſent, per quas legitime accuſare reos, & calumnias vitare licuiſſet. Nam qui accuſati fuiſſent rei, ſive damnati, ſive abſoluti eſſent, Rempublicam non evertiſſent: neque etiam tutum fuiſſet tot inſtituere accuſationes, quot calumniæ de variis civibus ſparſæ fuerunt: cum accuſationes argumentis egeant, calumniæ clanculum ſpargantur: Quibus accedit hoc etiam, quod in eadem Republica per calumnias multi indigni ad ſummam potentiam evecti fuerunt: ad quam cum aſpirarent, fautores ſuos habuerunt, qui in populi multitudine eos calumniabantur, qui ipſis reſiſterent. Harum rerum multa exempla adducere poſſemus: ſed tamen unum tantum proponam. Cum Florentinorũ exercitus, Ioanne Guicciardino duce, Lucam obſediſſet: accidit vel ob rem male & imprudenter adminiſtratam, vel ob adverſam fortunam, ut eam occupare nequiverit. Sed quacunque de cauſa id acciderit, de Guicciardino ſparſa fama fuit, quod à Lucenſib. corruptus, urbẽ expugnare lubens noluiſſet. Quæ calumnia ab ejus adverſariis aucta, atque approbata: Guicciardinum furiis propemodum exagitavit. Nam etſi ſeipſum in vincula tradere vellet, ut ſe purgaret à crimine, quod impingebatur: tamen eam ſuſpicionem de ſe amovere non

re non potuit: tantum ob id, quod Florentiæ non eſſet ratio quædam legitima, audiendarum defenſionum, accuſationum, & puniendi calumnias. Itaque orta odia & indignationes inter ejus familiares (qui erant omnium civium potentiſſimi) & eos, qui calumnias, rerum novarum cupidi, ſpargebant, eo uſq; proceſſerunt? ut cum ob hanc rem, tum alia quædam, ſecuta ſit Reipub. ruina. Manlius igitur Romæ cum hæc, quæ jam narravimus, de patribus ſpargebat, non erat accuſator, ſed calumniator: eoque exemplo præclare docuerunt Romani qua ratione calumniatores punire oporteat. videlicet ut illos cogamus ex calumniatoribus accuſatores fieri, & ſiquidem publice probare queant, id verum eſſe, quod clanculum impingebant: vel præmio aliquo, vel certe nullo damno afficere: ſi probare nequeant: ſicuti Manlium punire.

CAPUT IX.

Quam multum interſit, in inſtituenda Repub. plane nova, ut omnis potentia ab uno ſolo dependeat.

Videbitur cuipiam me de Romanorum rebus, totaque Reipub. inſtitutione plura hic diſputaſſe, quam oporteret: cum de ipſius urbis conditore & legiſlatore, itemque de legibus ad religionis cultum, ac diſciplinam militarem pertinentibus, prius diſſerere decuiſſet: Non differemus igitur amplius lectorem, ſed

 hanc

hanc rem jã aggrediemur. Quo loco primum occurrit conſiderandum, quod multis videtur mali fuiſſe exempli, Romulum primum urbis conditorem, ſtatim ab initio Remum, fratrem interemiſſe: & paulo poſt in T. Tatii Sabini quem regni ſocium elegerat, cædem conſenſiſſe. Potuiſſe enim poſteros id factum imitari & cum ad principatum aſpirarent, ſimili ratione adverſarios ſuos aut æmulos interficere. Quod quidem etſi probabiliter dicatur, neceſſe tamen eſt conſiderare ſcopum, qui Romulo in hac fratris cæde propoſitus fuerit. Atque hic primum pro certo ſtatuere oportet, nullam Rempublicam ac nullum etiam regnum, ſive à primis initiis recte inſtitui: ſive jam ante male formatum & inſtitutum, novis plane legibus recte emendari poſſe: niſi hujus rei potentia ab uno ſolo dependeat, ex cujus animi ſententia omnes ordines ac leges novæ promulgentur. Quicunq; igitur prudens eſt, idemque ita Rempub. inſtituere cupit ut publicæ utilitati potius, quam ſibi proſit, & patriæ toti, potius, quam ſuis poſteris: in id incumbere debet ut ſolus potentiam habeat novas illas leges & ferendi & rogandi. Neque quiſquam prudens, quempiam facile accuſare debet, qui ut ſolus Rempub. aliquam recte inſtituere poſſit inſolens aliquod factum patraverit: aut ſi maxime factum ipſum damnet, ex ipſo ſcopo tamen & fine qui inde conſequitur, idem ipſum excuſet, Nã bonus eventus, ut qui ex cæde Re-

mi

mi ſecutus eſt, factum ſemper excuſat: neque is, qui benefaciendi, ſed is qui malefaciendi cauſa vim infert, reprehenſione dignus eſt. Sed interim permultum intereſt, ut ille idem, qui ſibi hanc potentiam uſurpat, vir bonus ſit, neque illlam poſteris ſuis hæreditariam faciat. Nam cum homines ad malum magis quam ad bonum natura proclives ſint, facile accidere poterit, ut quam potentiam quis ſibi boni publici cauſa uſurpavit, eandem ejus poſteri ad malos uſus convertant. Præterea, etſi Rempublicam unicus recte inſtituere poſſit, cuſtodia eorum tamen, quæ ab uno homine bene recteque inſtituta non ſunt, non uni, ſed pluribus committenda eſt: quod plures ſimul, id quod optimum eſt in Reipubl. inſtitutione, ob diverſas ſententias apprehēdere certe nequeant: ſed iidem, ſi jam optimas leges ſancitas, omniaque recte inſtituta eſſe intellexerint: non patientur facile de iis quicquam aboleri. Ad Romulum vero ut redeamus, dicimus eum, quod fratrem interemerit, & in Tatii cædem conſenſerit, excuſari poſſe: eo, quod id non ambitione ſed boni publici cauſa feciſſe videatur: neque enim alias ſubito Senatum creaſſet, cujus conſilio in rebus agendis uteretur. Nam ſi rem diligenter conſideres, comperies Romulum eam tantum poteſtatem ſibi ſoli ſervaſſe, ut patres convocaret, & ſi iidem communi conſilio, bellum alicui faciendum ſuaſiſſent, ipſe eſſet exercitus Imperator, neque cum ſucceſſu temporis

ejectis Tarquiniis, civitas libertatem conſecuta fuiſſet, abolita fuit ea potentia, quam ſibi Romulus conſervaverat, cum in locum Regis, bini Conſules fuiſſent creati: ex quo apparet, Romulum ab initio in inſtituenda Reip. forma magis Remp. liberam cõſtituere voluiſſe, quam ad Monarchiam, aut Tyrannidem aſpiraſſe. poſſemus hoc loco etiam adducere exempla multorum aliorum, Moſis ſcilicet, Lycurgi, & Solonis, qui omnes boni publici cauſa, ſolis uſurparunt ſibi potentiam ferendarum legum, & conſtituendæ Reipub. Quæ notiora ſunt, quam ut de iis diſputare ſit opus. Vnum hoc ſilentio non eſt prætereundum, quod Agides Spartanorum Rex, conſiderans quantum ſuis civibus de antiqua virtute deceſſiſſet, ob id, quod à Lycurgi legibus receſſiſſent: decrevit Rempub. emendare, & in priſtinum ſtatum revocare: ſed cum id moliretur, ab Ephoris interemptus eſt, tanquam ſi id, Tyrannidis occupandæ cauſa, facere conaretur. Cleomenes, qui illi in Regnum ſucceſſit, Agidis conſilio, ſcriptiſque inſtitutus, idem tentavit. Sed cum interim facile intelligeret, ſe non poſſe patriam ſuam tanto bono afficere, niſi derivata ad ſe univerſa potentia: quod vel paucorum ambitio obſtabat, quo minus Publicum hoc bonum promoveri poſſet: idcirco arrepta occaſione, cum Ephoris tum cæteris omnibus quos ſibi impedimento fore timebat, in unum locum convocatis, ipſe Lycurgi leges revocavit, & populo

pulo propoſitas de novo confirmavit. Quæ res ut Spartanorum vires, virtutemque reſtaurare, & ipſi perinde, ut alteri Lycurgo gloriam conciliare facile potuiſſet, niſi Macedonum potentia nimis aucta, & cæterarum Græciæ civitatum vires tãtopere debilitatæ fuiſſent. Nã cum non longo poſt tempore à Macedonibus invaderetur, & adhuc infirmior eſſet, quam ut ipſis reſiſtere poſſet, nec ſuppeterent aliunde auxilia: ſuperatus eſt, antequam ex legum Lycurgi illa juſto conſilio ſuſcepta renovatione, dignum labore fructum percepiſſet. Quæ cum ita ſe habeant, concludo, quod in præclare inſtituenda aliqua Reipub. forma, neceſſe ſit potentiam ferendarum legum, penes unicum hominem exiſtere, & Romuli facinus in fratris, ſociique cæde patratum, cum eo ſpectarit, excuſari, non damnari plane debere.

CAPUT X.

Ut laude digni ſunt, quicunque aut Regni aut Reip. alicujus juſta fundamenta ponunt: ita viciſſim vituperandos eſſe omnes, quicunq; inſtituunt Tyrannidem.

INTER viros excellentes illuſtresque ſumma laude digni ſunt, qui Religionis cultum recte conſtituerunt. Secundum locum tenent, quicunque Reip. aut regni alicujus fundamenta poſuerunt. Tertium exercituum duces qui ſua virtute vel ſuum ipſorum, vel patriæ imperium

Qui homines laude aut vituperio digni.

rium auxerunt. Quartum locum obtinent viri literati omnis generis, ſecundum ſtudiorum diverſitatem, ſinguli ſua laude celebrandi. Deuique ex infinita reliquorum hominum multitudine, quibuſcunque artis quam exercent præſtantia, aut longus uſus aliquam nominis celebritatem comparavit. Excellentibus hiſce atque illuſtribus viris ex adverſo reſpondent obſcuri, aut etiam infames, inter quos ſummopere vituperandi ſunt Religionis contemptores, & corruptores, deinde qui Regna atque Reſpublicas deſtruxerunt: denique qui virtuti, literarum ſtudiis, cæteris ingenuis artibus quæ humano generi utiles honeſtæque ſunt, inimici fuerunt, in quorum numero ſunt impii, ſeditioſi, ignorantes, inertes, deſides, otioſi & inutiles. Et quamvis ita natura comparatum ſit, ut ex univerſo hominum genere, nullus ſit ſive ſtultus, ſive ſapiens, ſive bonus, ſive malus, qui ex jam propoſitis binis excellentium atque obſcurorum hominum differentiis, non laudet excellentes, & obſcuros vituperet, nihilominus tamen plerique neſcio qua falſa boni ſpecie, aut inani gloria decepti, relicto excellentium virorum ordine, ad eos deſcendunt qui vituperio digni ſunt: cumque in inſtituenda Repub. iis, magno cum honore ac gloria, vel regnum, vel liberam aliquam Reipub. formam inſtituere liceret, Tyrannidem efformant: nec animadvertunt interim, quãtam gloriam, honorem, tranquillitatem, atque quietem amittentes, in peri-

pericula, vituperia, infamiamque incurrant. Nec dubium eſt, quin omnes homines, quicunque vel privatam vitam degunt, aut quos fortuna principes fecit, ſiquidem hiſtoriæ rerum antiquarum cognitionem haberent: non malint privati quidam in ſua Repub. Scipiones eſſe, quam Cæſares, aut principes: Ageſilai, Timoleontes ac Diones haberi potius, quam vel Nabides, vel Phalares aut Dionyſii: cum cernere ſit illos ſumma cum laude celebrari, hos vero ſummopere vituperari. Præterea, conſtat etiam Timoleontem, & cæteros illi ſimiles, in ſua quemque Rep. non minus potuiſſe, quam vel Phalaris vel Dionyſius, ſed interim tamen quiete, & ſine omni metu vitam traduxiſſe. Neque vero eſt, ut quiſquam nominis celebritate deceptus, Caii Cæſaris fœlicitatem admiretur, ob id, quod ejus laudes à multis ſcriptorib. decantari audit. Id enim propter ipſius potētiam factum eſt, ſub qua etiam qui vixere ſcriptores: non auſi fuerunt, quæ de illo ſentiebant, verbis exprimere. Quod ſi viris ingenuis tutū fuiſſet, illa omnia de ipſo ſcribere, quę ſentiebant, procul dubio de illo perinde ut de Catilina ſcripſiſſent, quo Cæſar tāto adhuc deterior fuit, quanto pejor exiſtimandus eſt, qui facinus patravit, eo, qui id patrare deſideravit. Quod, ut ita ſe habere intelligas, conſidera quantis laudibus Brutum Cæſaris hoſtem extollant: nam cum Cęſarē ob potentiam vituperare nō liceret, auſi ſunt tamen ejus hoſtem laudare. Poſtquā vero

Romanorum res in unius Imperatoris potentiam redactæ fuerunt, ſi conſideraveris quanta cum laude imperaverint principes boni, qui ſeipſos legibus ſubmiſerunt, & ex earum præſcripto vixerunt: comperies Titum, Nervam, Trajanum, Adrianum, Antoninum, & Marcũ charos omnibus fuiſſe, neque ad ſui cuſtodiam opus habuiſſe vel legionibus multis, vel prætorianis militibus: quod ipſorum boni mores, & populi Senatusq; benevolentia ipſos defenderet, atque cuſtodiret. Econtra vero Caligulam, Neronem Vitellium, cæteroſq; ſceleratos Imperatores, opus habuiſſe geminis exercitibus, partim ad Orientem, partim ad Occidentem inſtructis, quibus ne defendi quidem potuerunt ab adverſariis, quos malis moribus, & ſcelerata vivendi ratione ſibi comparaverant. Quę quidem, ſi recte conſiderentur, omni principi documento eſſe poſſunt, uſque adeo, ut ex illorum rebus geſtis, totaque vita rationem conſequendæ veræ gloriæ atque laudis intueri, & vituperii truculentiæque vitandæ modum habere facile poſſent. Quod enim magis memorabile eſſe poteſt, quam quod ex XXVI. Imperatoribus, qui Cajum Cæſarem ad Maximinum uſque ſequuti ſunt XVI. truculenta morte interempti, ſoli autem decem, ſecundum cõmunem naturæ legem ex hac vita migrarunt? Quod ſi qui etiam ex bonis, cruenta morte interierunt, uti Galbæ & Pertinaci accidit, id factum eſt, propter malitiam prædeceſſorum,

qui

qui milites pravis moribus corruperant: & ſi quibuſdam malis ac ſceleratis contigit, ſecundum naturæ legem ex hac vita migrare, veluti Severo: id rurſus vel fortunæ proſperitati, vel alicui qualicunque tandem virtuti debuerunt. Ex eadem hac Romanorum Imperatorum antiqua hiſtoria, cognoſcere licet, quæ ratio ſit ſit Monarchiæ bonæ conſtituendæ: cum videamus omnes Imperatores, quicunque hæreditario jure ſucceſſerunt in imperium, ſceleratos homines fuiſſe, uno Tito excepto: qui vero eligebantur, viri boni erant, ſicut cernere eſt in iis quinque, qui Nervam ad Marcum uſque ſecuti ſunt. Rurſusque poſtquam ad hæredes Imperium rediiſſet, cœpit in pejus ruere. Recte igitur feceris in inſtituendo principe, ſi tempora contuleris quæ inter Nervam & Marcum fuere, cum iis, quæ & ante fuerunt, & poſtea ſecuta ſunt, eique optionem dederis, malit ne his aut illis temporibus regnare. Videbit enim, quo tempore boni Imperatores regnarunt, eos inter ſuos ſubditos tutos pace ac tranquillitate frui: Jus ex æquo omnibus dici: Magiſtratus omnis generis in honore haberi: viros virtute præditos ſuis laudibus illuſtrari, omnes cives in univerſum, res ſuas ſine periculo poſſidere. Sublata vero populi licentia, ambitione, nullas eſſe factiones neque ſeditiones: Aurea eſſe ſecula, quibus tuto liceat de quacunque re in utramq; partem diſputare, principem ſua gloria, populum pace, ac tranquillitate omnium applauſu

frui. Quod ſi tempora jam ingrediaris reliquorum Imperatorum, eaque diligenter conſideraveris, ſceleribus & atrocitate plena comperies: tot bella civilia, tot ſeditiones, tot principes ferro interemptos: Italiam miſerrime afflictam, tot calamitatibus undiquaque oppreſſam, ejus urbes partim dirutas, partim ſpoliatas, Romam toties incenſam, Capitoliũ à propriis civibus dirutum, templa antiquiſſima deſtructa, Religionis cultus prophanatos, adulteriis totam urbem repletam: Mare exulibus plenum, ſcopulos undique ſanguine conſperſos, in urbe infinita ſcelera ſumma crudelitate patrari, majorum ſplendorẽ, opes, honores, ipſam denique virtutem pro vitiis haberi, Calumniatores præmiis affici, ſervos cõtra dominos ſuos inſtigari, liberos contra parentes inſurgere, & ſi quibus hoſtes deſint, eos ab amicis opprimi. Quæ omnia ſi quis ſecum diligenter animo contempletur, non poteſt, niſi natura humana plane exutus, non ab omni recordatione horum temporum abhorrere: aliorum autem deſiderio accendi. Quæ, cum ita ſe habeant, nulli principi major occaſio cõſequendæ ſummæ gloriæ contingere poteſt, ſiquidem vir bonus eſſe velit, quam ei, qui cum ad principatum evehitur: ſubditorum mores corruptos deprehendit, ut eos componat, & Rempublicam dirutam, non ut C. Cæſar plane deſtruat, ſed rurſus reſtauret, & ut fecit Romulus, inſtituat. Quod, ſi quis ad principatum evectus, nõ poſ-
ſi: cor-

ſit corruptam Remp. bene inſtituere, niſi amiſſo principatu: excuſationem aliquam meretur quod id non faciat: ſin & principatus dignitatem retinere. & nihilominus corruptam Rempubl. emendare poſſit, nec faciat: is nullo jure excuſari debet. Quibus igitur dii hujuſmodi occaſionem dederunt, ii cogitare debent, duplicem ſibi viam eſſe patefactam: alteram qua bene Rempub. inſtituentes, tranquillam vitam degant, & poſt obitum, honeſtam nominis ſui commemorationem poſteris relinquant: alteram qua male rem adminiſtrantes, in perpetuis moleſtiis vivant, nec unquam poſt obitum, illorum honeſta mentio fiat.

CAPUT XI.

De Religione Romanorum.

QUAMVIS à Romulo Roma primam originem traxerit, eumque ut filia patrem merito agnoſcere debeat: nihilominus tamen viderunt dii immortales, quod leges à Romulo latæ & inſtitutæ: ad tantum imperium acquirendum non ſufficerent. Quamobrem, eo ex hac vita migrante, Senatum moverunt, ad Numam Pompilium ſucceſſorem eligendum: ut is videlicet ea ſuppleret, quæ à Romulo neglecta fuiſſent. Cum is ergo ad imperium perveniſſet, populum Romanum ad belli artes inſtitutum, ferocemque deprehendit: quem cum ad pacem & tranquillitatem inſtituere cuperet,

ad religionis cultum inſtituendum, omne ſtudium converterit. Quem tam præclare inſtituit, ut multis ſeculis, nuſquam gentium tantus timor Dei extiterit, quantus apud Romanos,ex Numæ inſtitutione erat: quę res omnia illa inſtituta permultum promovit. Atque hæc quidem ita ſe habere intelliges: ſi eorum res geſtas ſingillatim perpenderis, cum publicas, tum quæ à quibuſdam etiam privatis patratæ ſunt, quos magis jurejurando, quam legibus permoveri ſolitos novimus, ob id nimirum quod divinam potētiam pluris facerent, quam humanam. Id in Scipionis & Manlii Torquati exemplis evidentiſſime apparuit. Quorum ille poſt cladem,quam P.Romanus ad Cannas acceperat,cum permulti nobiles juvenes L. Cæcilio Metello duce, tanta clade pavefacti, Italiam deſerere, & conſcenſis navibus ad Regem aliquem transfugere decreviſſent: ſtricto ferro eos coëgit jurare, quod patriam deſerere nollent: Luca Manlio autem qui poſtea Torquatus fuit dictus, à Marco Pomponio Tribuno plebis dies dictus erat: quod cum reſciviſſet Titus ejus filius,Pomponium adivit,ſtrictoq; ferro necem minatus eſt, niſi juraret ſe à patris accuſatione deſiſtere velle, quod cum ille mortis metu facere cogeretur: tantopere jusjurandum veneratus eſt, ut & odium vetus, quod illi cum patre intercedebat, & recenter acceptam à filio, mortem minitante, injuriam neglexerit, & cauſæ dictionem remiſerit. Quemadmodum etiam

etiam nobiles illos, juvenes, cum neque patriæ amor, neque leges in Italia retinerent, retinuit jusjurandum, quod vi coacti præſtiterant. Quę omnia à reverendo illo Religionis cultu dependebant, quem Numa Pompilius Romæ inſtituerat. Tantum ſcilicet populo Romano profuit cultus religionis, cum ad frenandam militum licentiam, tum ad plebem reconciliandam, & omnes in univerſum viros bonos in officio continendos, & perverſos à malitia deterrendos. Uſque adeo, ut ſi quis argumenta in utramque partem ponderans, quærat cui Roma plus debere videatur, Romulo ne an Numæ Pompilio? credo hunc plus laudis meruiſſe quod ubi religio hominibus ineſt, illic etiã diſciplina militaris percommode introduci poſſit: ubi carent religione homines, quamvis diſciplinam militarem habeant, ad eam tamen nunquam recte inſtituuntur. Romulus etiam ad Reip. inſtitutionem, Senatũ conſtituendum, & alias leges ſanciendas, non opus habuit divinam aliquam autoritatem prætendere, quod tamen Numæ neceſſarium fuit: ob quas cauſas fingebat ſe cum Nympha conſuetudinem habere & ab ea edoceri illa omnia, quæ populo Romano præſcribere oporteret: quod quidem ob eam cauſam faciebat, quoniam ad novas leges de cultu religionis ſanciendas, nõ exiſtimabat ſuam autoritatem apud populum ſatis põderis habere. Idipſum quoque ab aliis factitatum legimus, quotcunque plane novas leges in

Rempubl. introduxere: neque enim alias potuiſſent perſuadere hominibus ut illas amplecterentur: Quamobrem ſi qui viri ſapientes tale aliquid moliuntur, dant operam ut id divino inſtinctu facere videantur: quemadmodum Lycurgum & Solonem feciſſe novimus. Populus Romanus igitur Numæ Pōpilii bonitatem ſimul atq; ſapientiam admirationi habebat, & quicquid ille conſuluiſſet, amplectebatur. Sed neque hoc illi parum profuit, quod iis temporibus eſſent homines natura magis religioſi, atque ſimplices, quibus quæcunque oportebat, perſuadere facile poterat. Nam ſi quis etiamnum quærat, qui homines faciliores ſint, ad amplectendam novam Reip. conſtitutionem, optimis legibus inſtructam? Reſpondere oportet ſimplices illos, quales ſunt qui loca montana incolunt: nam qui in urbibus habitant, corruptis moribus ſunt, & quæ ignorare debeāt nimis perverſe ſciūt. Aptiores ſunt igitur ſimplices illi, ut recte inſtituantur, & bonam diſciplinam amplectantur, quemadmodum etiā marmor rude, & nullo modo dolatum, aptius eſt ad ſuſcipiēdam ſtatuæ formam, quam id, quod à malo artifice dolatum, & cui lineamenta ſiniſtre impreſſa fuerunt. Quæ cum ita ſe habeant, concludo cultum religionis à Numa Pompilio inſtitutum, unam è primariis cauſis extitiſſe, propter quas Romani in rebus gerendis tam fœlices fuerunt. Nam ubi religio eſt, locum habent bonæ leges, ac bona diſciplina, ex quibus fortu-

fortunati,felicesque rerum eventus,in expeditionibus præſertim bellicis naſcuntur. Sicuti ecõtra etiam, ſublata religione, corruere Remp. oportet: quoniam ſublato Dei timore,ſequitur impietas, ex eaque ruina imperiorum. Nam etſi princeps ipſe fortaſſe pius ſit, & ſubditorum impietatem virtute ſua aliquo modo compenſet:quia tamen is eſt mortalis,& forte etiam vitæ brevis : neceſſe erit, ut eo moriente, virtus quoque, quæ ſupererat ſenſim una cum imperio labatur. Quæcũq; enim imperia unius tantum hominis virtute fulciuntur, diuturna eſſe nequeunt, quod rariſſime contingat, ut illa eadem virtus in novo ſucceſſore deprehendatur. Qua de re Dantes Poeta Italus ſic cecinit:

Non ſicut in ramos ex imo ſtipite ſuccus
Influit,in liberos ſic orta parentibus ipſis
Deſcendit Virtus.-------

Cum igitur res ita ſe habeat, non exiſtimare debemus eum fortunatam, fœlicemq; Remp. inſtituiſſe, qui illam ita ordinavit, ut quamdiu ipſe vivit,recte ſub ſuo unius imperio gubernetur, ſed ſi quis eam ita inſtituit,ut etiam ipſe intereat, extet tamen nihilominus ratio,qua cõſervari queat: is verum finem fuerit aſſequutus. Hujuſmodi vero formam Reip. plane novam, etſi difficilius ſit perſuadere hominibus civili vitæ quocunque modo aſſuefactis, quam ſimplicibus, & ſparſim montana loca incolentibus: non tamen pronunciamus plane impoſſibile eſſe, quin & illi eam amplectantur. Florenti-

rentinus populus certe neque ſimplicem, neq; ignorãtem ſe eſſe arbitratur: at eidem huic Hieronymus Savonaroſa monachus perſuaſit, ſeſe cum Deo colloquia habere. Quod non in eum finem dico, ut verum ne, an falſum fuerit, pronuntiare auſim: neque enim de tanto viro aliter quam cum quadam reverentia loquendum exiſtimo. Sed affirmo infinitos homines Florentiæ extitiſſe, qui id pro certo crediderint, quamvis ab illo nihil miraculoſum patrari vidiſſent! quod vitæ ſanctimonia, doctrina, & res ipſa quam tractabat, omnia talia erant, ut fidem ei adhibendam teſtarentur. Quæ cum ita ſe habeant, non debent, qui bonam ſanctamq; Reip. formam inſtituere cupiunt, deſperare, ne ſint finem ſuum conſecututi, cum id aliis perſæpe cõtigerit: quoniam homines, ut in procemio hujus libri docuimus, ſemper iiſdem naturæ legibus oriantur, vivant & intereant.

CAPUT XII.

Quantum interſit ad conſervãdam Rempublicam ut ratio divini cultus atque Religionis habeatur: & quod in Italia: propter Romanam Eccleſiam, deficiente eadem religione, ruina Imperii ſecuta ſit.

QUICUNQUE principes atque Reſpub. ſemetipſas cõſervare cupiunt, in id unum præ cæteris, incumbere debent, ut verum religionis cultum recte inſtituant, & venerentur: nec certius indicium de religionis alicujus ruina

na atq; interitu unquam habere poteris, quam ſi in ea, divinum cultum deſpectui haberi ac ſperni cognoveris. Id vero, ut ita ſe habere intelligas: obſerva cui fundamento Religio innitatur ejus loci, in quo unuſquiſque naſcitur: quod omnis cultus religioſus alicui fundamento inſiſtat. Gentilium religio innitebatur reſponſis Oraculorum, Aruſpicum, & conjectorum, ex quorum inſtituto omnes cæteræ ceremoniæ, atque ſacrificia dependebant. Nam cum crederent, eum Deum, qui tibi vel fauſtum vel infauſtum, quippiam præſagire noviſſet: idipſum quoq; tibi poſſe largiri: templa, ſacrificia, ac ſupplicationes illis decreverunt, quibus eos variis ritibus venerabantur: atque ita fiebat, ut Oraculum Delphicum, & Jovis Ammonii, in univerſo prope orbe, hominibus timori & venerationi eſſet. Sed poſtquam eadem hæc oracula cœpere imperio reſpondere: animadverterũt homines dolum ſubeſſe, nec modo ullam illis fidem amplius habuerunt, verum etiam impii ex ea re facti ſunt, & ad omnia per turbanda prompti. Itaque in id diligenter incumbere debent, quicunq; Reipub. aut Regno alicui imperãt, ut ejus religionis quam ipſi colunt, & venerantur, fundamenta ſarta tectaque conſervent: qua quidem re cives ſuos pios, devotosque efficient, & aptos ad concordiam colendam. Quæcunq; ergo in Rep. eo ſpectant, ut ad fidem fundamentis religionis ejus conciliandam facere videantur, ea omnia ſapientes

tes Reipub. gubernatores fovere debent, etſi non uſque adeo conſtiterit omnibus quod certa veraque fuerint: quod quidem tanto magis etiam curare debent, quanto magis ſapientes & rerum naturalium periti fuerint: cum id à ſapientibus viris obſervatum eſſe noverimus: ita quidem, ut in falſa quoque religione miracula approbarint falſa, ſi modo eo ſpectarent, ut hominibus Religio quædam ac pietas imprimeretur. Hujuſmodi apud Romanos multa extiterunt: veluti cum Vejentum civitatem diriperent, & eorum aliqui Junonis templum ingreſſi, ejus ſimulachrum interrogaſſent, vellet ne cum illis Romam ire? tunc viſum eſt quibuſdam annuiſſe: quibuſdam vero etiam verbis idipſum affirmare. Quæ omnia illis contigerunt, quod Templum ſine tumultu, & ſingulari quadam devotione animi ingreſſi ſunt, ut apud Livium legere eſt: Itaq; cum tanta veneratione interrogaſſent, viſum eſt ipſis tale reſponſum audiviſſe, quale ſe audituros prius ſibi pollicebantur: nec eam opinionem ex illorum animis eripere voluit aut Camillus, aut cæteri viri principes, ſed eam confirmandam potius cenſuerunt. Quod ſi hæc tam diligens cura divini cultus, à Reipub. Chriſtianæ principibus obſervata eſſet, ſecundum primam inſtitutionem, & præcepta ejus, qui illam nobis primum tradidit: longe majori fœlicitate, ac pace in orbe Chriſtiano frueremur. Nunc cum nuſquam minus vel pietatis vel religionis ſit, quam in iis homi-

De principibus Chriſtianæ religionis.

hominibus qui Romæ viciniores habitant: eaque Chriſtianæ religionis caput cenſeatur, facile conjicere potes, Chriſtianum orbem magnopere periclitari. Quod ſi quis etiam diligenter conſideret eum religionis cultum, qui noſtra ætate in uſu eſt, eumque conferat cū prima Chriſtianæ religionis inſtitutione, ac veris fundamentis: is non poteſt, vel illius interitum non metuere, vel divinam ultionem non formidare. Et quamvis non deſint qui opinantur, omnē quam Italia habeat fœlicitatem, ab Eccleſia Romana dependere: tamen contrariam ſententiam quis veriorem exiſtimaverit: conſiderando eos, qui in Romana Eccleſia nequaquam ſecundum Chriſtianæ religionis præcepta vivunt, ſed ea adulterant atq; corrumpunt. Quibus hoc etiam accedit, quod eadem hæc Romana Eccleſia in cauſa eſt, cur Italia in partes diviſa, diverſis principibus pareat: cū tamen nulla regio vere fœlix ſit, niſi ſub uni⁹, ſive Reipub. ſive Principis imperio pareat, ut noſtra memoria Galliæ, Hiſpaniæq; accidit. Cujus rei ratio eſt, quod cum non modo in res ſacras, ſed etiam in res humanas imperiū ſibi vendicaverit Romana Eccleſia: non habuit illa quidem tantas vires, ut univerſam Italiā occupare potuerit: ſed neque interim tam debilis fuit, quin evocare poſſet ad ſe aliquem præpotentē principem adverſus eos, quorum potentia illi in Italia formidoloſa videretur. Id multis exemplis patet, cum vetuſtis, tū recentibus. Nam & Caroli

roli Magni auxilio, Longobardos expulit, qui propemodum toti Italiæ imperabāt: & patrum noſtrorum memoria Gallorum auxilio, Venetorum potentiam fregit: eoſdemque Gallos poſtmodum Helvetiorum copiis, ex Italia ejecit. Eccleſia Romana igitur, cum neque tantas vires habuerit, quibus ipſa potuerit univerſam Italiam occupare: neque etiam alteri, ut eam occuparet permiſerit: cauſa fuit, ne ſub unius Imperium redigeretur, ſed in varias partes diviſa, multis principibus parere cogeretur: ex eo accidit, ut ob diſcordias principum debilitata, non modo Potentum atque Barbarorum, ſed cæterorum quorumcunque, qui illam invadere auſi ſunt, libidini in prædam ceſſerit: quod quidem nos Itali ſoli Romanæ Eccleſiæ debemus. Quod, ſi quis hæc omnia, quæ de Romanæ curiæ depravatione narravi, certo experimento cognoſcere vellet, eum tam potentem eſſe oporteret, ut illam ad Helvetios, qui ſoli noſtro tempore veterem religionis cultum & diſciplinam militarem conſervare videntur, ad habitandam cogere poſſet: conceſſa illa videlicet iſthîc eadem potentia, quam in Italia habet. Nam certum eſt, ſi id fieret, brevi temporis ſpacio, illorum quoq; hominum mores, hujus Curiæ pravitate tantopere corruptos iri, quantopere id illis, ex ulla alia cauſa contingere unquam queat.

CAPUT. XIII.

Romanos perſæpe Religionis prætextu uſos eſſe, cum ad inſtituendum Rempub. tum ad ſuſcipienda bella, ſedandasq́ ſeditiones, atque tumultus.

NON abs re facturum me puto, ſi propoſitis exemplis oſtendam: Romanos ope Religionis ſæpe perturbatam Rempub. inſtituiſſe, & expeditiones quaſdam ſuſcepiſſe. Hujuſmodi exempla cũ apud Livium multa ſint, ego tamen pauca hæc tantum adducam. Poſtquam Pop. Romanus tribunos plebis conſulari poteſtate creaſſet: iique omnes, præter unicum plebei eſſent: orta eſt eodem anno Romæ peſtilentia gravis, atque annonæ charitas, præterea, alia quædam portentoſa apparuerunt. Hinc igitur Patricii ſumpta occaſione, aſſerebant has calamitates Pop. Romano à diis immortalibus immiſſas, ob abuſum majeſtatis Imperii & male uſurpatam tribunitiam poteſtatem, neq; eos placari poſſe aliter, quam ſi legitima tribunitiæ poteſtatis ratio reſtitueretur: qua re pavefacta plebs, tribunos omnes ex Patriciorũ ordine creavit. In Vejorum obſidione longiſſima etiam, cũ milites tædio pertæſi Romam redire vellent, Religionis quodam prætextu, ad obſidionem continuandam à ducibus retẽti fuere. Nam cum Albanus lacus excreviſſet: Oraculum Apollinis ita ſunt interpretati, ac ſi illa aquarum inundatio urbem eo anno expugna-

pugnatam iri nuntiaret: adhibitusque ad Albani hujus prodigii procurationem, & placandos Deos, Vates, qui Romæ captivus tenebatur. Quibus omnibus miles perſuaſus, patienter belli moleſtias toleravit: atque inde factum, ut Camillus Dictator creatus urbem expugnarit: quam Populus Romanus toto decennio oppugnaverat. Quæ quidem Romani nunquam tam fœliciter perfeciſſent, neque tribunitiam poteſtatem ad Patricios revocare potuiſſent, niſi Religionis prætextu adjuti, cum milites, tum plebem in officio ſciviſſent continere. His exempl s ſimile eſt, quod accidit, tunc cum Terentillus tribunus plebis legem Terentillam, de qua poſtea diſſeremus, promulgare vellet: nam etiam tunc ad ſedandos illos motus, quos ea res pepererat, uſi ſunt patres religionis quodam prætextu, duplici ratione. Primum enim Sibyllinos libros per duumviros adire juſſerunt: atq; inde nuntiarunt periculum imminere civitati, libertatis eo anno amittendæ, niſi ſeditionibus abſtineretur. Quod etſi Tribuni criminarentur, à patribus factũ ad impediendam legem: plebis animos tamen uſque adeo permovit, ut Tribunos tanto ardore non amplius ſequeretur. Deinde, cum per eoſdẽ tumultus Appius Herdonicus quidã, ope exulum atq; ſervorũ, quos quater mille & quingentos ſecum habebat, noctu Capitolium atq; arcem occupaviſſet, periculumq; eſſet, ne ſi aut Æqui aut Volſci, Romani nominis hoſtes perpetui, adven-

adventaſſent, urbem eſſent expugnaturi: nec deſinerent etiam tum tribuni, legis promulgationem urgere: aſſererentq; id quoque à patribus fictum eſſe, ut legem impedirent:tum è ſenatu egreſſus P. Valerius conſul, vir gravis atque diſertus, minas argumentis miſcens, demonſtravit populo, quæ pericula urbi ob Capitolium captum imminerent: quam intempeſtiva illa eſſet legis ferendæ occaſio:tantumque effecit ut juramento omnes aſtringerentur, ſe à Conſulis voluntate non diſceſſuros: Eum ergo ſequuta plebs Capitolium recuperavit. Sed cum in ea expugnatione P. Valerius fuiſſet interfectus, eique L. Quintius Cincinnatus in Conſulatu ſucceſſiſſet: ne plebi otium relinqueret,aut anſam præberet eandē Terentillam legem meditandi,atque urgendi, in Volſcos & Æquos legiones ducere decrevit. Sed cum id Tribuni eludere conarentur,quærerentq; quonam pacto exercitum educturi Conſules eſſent, quod delectū habere Tribunorum nemo paſſurus eſſet? Tum Quintius, nobis vero nihil delectu opus eſt, inquit, cum quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitoliū arma plebi dedit,omnes in verba juraverint: convēturos ſe juſſu Conſulis, nec injuſſu abituros: edicimus itaq; ut omnes qui in verba juraſtis,craſtina die armati ad lacū Regillum adſitis. Quibus dictis etſi Tribuni reſiſterent, plebemq; exolvere religione conarentur, quod id juramentum non Quintio,qui tūc privatus homo erat, ſed Con-

ſuli

ſuli præſtitiſſent, tamen plebs permota religionis reverentia, maluit conſules ſequi, quam videri in jusjurandum ulla ratione peccaſſe: uſq; adeo ſcilicet fœlicia erant illa tempora, hominesque minime mali: & ut Livius inquit: Nondum hæc, quæ non tenet ſeculum, negligentia Deûm venerat, nec interpretando ſibi quiſque juramentum, & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad ea accommodabat.

Hiſce ita conſtitutis cum Tribuni cernerēt, ſe non poſſe reſiſtere Coſſ. in eorum voluntatem & ipſi deſcenderunt, metu amittendæ dignitatis: pactumque ut toto anni ſpatio, neque ipſi de lege Terentilla quicquam agerent, nec conſules plebem ex urbe ad bellum evocarent. Atque hîc quoque cernis, Senatum religionis ope turbulentos hos tribunitiæ poteſtatis motus ſedaſſe, & præſentes difficultates ſuperaſſe: neque eas ſine illa ſuperare potuiſſe.

CAPUT XIV.

Romanos interpretari ſolitos auſpicia, ita, ut ad illorum inſtitutum atque voluntatem accommodarentur: Quod ſi quando Religionem negligere cogebantur, prudenti quadam explicatione: ſe eam obſervaſſe ſimulabant. Si quis tamen illam temere contempſiſſet, eum puniebant.

ERANT apud Gentiles Auguria, ut ante diximus, religionis, quam illi colebant, fundamētum: apud Romanos autem permultum

tum ad res bene gerendas etiam conferebant, atque hinc fiebat, ut illorum potiſſimam curam haberent: nam & in comitiis conſularibus iis utebantur, & in ſuſcipiendis expeditionibus, & in præliis committendis, & omni denique actione, quæ magni momenti eſſet domi militiæque: nec unquam expeditionem quampiam ſuſcepiſſent, quin prius militibus perſuaſiſſent, id Deorum immortalium inſtinctu à ſe fieri, qui victoriam populo Romano promiſiſſent. In exercitu autem variorum auſpiciorum uſus erat, & inter cætera, genus quoddã habebant, quod à Pullis Pullarium vocabatur, eoq; antequam prælium committerent, ſemper utebantur: ac ſiquidem paſcerentur pulli, bonis auſpiciis ſe prælium committere putabant: ſin minus, à dimicatione abſtinendum judicabãt. Quę ratio Auſpiciorum, etſi talem ſignificationem habere putaretur: ſi quando tamen evidẽtes rationes dimicandum eſſe ſuaderent, id faciebant perſæpe etiam contra Auſpiciorũ præſagia: ſed interim eadem præſagia, contra communem ſignificationẽ, dextre interpretabãtur, ne ſe cõtra illam quicquam feciſſe, aut religionem cõtempſiſſe viderentur. Tale quiddã præſtitit Papyrius conſul, in prælio, quod apud Aquiloniam contra Samnites maximum cõmiſit, & quo vires illorũ quam maxime fregit. Nã cum ad pugnandũ ipſe, atq; in exercitu omnes prompti paratiq; eſſent, & ex prælio victoriam certam ſibi pollicerentur: pullarium auſpicium

Pullaria auſpicia.

Liv. lib. 10.

tentavit. Sed cum pulli non paſcerentur, & tamen Pullarius ipſe, & qui cum illo erant noviſſent, quam prompti paratiq; eſſent, cum ipſius Imperatoris, tum cæterorum omnium animi ad pugnādum: ne iis rei bene gerendæ occaſionem præriperent, auſus eſt Pullariorum primarius auſpicium mentiri, & tripudium Soliſtimum conſuli nuntiavit, ac bonis auſpiciis prælium committi poſſe judicavit. Quibus ita cognitis, Papyrius acië ſumma diligentia inſtruit. Sed interim dum his intentus eſſet Imperator, altercatio inter Pullarios orta de auſpicio ejus diei: exauditaque ab equitibus Romanis, qui rem haud ſpernendam rati, Sp. Papyrio fratris Conſulis filio, de ejus diei auſpicio à pullariis ambigi renuntiarunt: quod cum ille inquiſiviſſet, & rem ita ſe habere intellexiſſet, ad Conſulem detulit: Cui ille, Tu quidem macte virtute diligentiaq; eſto: Cæterũ qui auſpicio adeſt, ſi quid falſi nuntiat, in ſemetipſum religionem recipit: mihi quidem tripudiũ nuntiatum populo Romano, exercituiq; egregium auſpicium eſt. Quæ cum dixiſſet, ut eventus ſuo præſagio reſponderet, mandavit centurionibus, ut Pullarios inter prima ſigna conſtituerent. Itaq dum ſigna promoverent adverſus hoſtes priuſquam clamor tolleretur, & concurreretur, emiſſo temere pilo ictus Pullarius ante ſigna cecidit, quod ubi conſuli nuntiatũ eſt, Reſpondit jam omnia bonis auſpiciis ſucceſſura, cũ Pullarius ſuo interitu mendacium expiaſſet: jamq

Deo

Deos placatos exercitui adfuturos. Quo loco cernis manifeſte, Papyrium ita interpretatum eſſe auſpicia, ut nec pugnandi occaſionem omiſerit, contra quam illa viderentur ſuadere: nec tamen quis illi poſſet etiam objicere, quod auſpicia, & religionem contempſiſſet. Contrarium accidit Appio Pulchro, cum primo bello Punico in Sicilia prælium committere vellet. Nam poſtquam Pullarii reſpondiſſent, pullos non paſci. Videamus, inquit, num forte bibere velint? & in mare conjectis pullis, cum hoſtibus manus conſeruit: ſed cum victus eo conflictu ſuccubuiſſet: Romæ damnatus eſt, nõ tam ob adverſam fortunam, quam quod auſpicia temere contempſiſſet. Papyrio vero, quod prudenter auſpiciorum ſignificationem fuiſſet interpretatus, honores decreti fuerunt. Eo autem ſpectabant hujuſmodi auguria omnia, ut miles ad dimicandum alacrior redderetur: ex qua alacritate victoria ut plurimum ſequebatur. Fuitque hæc auſpicandi ratio; non modo Romanis uſurpata, ſed aliis quoque gentibus, cujus exemplum capite ſequenti ſubjiciemus.

CAPUT XV.

Samnites ad Religionem, ceu ad ſummum extremumque remedium, rebus afflictis, confugerunt.

SAmnites à Romanis perſæpe prælio ſuperati, & demum in Thuſcia amiſſo exercitu ac ducibus militaribus plane fracti eſſe videban-

Liv. lib.10. tur, cum neque à Tuſcis, Gallis, aut Umbris, qui ſocii fuerant & una cum ipſis erant ſuperati, auxilium expectare poſſent. Eoque jam redierat illorum res, ut de illis Livius dicat: Nec ſuis nec externis viribus jam ſtare poterant, tamen bello non abſtinebant, adeo ne infeliciter quidem defenſæ libertatis tædebat: & vinci, quam non tentare victoriam malebant. Ad hujuſmodi anguſtas adducti, cũ extrema quæque tentare decreviſſent, & intelligerent tamen ſe vincere non poſſe, niſi obſtinatiſſimos haberent ad dimicandum militum animos: ad religionem ceu extremum remedium confugerũt. Nam ex libro vetere, ſacerdote Ovio Pacio, homine magno natu, ſacrificiũ ex antiqua Samnitum religione petierunt. Sacrificio perfecto, eorum Imperator per viatorem jubebat acciri nobiliſſimum quemque. Apparatus Sacri talis erat, qui animum religione perfundere poſſet. *Sacrificium veterum Samnitum.* Nam locus erat cratibus conſeptus in medio caſtrorum, puteisque ac linteis contectus, patens ducentos pariter pedes in omnes partes: In medio Aræ, victimæque circa cæſæ, & circumſtantes centuriones ſtrictis gladiis. Admovebatur altaribus miles, ut victima magis, quam ut ſacri particeps, adigebaturque jurejurando, quæ viſa auditaque in eo loco eſſent, non enunciaturũ: deinde jurare cogebatur diro quodam carmine, in execrationem capitis familiæq; & ſtirpis compoſito, niſi iſſet in prælium quo Imperatores duxiſſent: & ſi aut ipſe ex acie fugiſſet,

ſet, aut ſi quem fugientem vidiſſet, non extemplo occidiſſet. Id primum quidam abnuentes jurare: obtrūcati circa altaria ſunt, jacentes deinde inter ſtrages victimarum, documento cæteris fuerunt, ne abnuerent. Hoc ſacramento aſtrictos, ut majore religione tenerentur, variis etiam ſignis ornaverunt; nam ex quadraginta millibus, quos collegerant, mediā circiter partem veſtimentis albis induerunt, iisque arma, inſignia, & criſtatas Galeas attribuerunt, ut inter cæteros eminerent; tandemque ad Aquiloniam conſederunt. Sed adverſus eos tamen Papyrius Conſul dimicaturus, ea omnia parvi fecit, & ſuos ne hujuſmodi religioſo ſacramento tenerētur, alloquens. Non, inquit, Criſtas vulnera facere, ſed per picta, atque aurata ſcuta tranſire Romanum pilum, & candorē veſtium fulgentemq; aciem, ubi res ferro geratur, cruentari. Hæc omnia denique in illorum caput tranſitura, cum nephando ſacro, hominū, pecudumq; cædem miſcuerint, & ob fracta toties fœdera, Deos, cives, atque hoſtes adverſus ſeſe irritarint. In conflictu tandem vicere Romani, quod illorum virtus, majorem Samnitibus metum incuſſiſſet, ob memoriam toties acceptæ cladis, quam iis religio potuerit, vel virtutis vel pertinaciæ ad pugnandum infundere. Quod etſi ita ſit; videmus tamen manifeſte, quod rebus tantopere afflictis, ad religionem tanquam extremum remedium cōfugerint: nec in ulla alia tātam ſpem recuperandæ virtutis poſuerint:

ex quo intelligere licet quantum præſidii, quis in veræ religionis recto uſu habere queat. Itaq; de hac re, hoc loco diſſerendum putavi, tanquam de ea, quę ex maxime neceſſariis Romanæ Reip. conſtitutionibus dependebat.

CAPUT XVI.

Si quis populus conſuevit ſub Principis imperio vivere, non poſſe eum libertate frui, nec eam conſervare, quamvis illam caſu aliquo acquirat.

SI quis populus ſub Principis imperio vivere conſuevit, & caſu aliquo acquirat libertatē, ut Romanis accidit, poſtquam Tarquinios expuliſſent: ei difficile eſt libertatem conſervare: ut hiſtoricis exemplis quamplurimis probari poteſt. Neque caret hæc res ſuis cauſis, & rationibus: nam plebs habet ſimile quiddam cum fera, quæ etſi ſua natura in ſylvis paſtum quærere, & latebras ſuas habere ſoleat: ſi quę tamen captiva à teneris annis, in carcere nutrita fuerit: ea deinde, ſi in liberos campos libera dimittatur, neque paſtum quærere, neque latebras, in quibus ſe occultet, invenire novit: itaque facile rurſus incidit in caſſes cujuſvis, qui illam deinceps venari conabitur. Idem accidit populo, qui conſuevit ſub aliorum imperio vivere, & ad nutum aliorum gubernari. Nam etſi caſu quodam libertatem conſequatur: tamen neque rationes novit quibus ſe defendere, aut alios offendere poſſit, nec cum principibus vicinis ali-

quam

quam notitiã habet, per quos auxiliũ aliquod ſperare queat,ad conſervandam libertatẽ.Itaq; ſpõte redit ſub idem jugum aut etiam deterius quam id, quod modo excuſſerat: idq; illi accidit quamvis nõ ſit omnino corruptis moribus. Quod ſi plane corruptis moribus fuerit, tũc ne pauxillum quidẽ temporis poterit frui libertate: uti poſtea docebimus. De eo populo ergo noſtra ſit inſtituta oratio, in quo, ſi non omnes attamẽ major pars viri boni fuerint. Nam & in eo alia quædam, & quidem præcedente major difficultas ſeſe offert: Quoniam excuſſo jugo tyrannidis, ſi quando libertas acquiritur: non fieri poteſt, quin hoſtes ſimul acquirãtur, quorum intereſt ne libertas duret: econtra autem non acquiruntur amici, quorum interſit ut illa conſervetur. Id ita intelligas velim. Quicunq; durante tyrannide principi familiares erant, & muneribus ab eo præfecti, illius opibus fruebãtur: ii omnes ægre ferunt, ſe excuſſo tyrannidis jugo, loco motos eſſe: quamobrem operã dant ſi quæ occaſio ſe offerat, ut in priorem dignitatem reſtituantur, atque ita libertatis hoſtes, ad tyrannidem rurſus aſpirant. Amici verò, quorum interſit, ut libertas conſervetur, quiq; tanto ſtudio eam tueantur, excuſſa tyrannide, non acquiruntur: quoniam in libera Repub. honores, officiaq; iis tribuuntur, qui vel ſua virtute, ac benefactis erga Remp. vel alia aliqua honeſta ratione eos meriti eſſe videntur. At ſi quis id, quod videtur meritus eſſe, à Republ. obti-

net;nihil ſingulare ei debere ſe putat, quoniam id ſuis meritis,non Reip.liberalitati,aut gratiæ tribuendum æſtimat.Preterea,nemo eſt etiam, qui communem illam libertatis utilitatem , ex æquo ad omnes redundantem,recte agnoſcat: quiq; recte æſtimet, quam bonum jucundumque ſit , ut res ſuas libere poſſidere ſine cujuſquam metu poſſit,& ut cōjuges, liberosq; ſuos ab omni injuria tutos conſervare queat. Nemo enim eſt , qui ſe fateatur quicquam ei debere , à quo non læditur, eo ipſo quod non lædatur. Quæ cũ ita ſint,nulli conciliantur nuper partæ libertati tales amici , qui putent tantum intereſſe ſui , ut libertas conſervetur : quantum putant intereſſe ſui hoſtes illi,qui excuſſa tyrannide, ſuis muneribus privati dejectiq; de illo dignitatis gradu, fuerunt. Quod ſi rationẽ quæris, qua poſſit quis in Rep. quæ forte ex caſu libertatem acquiſivit , remedium opponere iis malis , quibus libertas amitti queat per hujuſmodi domeſticos hoſtes? Ad id ego reſpondeo, Romanorum exemplum imitari oportere: qui Bruti filios necaverunt,quod ipſi una cum aliis quibuſdam è ſumma nobilitate adverſus patriam conjuraſſent:eo,quod ſub conſulum imperio non liceret ipſis frui ea licentia,qua durãte Tarquiniorum regno fruebantur : exiſtimarentq; populi Romani libertatem in ſuam ſervitutem vertiſſe. Quod , ſi quis ergo populum quempiã gubernare cupiat, ſive ita, ut liber ſit, ſive, ut ſuo imperio pareat : in id præcipue ſta-

tim

tim à principio incumbere debet, ut tutus ſit ab iis, quos exiſtimabit huic ſuo imperio hoſtes eſſe: alioquin enim neutiquã diu regnabit. Sed interim neque hoc ignorare oportet: quod is Princeps infœlix ſit, qui id nõ poſſit aliter facere, quam per cædes, & homicidia; Nam eũ populo inviſum fieri certũ eſt: & quo majori crudelitate ad ſui defenſionem uti cogitur, tanto magis infeſtam ſemper habebit populi multitudinem: & hoc ipſo infirmiores vires habebit: nec ullum majus remedium eſſe poteſt imperii confirmandi, quam ut tibi populi benevolentiam cõcilies. Et quia ex diſputatione de Rep. per occaſionem ad Monarchiã digreſſi ſumus, ne opus ſit alibi de hac re diſſerere: hîc quoque oſtendam breviter, quid de prima illius inſtitutione ſentiam. Quod, ſi quis patriæ ſuæ imperiũ forte obtinuerit, cupiatq; populum, qui illi offenſus ſit, reconciliare, ſibiq; benevolum efficere: is conſiderare debet, quidnam ſit, quod is populus maxime appetat. Deprehendet autem eum duas res maxime deſiderare: nam & vindictã adverſus illos, qui amittendæ libertatis cauſa fuerunt, optabit, & ut in priſtinã libertatem reſtituatur. Horum alterum populo largiri poteſt, eumq; voti plane compotem efficere: alterum etſi non poſſit omnno concedere, poteſt tamen ejus aliquã ſpeciem dare. Prioris exemplum in promptu eſt. Clearchus Heraclienſium tyrannus ſemel in exiliũ pulſus fuerat; ſed cum civitas recuperata libertate inteſtinis

factionibus laboraret, cernerentque optimates, ſe à plebeis vinci: conjuratione facta, urbem, erepta populo libertate, Clearcho tradiderũt. Clearchus occupato urbis imperio, cum ſe in media cum plebeïorum, tum optimatum turba conſtitutum cerneret, ſimulque animadverteret ſe, cum horum immenſis cupiditatibus ſatisfacere, tum illorum rabiem, qui amiſſę libertatis dolorem conquerebantur, ſimul non poſſe ſedare: decrevit ſpreta optimatum ſuperbia, plebem ſibi conciliare: arreptaque occaſione, optimates omnes interfecit: eaq; in re præclare ſatisfecit iracundiæ plebis, quam ob amiſſam libertatem adverſus optimates conceperat. Alteri plebis deſiderio, quo in priſtinam libertatem reſtitui cupit, cũ princeps per omnia ſatisfacere nequeat: cauſas certe expendere debet, propter quas id plebs expetat: quæ quidem duæ fere erunt. Quidam enim, ſed perpauci, id petent, ut ipſis dominari & publicis muneribus præfici liceat: Cæteri omnes non niſi propterea liberi eſſe cupiunt, quam ut rebus ſuis tuto & pacate frui queant. Ex priorum numero perpauci eſſe ſolent, cum in libera Rep. raro plures quam quadraginta aut quinquaginta eſſe ſoleant, qui rerum potiantur, quamobrem ſe adverſus hos munire poterit princeps, partim eos è medio tollendo: partim etiam illorum operam, in adminiſtrandis rebus uſurpando. Poſteriores longe plures ſunt, quibus ſatisfieri poteſt: ſi leges ferantur, quibus & de principis potentia,

tētia, & plebis ſecuritate eadem ratione caveatur. Id enim ſi princeps fecerit, neq; deinde haſce leges ullo modo violaverit: efficiet brevi tempore, ut populus ſe tutum eſſe intelligat, & pacifice quieteq; vivat. Exemplo nobis eſſe poteſt Galliæ regnum, quod ob eas cauſas pacatum eſt, quia Reges ejus multis legibus ad conſervandam populi ſecuritatē obligantur. Nam à principio ita inſtitutum fuit hoc regnum, ut reges & redditibus pro arbitrio fruerentur, & quæ ad rem bellicam pertinent pro libito adminiſtrarent: de cæteris nihil, niſi ſecundum leges diſponerent. Si quis Princeps ergo, aut Reſpub. non ſe ſtatim à principio adverſus hujuſmodi pericula muniverit: tunc ſaltem id faciat oportet, quod Romani necatis Bruti filiis fecere, prima quaque occaſione: eam ſi quis neglexerit, ſeram pœnitentiam aget. Populus Romanus certe expulſis Tarquiniis, oblatam libertatem non, niſi iis rationibus, de quibus jam diſſeruimus, conſervavit: ad quam rem illi plurimum profuit, quod nondum eſſent corrupti civium mores: quod ſi corrupti fuiſſent, neque hiſce, neque ullis aliis remediis id facere potuiſſet. Nam neque alibi id fieri poteſt, ut capite proximo diſſeremus.

Caput XVII.

Quam difficile ſit, ut populus, qui corruptos mores habeat, partam nuper libertatem conſervare poſſit?

NISI Reges ſtatim fuiſſent expulſi Roma, neceſſe erat, ut mihi certe videtur, urbem debilitari, & priſtinam virtutem roburque amittere. Cōſidera enim quā pravis corruptisque moribus eſſent jam tum reges illi? Quod ſi eadem corruptela ad tertiū uſq; ſucceſſorem propagata fuiſſet, facile ſerpſiſſet etiam in populum, eoque infecto, nunquam potuiſſet civitas reſtaurari, & vires, virtutemq; ſuam recuperare. Sed quoniam pernicies hæc occupaverat quidem Reip. caput, membra cætera nondū infecta erant: potuere, ſublato pernicioſo illo capite, reliqua membra ſanari, & parta libertas conſervari. Pro certo enim ſtatuere oportet, civitatem eam, quæ principis imperio conſueverit parere, & in qua mores hominū plane ſunt depravati, non poſſe conſervare ſibi libertatem, ſi eam occupaverit, ne quidem ſi univerſa ejus principis familia extirpetur: ſed ſubinde novis dominis parere cogetur, qui ſe mutuo expellēt: abſque principe vero nunquam ſubſiſtet: niſi unus aliquis forte in ea civis, extiterit: cujus tum virtus heroica, tum bonitas illam aliquandiu conſervet. Sed neq; id quidem diutius durare poterit, quam vita ejus, qui illam conſervat: ut Syracuſanis accidiſſe novimus: qui Dio-

nis,

nis, & Timoleontis virtute diverſis temporibus libertatem cōſervarunt: ſed iis vita functis, ſub antiquum tyrannidis jugū redierunt. Omnium vero evidentiſſimum eſt exemplum Romanorum, qui ejectis Tarquiniis, rationem conſervandę libertatis ſtatim apprehenderunt: ſed interempto C. Cæſare, ſublatoque C. Caligula, atque Nerone una cum tota Cæſarum ſtirpe, nec conſervare libertatem, nec ejus aliquod principium introducere potuerunt. Cujus diverſitatis ratio ex eo tantum pendebat, quod Tarquiniorum tempore non eſſent corrupti populi Romani mores, ſicuti poſtea C. Cæſaris, Caligulæ, atque Neronis ætate fuerunt. Id autem vel ex eo colligere potes, quod tunc, ad conſervandum populi adverſus tyrannidem ſtudium, ſufficiebat jusjurandum, quo juravit nunquam ſe conſenſurum, ut quis Romæ regnaret: ſed interfecto C. Cæſare, nec Bruti autoritas, atq; ſeveritas, neq; legiones ad Orientem diſpoſitæ, populum permovere potuerunt, ut libertatem quam ad primi illius Bruti imitationē in urbem introduxerat, conſtanti firmoq; animo defenderet. Tanta ſcilicet corruptela infecti jam erant populi Romani mores, præſertim eorum, qui Marianæ factionis fuiſſent: in qua cum C. Cæſar principatum obtinuiſſet, plebem ſibi conciliaverat, ſenſimque ſubjecerat, tanto artificio, ut jugum quod cervicibus eorū imponebatur, non ſentirent. Hoc Romanorum exemplum propoſitæ diſputationi cō-

venientiſſimum eſt: ſed neque deſunt exempla eorum populorum, quibus idem quod Romanis, noſtra quoque ætate accidit. Nam Mediolanenſes & Neapolitani, quocunque modo ſervitutis jugo liberentur, libertatem nunquam conſervare poſſunt: idque illis accidit ob depravatos corruptosque omnium mores. Mediolanenſes ipſi, mortuo Philippo vicecomite libertatem conſequuti erant: ejuſque conſervandæ rationem introducere voluerunt, ſed conſervare non potuerunt. Romanis ergo fauſtum fortunatumque fuit, quod eorum reges mox inſoleſcere & depravatis moribus eſſe cœperint: nam ita factum eſt, ut expulſi fuerint, antequam illa morum corruptela etiam in populum ſerpere potuerit: quæ ſi eum etiam infeciſſet, non potuiſſent tot plebis ſenatuſque contentiones poſtmodum ortæ, tam fœlicem finem ſortiri, ut urbi profuerint potius, quam damnum ullum attulerint. Ex quibus nos inferri poſſe dicimus, longe pluris intereſſe, ut populus probatis moribus ſit, quam ut bonas leges habeat. Neq; enim illæ in corrupta civitate prodeſſe poſſunt, niſi ab aliquo præpotenti ſeveroque cive cuſtodiantur, urgeanturq; eo uſq; donec homines iis parere conſueſcant. Sed idipſum quam difficile eſt? Nam etſi quæ civitas, ob corruptelam populi, declinare verſus interitum incipit: eam quoq; reſtaurari non poſſe oſtendimus, niſi forte ſingulari alicujus civis virtute, qui bonas leges in uſum revocet: Idipſumque

que non diutius durare monſtravimus, quam idem hic vir ſuperſtes ſit: eo vita functo redeũt denuo omnia in antiquum ſtatum: ſicuti Thebanis accidiſſe legimus, qui Epaminondæ auxilio atq; virtute, Remp. recte inſtitutam conſervarunt tamdiu, quamdiu ille vixit: ſed poſtquam ille ex hac vita migraſſet, ad antiquam morum pravitatem redierunt. Ratio eſt, quod nemo tam longævus eſſe poſſit, ut malis moribus longo tempore aſſuetam civitatem, ea morum pravitate exuere queat, & aliis bonis moribus aſſuefacere. Oporteret enim eum qui tale quiddam præſtare conetur, longiſſimę vitæ eſſe, aut certe plures eadem virtute ſibi mutuo ſuccedere: quod ubi non accidit, ad interitum rurſus omnia tendere oportebit: niſi quis multis cædibus, atque periculis in hujuſmodi depravatam civitatem, plane novam Reip. formã, eamque meliorem introduxerit. Sine magnis enim motibus nequit recte inſtitui civitas, ad conſervandam libertatẽ, quæ ad ipſam ob pravos populi mores, inepta erat: propterea, quod in ea ſoleat eſſe magna diſtributivæ juſtitiæ inæqualitas, quæ ſine magnis motibus ac vehementibus remediis, emendari non poteſt: & perpauci ſunt qui iis recte uti, aut velint aut noverint, qua de re alio loco diſſeremus.

CAPUT XVIII.

In ea civitate, cujus populus corruptos mores habeat, ſi qua occaſio libertatis ſe offerat, qua ratione quis eam vel conſervare præſentem, vel abſentem aucupari, atque inſtituere queat?

NON ab re mihi facere videor, ſi iis quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, quæſtionem adjungam, qua quæritur, num in civitate, quæ corruptos habeat civium mores, ulla ratio ſit conſervandæ libertatis, ſi quando ex aliquo caſu illi contingeret? aut ſi illa non ſponte ſe offerat, num aliquis ejus comparandæ modus eſſe queat? Hac de re ego certe pronuntio, utrunque propoſitæ quæſtionis membrum difficillimum eſſe: & quamvis in re tam dubia, difficulter certi quippiam conſtituere queamus, quod in moribus civitatis corruptis, etiam magnum diſcrimen ſit ſecundum magis & minus conſideratum: tamen cum de cæteris omnibus ſubtiliter diſputare decreverimus, neque hoc problema negligere decrevimus. Quod ſi ergo corruptelam morum civitatis ſummam eſſe: tanto quoq; majorem difficultatem confiteri oportebit, ad id, quod propoſitum eſt conſequendum: quod vix vllæ leges ſummam populi corruptelam frenare queant. Nam neq; boni mores, in civitate abſque bonis legibus: neq; bonæ leges, niſi per bene moratos homines conſervantur. Sed neque leges, quæ in ipſo ortu Reip. à bo-

à bonis viris latæ ſancitæq; ſunt ſufficientes utilesq; ſunt ad eos cives frenandos, qui in eadẽ Rep. à majorum virtute degenerarunt, & pravi facti ſunt. Quibus deinde hoc etiam accedit, quod etſi leges in Rep. quandoque mutentur, & ad præſentem neceſſitatem accommodentur, antiquæ tamen conſuetudines atque ſtatuta rariſſime immutantur: eoque fit, ut leges novæ minus prodeſſe queant, ad tollenda vitia quæ regnant. Quæ, ut recte intelligas, ſic accipe. Romæ antiqua conſuetudo antiquumque ſtatutum erat, quo Reſp. in Senatum atque populum diviſa erat, pendebatq; omnis poteſtas, vel à populo, vel à Senatu, vel à conſulibus, vel deniq; à tribunis plebis: ratio item creandi magiſtratus ferendarumque legum antiqua quadam conſuetudine dependebat. Hæ conſuetudines in Rep. ex nullo unquam motu, vel certe parũ omnino immutatæ ſunt: certæ leges ſubinde fixæ & refixæ fuerunt, prout, quæ ſubinde graſſabantur vitia, idipſum poſtulare videbantur. Atque hæc ratio fuit legis de adulteris, legis item Sumptuariæ, Ambitus atque aliarum hiſce ſimilium, quæ ſubinde ferebantur, prout occaſio id poſtulabat. Sed eędem tamen nõ poterant in tanta morum corruptela, ſolæ bonos cives efficere: quod eos tunc non aliter ad frugem reducere liceret, quam ſi cum novis hiſce legibus etiam antiquæ illæ conſuetudines atque ſtatuta immutata fuiſſent, & nova plane forma Reip. introducta. Nam, quod antiquæ

illæ

illæ conſuetudines non amplius ex uſu Reip. eſſent, cum civitas in tantam morum corruptelam incidiſſet: id ex modo creandorum magiſtratuum maxime, ac ferendarum legum ratione manifeſtum eſſe poteſt. Quod enim nec cõſulatus neque reliquæ ſummæ dignitates cuiquam conferebantur, qui non ad ea ex profeſſo aſpiraret, eaque peteret, id antiquitus quidem recte uſurpabatur. Neque enim quiſquam indignus ad illa officia aſpirabat: & ſi qui digni illa petiiſſent, non facile patiebantur repulſam, quod cum boni cives eſſent, non ea ignominia quenquam afficerent. Sed hæc ipſa conſuetudo, poſtquam corrupti fuiſſent civium mores, Reip. nequaquam amplius ſalutaris aut utilis erat: nam hinc fiebat, ut ad hos magiſtratus aſpirarent, non qui virtute ſed qui potentia, & gratia reliquos ſuperabant, qui tenuiores erãt, quamvis virtute excellerent, hujuſmodi honores petere non audebant, metuentes repulſam. Atque hic creandorum magiſtratuum abuſus, non ſubito, ſed ſenſim, ut & in cæteris rebus evenire ſolet, irrepſit in Remp. Nam poſtquam domaſſent Aſiam & Africã, totamq; fere Græciam in ſuam poteſtatem redegiſſent: ſecuri eſſe videbantur, neque hoſtes ſe habere putabant à quibus libertati ſuæ aliquod periculum impendere poſſet. Hæc ipſa autem ſecuritas, & quies effecit, ut in creandis magiſtratibus, Pop. Romanus primo conſulatum non tam iis conferret, qui virtute excellerẽt, & hoſtes ſuperare poſſent,

Creandi magiſtratus ratio apud Romanos.

poſſent, quam iis, qui gratia valerent, quique homines præhenſare, & eorum benevolentiam ſibi conciliare noviſſent. Secundo adhuc in pejus ruens, eundem conferebat illis, qui potentia valerent: ſicque paulatim factum eſt, ut virtutis nulla ratio haberetur. In ferendis autem legibus licebat Tribuno plebis, & cæterorum quoque civium unicuique, legem, quam ex uſu Reip. eſſe putaret, populo diſputandam proponere, ut omnes ac ſinguli cives, quid de ea ſentirent, publice pronuntiare poſſent antequam illa ſanciretur. Quæ conſuetudo olim, cum cives omnes viri boni beneque morati erant, Reipub. utique proderat: cum interſit, ut ſi quis eſt cæteris prudentior, id poſſit in communem civium uſum conferre, quod novit Reip. utile eſſe: & refert etiam non parum, ut de eo quod publice rogandum ſit, unicuique ſententiam dicere liceat, ut plebs, auditis omniũ ſententiis, optimam quamque eligere queat. Sed poſtquam cives depravati, & in tãtam morum corruptelam lapſi ſunt, nõ utilis, ſed pernitioſa fuit eadem conſuetudo, quod ſoli potentes leges proponere auderent, & eas quidẽ tales, quibus magis ipſorum potentia confirmari, quam libertas publica conſervari poſſet: nec audebat etiam contra haſce eorum leges quiſquã diſputare, quod illorum potentia formidabilis eſſet: atque ita fiebat: ut eas populus in ſuam ipſius perniciẽ amplecteretur. Hæc unica ergo ratio erat, qua Roma iñ tanta morum corruptela li-

Ratio ferendarũ legum Romæ ut in abuſum venerit.

berta-

bertatem potuiſſet conſervare : ſi & novis legibus vitia, quæ graſſabantur, ſubinde emendaſſent: & legum fundamenta ipſas antiquiſſimas ferendarum legum creandorumque magiſtratuum cōſuetudines plane immutaſſent, & præſenti tempori accommodaſſent. Neque enim poſſunt eadem fundamenta legum convenire ei Reip. quæ cives habet male moratos, malosque, ut conveniebant ei, quæ cives bonos ac bene inſtitutos habebat: quod contraria ſubjecta non debeant eodē modo tractari. Sed quoniam hujuſmodi antiquarum conſuetudinum mutationem, neceſſe eſt vel ſimul ac ſtatim fieri, poſtquam cognitæ fuerint præſenti tempori non convenire: aut ſenſim paulatimque antequam ab omnibus id animadvertatur: dico utrumq; difficillimum eſſe. Senſim enim ſi mutentur hujuſmodi antiquæ conſuetudines; neceſſe eſt id, ab aliquo ſapiente cive, inſtitui, qui è longinquo videat, quam ſint futuræ Reip. periculoſæ. Sed quam facile rurſus huic ſapienti, ſe alii cives opponere poterunt ? quibus non perſuadere poterit, id, quod ipſe è longinquo cernit: præterea, omnes ita ſumus affecti, ut ab antiqua vivendi conſuetudine non libenter diſcedamus. Quod ſi emendandæ ſint hæ antiquę conſuetudines tunc, cum jam conſtat eas Reip. inutiles periculoſasque eſſe, & proinde ſimul tollendas è medio : ne id quidem ſine magno periculo atq; difficultate fieri poteſt: quod ad eam rem non ſufficiant media legibus con-

ſententia, quæ neque ipſa quidem periculo vacant: ſed confugiendum ſit ad novas quaſdam rationes, adeoq; ad arma ipſa veniẽdum. Nam antequam Reip. formam plane innovare poſſis, eamque ex animi tui ſententia inſtituere: neceſſe eſt ut ipſe, vel per vim, imperium ejus obtineas. Sed quia is qui Remp ad libertatem conſervandam inſtituere informareque vult, vir bonus eſſe debet: Urbis imperium vero occupare per vim, non eſſe ſolet viri boni officium: idcirco vix inuenietur qui propoſitum habens tam bonum Reipub. bene inſtituendæ finem, ut id efficere queat, ejus imperium per vim occupare conetur. Neque etiam facile invenies eum, qui imperium urbis malis artibus ſibi comparavit, poſtea velle hanc ſuam potentiam, quam male quæſivit, ad populi ſalutem uſurpare. Ex hiſce cauſis omnibus ergo dependet difficultas, propter quam civitas corruptis depravatisque moribus, libertatem vix conſervare, ac multo minus etiam comparare eam poſſit. Quod ſi autem ulla ratio extet id efficiendi: ad eam exiſtimo plurimum conferre, ſi Reip. forma ita inſtituatur, ut ad Democratiã vergat: nam hoc modo fortaſſe licebit inſolentiam civium, quæ legibus frenari nequit, propoſita neſcio qua potentia, quæ illis regia videbitur, corrigere, & in officio continere. Quod ſi quis per vim id tentet, nequaquam effugere poterit crudelitatis notam. Nam etſi Cleomeni, qui Ephoros interemit, & Romulo qui fratrem

trem Remum, ac poſtea ẽt T. Tatium Sabinum è medio ſuſtulit, res bene ſucceſſere, quod bene & ad Reipub. ſalutem potentia ſua uſi fuerint: tamen id obſervare oportet, quod neuter illorum cives haberet ea morum corruptela imbutos, de qua hîc diſſeruimus: eaque de cauſa fuit: ut potentia ſua uti: & crudelitatem bonitate eventus excuſare potuerint.

CAPUT XIX.

Si principi, qui excellenti animo, & virtute fuit, ſuccedat is, qui ei virtute inferior ſit: poſſe eum ſubſiſtere: ſed ſi huic rurſus alius ſuccedat, qui itidem parum excellens ſit: non poſſe eum conſervare imperium.

SI virtutem Romuli diligenter quis contempletur, & vitæ rationem item eorum, qui ei ſucceſſerunt, Numæ Pompilii, Tulli Hoſtilii & aliorum, non poteſt non admirari, quam fortunata Roma iis Regibus fuerit: primus ferox fuit, & bellicoſus. Secundus tranquillus & religioni deditus. Tertius primo ſimilis, belli potius, quam pacis ſtudioſus. Neceſſe quidẽ erat Romanis, ut ad politicam vivẽdi rationẽ à principio urbis inſtituerẽtur, quod Numa præſtitit: ſed tamen niſi reliqui reges poſtea, Romuli virtutem imitati fuiſſent, eodemq; belli ſtudio flagraſſent, effœminati fuiſſent civium animi, & urbs alicujus vicini principis præda extitiſſet. Atque hîc obſervandum eſt, ſi præpotenti, ferociq; principi alius ſuccedat, qui non ſit tanta virtu-

virtute, ut anteceſſor erat: poſſe eum tamen vel ſui prædeceſſoris virtute imperium conſervare. Sed ſi vel ipſe diuturnioris vitæ fuerit, aut poſt illum alius ſuccedat, qui non inſiſtat veſtigiis primi, ejuſque virtutem imitetur: neceſſe erit ejus imperium ruere. Quod ſi vero ecõtra bini excellenti virtute ſe mutuo conſequãtur: quam plurima præclare præſtare poſſunt, ut eorũ nominis gloria latiſſime extendatur. David procul dubio vir fuit cum doctrina, tum rei militaris peritia & prudentia inſignis: tantaque fuit ejus virtus, ut devictis omnibus ſuis vicinis, Regnum Salomoni filio pacificũ quietumq; tradiderit: qui id pacis nõ belli artibus cõſervavit, ob paternæ virtutis memoriam, qua fruitus eſt. Non potuit tamen id regnum Rhoboamo filio tale relinquere, quale ipſe à patre acceperat: nã cum is neq; ejuſdem cũ Avo virtutis eſſet, neq; eadem uteretur fœlicitate, qua pater Salomon uſus erat: vix ſextam ejus regni partem poſſidere potuit. Baiſettus Sultanus Turcicus etiam, quamvis pacis magis quã belli ſtudio delectaretur: potuit tamen imperium, quod à Machomete patre, principe bellicoſiſſimo firmiſſimũ acceperat, conſervare: ſed niſi filius ejus Selimus qui noſtra ætate regnat, Avi artes denuo ſecut⁹ fuiſſet, collapſum fuiſſet ejus imperiũ: ſequitur autem hic aut ẽt ſuperat avi ſui gloriam. Itaq; vel ex hiſce exemplis colligere licet, quod poſt principẽ bellicoſum atq; excellentem, imperium conſervare poſſit ẽt ſucceſſor puſillanimis

mis : ſed ſi eundem puſillanimum atque infirmum ſequatur alius ſimilis , is non poteſt imperium conſervare, niſi forte, ut in Galliæ regno cernimus, antiquæ conſuetudines atque leges id muniant atque defendant. Infirmos autem dico eſſe omnes principes, qui belli artibus non ſunt exercitati : tantam autem fuiſſe Romuli virtutem & rei militaris peritiam ut qui eum ſecutus eſt Numa Pompilius, pacis artibus Urbem per multos annos prædeceſſoris ſui beneficio gubernare potuerit. Numam ſecutus eſt Tullus Hoſtilius, qui eadem cum Romulo ferocitate atque animi magnitudine, idem quoque nomen apud exteros mox ſibi comparavit. Huic ſucceſſit Arvus, qui & pacis & belli artibus pollebat. Sed cum primo pacis ſtudio ſe dediſſet, animadvertit ſe à vicinis contemni: & pro effœminato homine haberi: oportere ergo ad urbis imperium conſervandum Romuli potius, quam Numæ veſtigiis inſiſtere. Atque hic licet exemplum deſumere omnibus principibus utile : quicunque enim ex illis Numæ veſtigiis inſiſtere volent, ii aut conſervabunt aut nõ conſervabunt imperium, prout fortuna illis faverit: Sed, qui Romulum imitari potuerit cum armis, tum prudentia ; is ſemper imperium conſervabit, niſi ſummum aliquod infortunium eum opprimat. Certum eſt etiam quod niſi Tertius Romanorum Rex talis extitiſſet, qui ſibi armis autoritatem nomenque Romuli comparaſſet: vix unquam potuiſſet ea urbs

urbs ita emergere, ut tot tantasque res patraet. Quamdiu enim regibus paruit, tamdiu obnoxia fuit periculo, ne ſub aliquo aut infirmo; aut pernicioſo rege peſſundaret.

CAPUT XX.

Quòd ſi bini principes excellenti virtute, continua ſerie in imperium ſuccedant: poſſe eos multa præclara facinora præſtare. In liberis quoq; Rebuſp. neceſſe eſt ad illarum fœlicitatem augmentumque imperii, ut continua ſerie boni gubernatores ſequantur.

POST quam Reges Roma pulſi fuiſſent, liberata eſt urbs iis periculis, de quibus ante diximus: ne ſi quis aut infirmus aut infœlix, pernicioſusque ſuccederet, ruinam pateretur: nam ſumma imperii ad Conſules redacta eſt, qui nec jure hæreditario, nec malis artibus aut ambitione, ſed liberis civium ſuffragiis maturo conſilio eligebantur. Cum ergo illi eſſent ſemper viri virtute præſtantes, non difficile fuit urbi Romæ, ut eorum virtute innixa, adjuvante etiam eorum temporum conſtitutione, quæ illis fortunata eſſe videbatur: tanto temporis ſpacio, quanto ſub Regibus fuiſſet, ad illud imperii faſtigium aſcenderet. Quod ſi enim binorum principum virtute excellentium continua ſucceſſio, ut Philippi & Alexandri magni, orbis propemodum totius imperium occupare potuit: multo magis contingere idipſum poteſt

tali Reip. penes quam eſt eligere, non binos ſed infinitos principes virtute excellentes, qui ſibi continua ſerie ſuccedant: cujus rei cura in Rep. bene inſtituta, præcipua eſſe debet.

CAPUT XXI.

Vituperandum eſſe illum Principem, atque eam Remp. quæ non poſſit proprio milite uti, neque cives ad militiam idoneos habeat.

QUI principes atque Reſpub. noſtro tempore imperant, ſi ad ſui defenſionem, aut etiam cum aliis bellum inferendum eſt, non poſſint proprio milite uti, neque ſuis ſubditis confidere auſint: eos merito pudere debet. Et Tulli Hoſtilii exemplo cognoſcere licet, ejus rei cauſam non à ſubditis pendere, quoniam ubique gentium naſcantur homines apti ad arma tractanda: ſed ab ipſis magiſtratibus, qui populum militari diſciplina inſtituendum non curaverunt. Nam cum Tullus in regnum Numæ ſucceſſit, pacem habuerat urbs annis quadraginta, nec quiſquam civium erat, qui unquam in bello fuiſſet: nihilominus tamen cum bellum gerere decreviſſet, neque Samnitum opera uti voluit, neque Tuſcorum, neque ullorum aliorum, quicunq; tandem eſſent, quamvis in armis perpetuo fuiſſent: ſed ut erat prudentiſſ. propriis civibus uti voluit: itaq; eos etiam diſciplina militari ita inſtituit, ut brevi tẽporis ſpacio præſtantiſſimos eos effecerit milites.

tes. Ex quibus facile intelligis, veriſſimum eſſe quod pronũciavi prius, ſicubi homines ſint inepti ad arma tractanda: id neq; à loci natura, neque ulla alia cauſa, quam principis negligentia pendere, qui non inſtituit diſciplinam militarem, qua ſubditi exerceantur. Hujus rei extat exemplum aliud adhuc recens. Omnes enim ſcimus Regem Angliæ ſuperioribus annis cum Galliæ regnũ invaſiſſet, nullo alio milite quam Anglico uti voluiſſe: quamvis Angliæ regnum triginta annos pacem habuiſſet, nec extaret in eo quiſquã aut miles aut dux, qui in militia fuiſſet: cũ econtra Galli tunc in bellis Italicis diutiſſime verſati, & exercitati eſſent. Quæ omnia facere auſus fuit tunc Rex prudẽtiſſimus, quod ſciret ſe ita regnum ſuum inſtituiſſe ut etiã pacis tẽpore belli ſtudia tractarentur, & diſciplina militaris exerceretur. Pelopidas etiam atque Epaminondas Thebani, liberatis Thebis ex ſervitute Spartanorum, quamvis cives haberent, qui ſervire, & imperio aliorum parere conſueviſſent, ac proinde effœminati viderentur, ita eos tamen diſciplina militari inſtituerunt brevi tempore, ut illorum opera prodire in cãpum & cum Spartanis congredi, eosque vincere potuerint. Quo factum eſt, ut occaſionẽ dederint ſcriptoribus, id de ipſis prædicandi, quod ſatis ſuperq; monſtraverint, nõ tantum apud Lacedæmonios naſci milites: ſed quocunq; loco naſcuntur homines, illic quoque milites naſci, ſi modo extet, eos q diſciplina militari inſtituat:

ſicuti Tullum Romanos inſtituiſſe legimus: quam rem Vergilius præclare expreſſit his verſibus:

———Reſidesque movebit
Tullus in arma viros———

CAPUT XXII.

Quid potiſſime obſervandum in hiſtoria de trium Horatiorum Romanorum, & trium Curiatiorum Albanorum conflictu.

CONVENERAT inter Tullum Romanorum Regem, & Metium Suffetium dictatorem Albanorum, ut ex binis populis is alter imperaret, cujus tres cives quorum jam meminimus, alios tres viciſſent. Curiatii Albani tres omnes interierunt: ex Horatiis Romanis unus victis interemptiſque Albanis omnibus, evaſit: atque ita factum ut populus Albanus ſub imperium Romanorum redactus fuerit. Cum autem Horatio huic victori in urbem redeunti, ſoror, quæ uni ex Curiatiis Albanis deſponſata fuerat, ante portam occurriſſet, & ſponſi mortem cognoviſſet: ſparſis crinibus ejus nomen flebiliter inclamaret: ægre ferens ferox juvenis, eamq; verbis ſimul increpans gladio transfigit. Quod factum patribus plebique atrox viſum eſt: itaque duûmviris ad judicium traditus eſt, à quibus cum ad populum appellaſſet, patris precibus ac recenti merito, virtutis

Liv. lib.1.

admi-

admiratione magis, quam jure cauſæ fuit abſolutus. In hac hiſtoria autem tria ſunt quæ obſervari debent. Primum eſt, ne omnes noſtras fortunas in periculum adducamus tale, quod non omnibus etiam viribus propulſare queamus. Alterum quod in Republica bene inſtituta non debeant benemerita ſceleribus compenſari. Tertium denique, quod ea pacta nequaquam ſapienter paciſcamur, de quibus dubitari poſſit, ne non obſerventur. Nam cum tantum interſit, num Reſpublica aliqua præclara alteri imperet aut pareat: non exiſtimare debebat quiſquam, eos Reges atque populos, fortuna illa contentos fore, quam ipſis trium ſuorum civium dimicatio peperiſſet. Quod in Metio ſtatim apparuit. Nam etiamſi, victis ſuis Curiatiis, Romanis ſe dediſſet, eorumq; imperio parere promiſiſſet: tamen in prima expeditione, quam adverſus Vejentes ſuſceperunt, Tullum decipere voluit: videlicet quod eum ſero jam pœnituiſſet ejus, quod cum Romanis imprudenter pactus fuiſſet. De cæteris duobus quæ in hac hiſtoria memorabilia ſunt, ſequentibus binis capitibus diſſeremus.

CAPUT XXIII.

Non debere nos omnes fortunas noſtras ad ducere in tale aliquod periculum, quod non poſ ſimus omnibus viribus noſtris propulſare : o eandemque cauſam perſæpe periculoſum eſſe cum anguſtiis locorum præcluſis, tranſitus ex ercituum impediuntur.

IS nunquam judicari debet ſapienter feciſſe qui omnes ſuas fortunas in periculum ad duxit tale, cui nequeat ſe opponere omnibu ſuis viribus. Id cum pluribus modis fieri queat præcipue tamen accidit, ſi quis Tullum, atqu Metium hoc loco imitetur: qui tot præſtantiſ ſimorum virorum, quos uterque in exercit habebat, virtutem, ipſamque patriam univer ſam, fortunæ commiſerunt, quæ ex ſola ter norum utriuſque exercitus virorum dimica tione pendebat. Neque enim animadverte bant, ſe hac ratione irritos facere omnes majo rum ſuorum labores, quibus defuncti fueran in Rep. ad libertatem inſtituenda? ac poteſta tem facere tam paucis viris ea omnia perdendi quæ majores ſui ſummo labore peperiſſent, u non abſurdius quicquam videantur unquan bini illi principes conſuluiſſe. In idē abſurdun autem videntur ii etiam incidere, qui adveni entibus hoſtibus ſe opponunt, præcluſis itine rum locis anguſtioribus, quæ res, ſiquidem ne queas id omnibus viribus tuis præſtare, ſem

pe

per periculoſa eſt: quod ſi quæ locorum anguſtiæ tales ſunt, ut eas præcludere queas, adhibitis riteque diſpoſitis omnibus copiis tuis: eas non incommode præcludes: ſin loca fuerint aſpera, in quibus præcludendis nequeas adhibere omnes vires, periculoſum eſt ea intercipere velle. Hoc ut ita pronunciē, movent me exempla eorum, qui cum regionem montibus circumdatam incolerent, tamen cum à præpotente hoſte bello peterentur: non exiſtimarunt ſibi in locis aſperis, & anguſtiis montium cum illo eſſe dimicandum: ſed aut ultra montes progreſſi hoſti obviam profecti ſunt, aut eum domi in planitie intra montes expectarunt. Cujus rei cauſa ea eſt, quam jam commemoravimus: neque enim in hujuſmodi montium anguſtiis multi homines hoſtem præpotentem expectare, & ſe ei opponere poſſunt cum neque loca multos capere queant, neq; commeatus multis hominibus ob montium aſperitatem ſuppetere. Hoſti autem potenti per eaſdem locorum anguſtias tranſire, magno etiam cum exercitu non eſt difficile, cum non in iis hærere: ſed tranſire quam citiſſime contendat. Ei qui hoſtem expectat, difficile eſt in hujuſmodi locis magno cum exercitu hærere, cum illum expectare cogatur, neque ſciat quando ſit venturus; atque interim commeatus deficere ſoleat. Quo fit ut cum vel ex hujuſmodi neceſſitate ea loca deſerere coguntur, in quibus maxime confidebant: magno timore percellan-

tur hominum animi,uſque adeo,ut eorum virtutem amplius experiri nequeas: atque ita exigua parte tuarum virium, adducis omnes fortunas tuas in ſummum diſcrimen. Quanta cum difficultate Annibal tranſiverit alpes,quæ Galliam ciſalpinam à tranſalpina dividunt: atque eas etiam quæ ciſalpinam Galliam à Tuſcia ſeparant, omnes novimus: Romani tamen illi non in eorum montium anguſtiis occurrerunt: ſed expectarunt in planicie,ſemel quidem ad Atheſin fluvium: deinde in campis Aretinis: ac maluerunt exercitus ſuos vel occumbere in planicie: in qua liceret virtutem ſuam demonſtrare: quam eos in montium anguſtias adducere, & locorum aſperitate conſumere. Idem factitatum eſſe comperies ab omnibus præſtantibus ducibus: cum ob rationes, quas jam adduximus, tum quod etiam plures viæ inveniri queant, hujuſmodi montes tranſeundi, quæ hoſtibus ab incolis demonſtrari ſolent, ut ne ſic quidem tranſitu prohiberi queant. Hujuſmodi exemplum recens extat,nam cum anno ſalutis noſtræ M. D. XV. Franciſcus Galliæ Rex, in Italiam tranſire, ad Galliam Ciſalpinam recuperandam, decreviſſet: qui ſe illi opponebant, ſummum præſidium in eo ponebãt, ut Helvetii locorum montanorum anguſtias illi præcluderent, ac tranſitu prohiberent. Sed mox apparuit quam vanum hoc conſilium fuiſſet: nam Rex declinavit per alia loca prius incognita, iis quæ cuſtodiebantur prætericis, ac

prius

prius in Italia fuit, quam ii qui loca cuſtodiebant, id animadvertiſſent: quæ res ſubito tantum timorem omnibus incuſſit, ut exercitus omnes Mediolanum ſeſe receperint: ipſæ vero civitates Mediolanenſi imperio ſubditæ, ſtatim Gallis ſe dediderint: poſtquam ſe videlicet fruſtratos eſſe intellexiſſent ea ſpe, qua putabant, Gallos in alpibus tranſitu prohibitos iri.

CAPUT XXIV.

Quæ Reſpub. bene inſtituta ſunt, ea & bonis præmia, & pœnam malefactis ſeorſim conſtituta habent, neque alterum altero compenſant.

PRÆCLARUM erat Horatii de Republica meritum, cum ſua virtute Curiatios ſuperaſſet: ſed & facinus ejus atrox erat, cum ſororem ſuam interemiſſet: idque uſque adeo Romanis diſplicuit, ut recens meritum non curarint, ſed duûmviris eum, ut perduellionem ſecundum legem judicarent, tradiderint. Quod quidem ſi quis ſuperficietenus conſideret, videbitur ingratitudinis populi Romani exemplum eſſe: At ſi rem diligenter intueamur, & expendamus, quibus legibus in Rep. nos vivere deceat: comperiemus populum Romanum ob id potius vituperio dignum, quod illum abſolverit, quam quod ad judicium rapi eum curaverit. Ratio hujus rei ex eo pendet, quod nulla Reſp. bene inſtituta, cujuſquam facinora, ejus qui illa patravit beneficiis atq; meritis compē-

ſare atq; tegere debeat: ſed bonis operibus præmia ſeorſim conſtituta habere & ſceleribus itidem ſeorſim pœnas: & poſtquam præmiis quempiam benemeritum affecerint, ſi idem peccarit, punire. Hæ rationes ſi legitime obſerventur, conſervari poteſt Reipublic. libertas: ſin alterum alteri miſceatur, corruere eam oportet. Nam ſi quis civis egregium quippiam pro Republica patrarit: ac eo ipſo non tantummodo præmium atque laudem ob rem hanc præclare geſtam, acquirat: ſed audaciam quoque, atque ſecuritatem, ut exiſtimet ſi quid pravi commiſerit, ſe non punitum iri; efficietur inſolens, petulans, atque ita tolletur civilis æqualitas. Neceſſe eſt profecto, ut vitia ſuis pœnis jure afficiantur, præmiis quoque virtutem donare: quod Romæ certe obſervari ſolitum videmus. Et quamvis Reſpub. tenuis ſit, convenit tamen ut de illa quoque tenuitate, bene meriti cives præmiis donentur: qui ſi egregii ſunt, etiam exigua dona pro magnis meritis boni conſulunt; & eo ipſo ſe honore affectos eſſe exiſtimant. Nam ut ex hiſtoria novimus, Horatius Cocles, & Mutius Scævola de Republic. præclare meriti erant: cum ille ſolus dimicando, hoſtes in ponte Tybridis eo uſque ſuſtinuiſſet, donec pons poſt ſe fractus, dejectusq;, omnem tranſeundi poteſtatem illis ademiſſet: alter Porſenam regem adoriri cupiens, ac pro eo ſcribam, errore quodam necans, dextram ſuam coram rege, ut Romanorum virtutem, conſtan-

Liv. lib. 2.

ſtantiamque teſtatam faceret, exuſſit. Sed eadem hæc tam præclare merita Senatus agro remuneravit. Manlius Capitolinus pulſis Gallis, qui noctu Capitolium occupaverant, egregium virtutis ſpecimen ediderat; eidem vero univerſi milites qui una cum illo obſeſſi erant, ſe libras farris, & quartarios vini, ad ædes eius quæ in arce erant contulerunt. Quod munus, vt ſe tunc habebant Romanorum res, nequaquam exiguũ æſtimabatur: Cum autem idem Manlius poſtmodum ſeditionis apud populum autor fuiſſet, & regnum inuidia motus affectaſſet; nulla habita fuit ratio prioris meriti, ſed damnatus, & de eodem Capitolio, quod prius magna cum gloria conſeruauerat, deiectus in præceps; vt idem locus in vno homine & eximiæ gloriæ monumentum, & vltimæ pœnæ fuerit.

CAPUT XXV.

Si quis antiquam Reipub. formam innouare recteque informare velit: eum oportere, vel vmbram ſaltem antiquarum legum retinere.

QUI Reip. formam innouare vult, in id incumbat neceſſe eſt, ſi hanc innouationem non ingratam populo eſſe velit; ut ſi res ipſas, ſicuti ante erant, non retinere queat, earum ſaltem umbram retineat: ſic enim efficietur, ut plebs non putet quicquam eſſe immutatum;

quamvis omnia re ipſa innovata ſint: nam populus non ſolet res profundius intueri, ſed quæ videntur & foris ita eſſe apparent, eas perinde ac ſi revera ita ſint accipit. Animadvertere id Romani, cum pulſis regibus libertatem cõmparaſſent: itaque in locum regis binos Conſules ſuffecerunt: ſed ne duplicatus terror videretur, ut unus tantum faſces haberet voluerunt, & quidem totidem numero, quot reges uſurpare ſolerent. Et quia etiam quædam publica ſacra per ipſos reges factitata erant, necubi Regum deſiderium eſſet: Regem ſacrificulum creant, qui hiſce ſacris præeſſet, idq; ſacerdotium pontifici ſubjecerunt, ne additus nomini honos, libertati aliquid officeret. Quo quidem modo effecerunt, ut plebei, ne hiſce quidem ſacris quicquam ademptum eſſe ſibi perſuaderẽt, neque cauſam ullam haberent Reges expetendi. Exemplum iis omnibus imitandum, qui antiquas leges ſtatutaque abolere, ac novam plane liberamque Reip. formam introducere cupiunt. Semper enim in rerum mutationibus eo ſpectandum, ut antiquarum rerum umbra aliqua retineatur: & quamvis, exempli gratia, magiſtratus quidam plane novi creentur, planeque nova munera hominibus imponantur, ſunt tamen illa eadem nominibus antiquorum cum magiſtratuum, tum munerum inſignienda, ut eadẽ cum illis eſſe putentur. Quod cum in omni Rerumpub. mutatione ſit obſervandum, tamen ab illo non ita ſunt conſide-

ran-

randa, qui Monarchiam, quam aliqui tyrannidem vocant, inſtituere in animo habet, in ea enim res omnes innovare oportet ut proximo capite diſſeremus.

Caput XXVI.

Si quis Princeps novus aut urbem aut regionem aliquam occupet, ei Reip. formam plane novam inſtituendam eſſe.

Qui Urbis aut regionis alicujus principatum occupat, quanto ſe viribus infirmiorem eſſe intelligit ad imperium cõſervandum, ſive legitime regnando, ſive liberam Rempub. inſtituendo: tanto magis in id unice incumbat oportet, ut ſicuti ipſe novus princeps eſt, ita in ſuo principatu omnia innovet: novos magiſtratus novis nominibus inſignitos creet, ad eosque eligat novos homines: bona opulentorum hominum pauperibus diſtribuat, eosque ditet: & ut de Davide Rege fertur, ſic de illo dici queat: Eſurientes implevit bonis & divites dimiſit inanes. Eidem huic novæ urbes condendæ, antiquæ diruendæ, habitatores transferendi de uno loco in alium: adeoque ita omnia erunt innovanda, ut neque opes, neque honores quiſquam in ea provincia poſſideat, qui non cogatur confiteri ſe illa ab ipſo Principe obtinere. Exemplo nobis eſſe poteſt Philippus Macedoniæ Rex, Alexandri Magni parens: qui hiſce rationibus totius Græcię imperium com-

paravit, cum prius exiguum regnum poſſediſſet. Crudelis eſt hæc dominandi ratio, & non modo Chriſtianæ, ſed humanæ quoque vitæ adverſa: quamobrem ab omnibus fugienda, ac longe magis præferenda vita privata, quam ut cum tanto hominum diſpendio, atque calamitate regnare velis. Quod etiam ſi ita ſit, tamen ſi quis eſt, qui alia ratione imperium conſervare non poſſit, nec tamen id amittere velit: cum fœlicem vivendi rationem ingredi nequeat, in infauſtam hanc incidat, oportet. Multi ignorantes mediam viam ingrediuntur, nec plane boni, nec omnino perverſi eſſe volunt; quod illis nequaquam proſpere ſuccedit.

CAPUT XXVII.

Rarum quiddam eſſe, ut homo poſſit aut omnino pravus aut omnino bonus eſſe.

IULIUS Pontifex ejus nominis ſecundus, anno ſalutis M. D. V. Bononiam exercitum duxit ut Bentivolorum familiam, quæ ejus urbis imperium centum jam annos tenuerat, loco moveret. Eademq; in expeditione etiam Joannem Pagoſum Baglioneum tyrannum Peruſinum ſua ſede expellere decreverat, ut cæteros item qui urbes Eccleſiæ per vim tenerent. Ejus rei cauſa cum ad Peruſinam urbem acceſſiſſet, & notum jam omnibus eſſet quid in animo haberet: tamẽ impatiens moræ noluit exercitum expectare, ſed inermis quaſi urbẽ ingreſſus eſt, in quam

in quam Joann. Pagolus defendendi ſui cauſa, non exiguas copias contraxerat. Is autem eodem furore quo res ſuas adminiſtrare ſolebat, una cum milite, cui cuſtodiam ſui corporis demandatat, ſeſe in Pontificis poteſtatẽ dedidit: à quo abductus eſt, relictuſque alius qui Eccleſiæ nomine urbem gubernaret. Hac ipſa in re magnopere admirati ſunt viri ſapientes, qui Pontificẽ comitabantur, cum Pontificis ipſius temeritatem, tum abjectum, vilemq; Joannis Pagoli animum: nec cauſam intelligebant, ob quam permotus idem Pagolus, hoſtem ſuum inermem (quod illi cum perpetua nominis ſui memoria facere licebat) nõ ſubito oppreſſerit, & tam precioſa ſpolia diripuerit; cum Pontifex urbẽ ingreſſus fuiſſet, Cardinalibus tantũ ſuis ſtipatus, qui precioſiſſimas quaſq; ſuarum rerum ſecum habebant. Neq; enim credebatur Pagolus à tanto facinore vel ſua bonitate, vel animi conſcientia abſtinuiſſe: quod in hominem ſceleratum, qui & propria ſorore utebatur & conſobrinos nepoteſque dominandi cauſa è medio ſuſtulerat, hujuſmodi pij affectus cadere non viderentur. Cum igitur hac de re variæ eſſent Sapientum virorum ſententiæ: concluſerunt tandem id ei accidiſſe, quod ita comparatum ſit, ut homines neq; plane pravi eſſe queant, neq; perfecte boni. Pravi perfecte eſſe nequeunt, propterea quod ubi tale quoddã ſcelus eſt, in quo aliquid magnifici, ac generoſi inſit, id patrare non audeant. Nam cũ Pagolus neq;
ince-

inceſtum prius horruiſſet, neque Parricidio abſtinuiſſet: tamen cum oblata eſſet occaſio, pravi quidem, ſed memorabilis, atque æternæ memoriæ facinoris patrandi: id attentare non auſus fuit: cum id ſine infamia præſtare licuiſſet, quod rei magnitudo omnia priora ſcelera obtegere potuiſſet, & à periculo conſervare. Quibus accedit, quod illi gratulati fuiſſent etiam quamplurimi, ſi primus auſus eſſet pontificibus monſtrare, rationem dominandi, totiusque humanæ vitæ uſum, ab illis nimis parvipendi.

CAPUT XXVIII.

Qua cauſa Romani erga ſuos cives minus ingrati, quam Athenienſes erga ſuos fuerint?

QUI diverſarum Rerump. res geſtas conſiderat, ſubinde exempla quædam ingratitudinis earum, erga ſuos cives deprehendet: ſed pauciora tamen Romæ, quam vel apud Athenienſes, vel apud aliam aliquam Remp. Cujus rei rationẽ fuiſſe exiſtimo, quod Romani cauſam non habuerint, toties ſuos cives ſuſpectos habendi, quoties Athenienſes eandem habuerunt. Nam poſt exactos reges nunquam amiſit Roma libertatem, uſque ad tempora Syllæ & Marii: itaque neque occaſionem habebat de civibus ſuis ſuſpicandi, quod quiſquam eorum tyrannidem affectaret: & quia deerat ſuſpicio, non habebat occaſionem in quenquam quicquã durius patrandi. Contrarium accidit Athenien-

nienſibus, quos in ipſo flore Piſiſtratus oppreſſit, & ſub ſpecie declarandæ beneficentiæ iis libertatem ademit. Itaque poſtquam libertatem deinde recuperaſſent, memores erant injuriarum atque ipſius ſervitutis, quam perpeſſi fuerant: & vel ex levi occaſione de ſuis civibus male ſuſpicabantur: cumq; ſeveri libertatis defenſores eſſe vellent, nõ delicta civium ſolummodo, verum etiam delictorum ſuſpicionem, perſæpe puniebant. Hinc factum eſt ut tot viri excellẽtes partim exilio, partim etiam morte fuerint mulctati. Hinc leges Oſtraciſmi & aliarũ mulctarum, quibus populus adverſus optimates utebatur, natæ ſunt. Nam ut iidem ſcriptores teſtantur, populus qui libertatem recuperavit, ſeverior eſt illius vindex, quam is, qui eam à majoribus ſuis acceptam conſervavit. Hæc ſi quis diligenter conſideret: neq; Athenienſes ob haſce res vituperandos, neq; laudandos Romanos intelliget: ſed damnandas eſſe ſolummodo cauſas, quæ Athenienſes ad tãtam autoritatem permoverũt: quæ ſi in urbem Romam incidiſſent, non magis quam Athenæ, erga ſuos cives aut pia, aut miſericors extitiſſet. Id exemplo Collatini & P. Valerii conſtat, quorum ille ob ſolum Tarquiniorum nomen, quo vocabatur in exilium miſſus eſt: cum tamen expellendis regibus ſtrenuam operam impendiſſet. De P. Valerio autem male ſuſpicari cœperunt, ob id, quod Conſul cum eſſet, domũ in ſumma Velia, loco urbis editiori, extruere decreviſſet: ob

quam rem parum abfuit: quin eodem modo ut Collatinus puniretur. Quę cum ita ſint:nō dubium eſt, quin Roma ſi eodem modo, quo Athenarum urbs, ſenſiſſet aliquos ſuorum ad tyrannidem aſpirare,aut aliquoties ab aliquo oppreſſa fuiſſet,erga ſuos cives non ſe aliter,quam Athenienſes,geſſiſſet. Sed de hac Rerump.erga ſuos cives ingratitudine,ſequenti capite copioſius agamus.

CAPUT XXIX.

Vtrum populus, aut principes erga ſubditos bene meritos,magis ingrati eſſe ſoleant.

QUONIAM hanc de ingratitudine diſputationem ingreſſi ſumus: non ab re mihi facere videor: ſi quæramus porro, utrum populus, an viri principes erga bene meritos, magis ingrati eſſe ſoleant:Id ut commodius explicare queamus, obſervare oportet, ingratos ſolere homines eſſe,aut avaritia,aut ſuſpicione. Nam ſi quis aut populus, aut princeps quempiam inſigni virtute virum, gerendo alicui bello, exempli gratia,præficiat,isque id præclare conficiat, eaq; re & ſibi gloriam, & principi aut Magiſtratui ſuo honorem atq; virtutem comparet: dignus eſt qui ab eodem aut principe aut populo,pro re bene, fœliciterque geſta remuneretur. Quod ſi autē illi nec gratiam referant, ſed aut avaritia, aut aliqua ſuſpicione moti, eũ vel dehoneſtent, vel offendant, vel etiam debitum ſtipen-

ſtipendium denegent: ingratitudo eſt perpetuis contumeliis damnanda. Quod etſi omnes ita ſe habere confiteantur, non deſunt tamen permulti, qui à tanto vitio abſtinere nequeunt. Nam, ut Cornelius Tacitus inquit, proclivius eſt injuria quam beneficio vicem rependere, qa gratia oneri, ultio in quęſtu habetur. Quod ſi autem nō avaritia, ſed ſuſpicione aliqua motus aut princeps, aut populus, bene meritum civem remunerationis loco offendant: ſuſpicione ipſa aliquo modo excuſantur: multaque admodum inveniuntur hujuſmodi ingratitudinis exempla. Nam ſi quis militaris dux ſingulari virtute hoſtes devicerit, & imperium domino ſuo pepererit, ſimulque militem ditaverit, tunc tanta eſſe ſolet ejus nominis celebritas, cum apud hoſtes, tum apud ſuos, & univerſos ſui principis ſubditos, ut victoria principi non tam grata deinde eſſe poſſit: quoniam ſuæ gloriæ aliquid detrahi videtur ob honorem qui victori militi attribuitur. Quibus etiam accedit, q cum natura ſimus omnes aliquo modo ambitioſi, & facile item ſuſpicari ſoleamus: nō poteſt hujuſmodi militaris dux, poſt partā tantam gloriā, non augere, aliquo dicto aut facto, conceptam ſui principis de ſe ſuſpicionem: ex quo deinde ſequitur, ut Princeps muniendi ſui rationes meditetur, ac cogitet de illo vel è medio tollēdo, vel ſaltem minuenda illius autoritate, quam apud exercitum atq; alios omnes acquiſiverat, in quē finem ſpargere ſolent hinc inde,

quod

quod hujuſmodi victoria non tam ipſius virtute & induſtria, quam fortunæ proſperitate, aut hoſtium metu, aut aliorum militariũ ducum, qui illi affuere, prudẽtia parta fuerit. Exemplo nobis eſſe poteſt Veſpaſianus, qui cum eſſet occupatus in bello Judaico, à ſuis militibus Imperator eſt renuntiatus: Per idem tempus Antonius primus cum exercitu erat in Illyrio, ac Veſpaſiani partes ſequutus in Italiam trajecit adverſus Vitellium, qui Romæ jam dominabatur: fractiſque binis illis exercitibus, ſingulari virtute Romam occupavit: ut cum Mutianus Veſpaſiani juſſu ad hoc bellum conficiendum eo perveniſſet, omnes difficultates Antonii virtute ſuperatas invenerit. Sed ingrata fuit ejus virtutis remuneratio: primum enim, exercitum illi Mutianus ademit: deinde ſenſim eo reduxit, ut privatus Romæ viveret: cujus rei cauſa, cum ad Veſpaſianum in Aſiam profectus eſſet, ab eo ita inhumaniter tractatus eſt, ut brevi tempore ab omnibus publicis muneribus remotus, prope deſperabundus ex hac vita migrarit. Hujuſmodi exemplis pleni omnes ſunt libri. Nemo eſt: qui neſciat, quanta cum virtute noſtra memoria, Conſalvus Ferdinandus regnum Neapolitanum, expulſis Gallis, Ferdinãdo Arragoniæ regi comparaverit: ſed pro tantis meritis eam mercedem retulit quod Ferdinandus Arragonicus Neapolim appellens: primum exercitum, deinde loca munita præſidiis, illi ademerit: deniq; illum in Hiſpaniam ſecũ abduxe-

Veſpaſiani ingratitudo.

duxerit, ubi abſque ullo publico honore vivẽs, mox deinde obiit. Uſq; adeo ſcilicet proclives eſſe ſolent viri principes, ad male ſuſpicandum de illis, qui illorum nomine aliquid magni ac præclari patraverint: ut gratos ſeſe erga ipſos exhibere neſciant. Quod ſi ergo ab hoc vitio abſtinere, neque principes viri poſſint: nemini mirum videri debet, ſi ab eodem populus cavere ſibi nequeat. Is enim in libera civitate duplicem finem habere ſolet, ut & fines dilatare: & libertatem poſſit conſervare: utrumque autem nimio deſiderio ab illo expetitum, efficit, ut in hoc ingratitudinis vitium incidat. De finibus dilatandis alio loco dicemus. Libertatis vero conſervandæ nimio amore, perſæpe eos lædit, quos præmiis afficere decebat, & quibus confidere debebat, de illis male ſuſpicatur. Quæ res in corrupta civitate tam pernicioſa eſt, ut quãdoque benemeritos, qui ſuis præmiis fraudantur, ad tyrannidem invadendam impellat, ut Romæ C. Cæſari accidit, qui ſponte ſua arripuit ea quæ ſibi à populi ingratitudine negari exiſtimabat. In civitate, qua mores hominum integri ſunt, perſæpe etiam ſolet hic ingratitudinis metus cives coërcere, & in officio continere, ut minus mali, ambitioſique ſint, & libertas diutius conſervetur. Ex omnibus autem Rebuſp. quæ amplum imperium poſſederunt Roma mihi ab hoc ingratitudinis vitio maxime videtur abſtinuiſſe: neq; illius ullum aliud exemplum ſingulare extare puto, quã id quod adver-

Populi erga benemeritos ingratitudo.

adverſus Scipionem ediderũt. Coriolanus enim & Furius Camillus exilio jure mulctati fuerunt, propter injurias, quibus plebem affecerãt: Et Coriolanus quidem hoſtilem adverſus Populum Romanum animum conſervavit: nec proinde in urbem revocari potuit. Furius Camillus non modo revocatus ab exilio, ſed per reliquum vitæ tempus ſingulari in honore habitus fuit. Adverſus Scipionẽ ingratiſſimi fuerunt: idque illis accidit propterea, quod de illo neſcio quæ ſuſpicarentur, propter rerum ab illo geſtarum magnitudinem, & ſingularem benevolentiam honoremque, quem illi apud omnes ſua virtus conciliaverat: quę omnia tanta erant, ut ipſius autoritas etiam Senatoribus ipſis formidabilis videretur. Hæc cum prius Romæ inuſitata fuiſſent, multis ſapientibus diſplicebant, uſque adeo, ut M. Porcius Cato, vir tantæ autoritatis ipſius magnitudinem allatrare ſoleret: eoque autore exiſtimantur Tribuni & vivo diem dixiſſe, & mortuo rogationem promulgaſſe: aſſerebat enim is, eam Rempubl. liberam eſſe non poſſe, in qua unius viri potentia, etiam Senatoribus ipſis formidabilis eſſet. Hujus autoritatem ſi populus Romanus, ſecutus, id adverſus Scipionem patravit, aliquam utiq; excuſationem meretur: quemadmodum etiam viros principes venia quadam dignos eſſe docuimus, cum propter ſuſpicionem erga ſuos ingrati ſunt. Sed jam ut finem de hac quæſtione differẽdi faciamus: dicimus, cũ & princi-

pes

pes, & liberi populi erga benemeritos ingrati eſſe ſoleant, partim avaritia, partim ſuſpicione: Populum propter avaritiam, in hoc vitium incidere nunquam: propter ſuſpicionem vero, etiam longe rarius, quam principes ſoleant: quoniam eas ſuſpicandi cauſas non habet, quæ principibus contingunt, ut paulo poſt oſtendemus.

CAPUT XXX.

Qua ratione viri principes & Reſp. ingratitudinis vitium evitare poſſint. Et benemeriti cives item, atque duces militares, ne ab iiſdem opprimantur, cavere?

SI quis princeps hujuſmodi ſuſpicionum occaſiones evitare velit, ne pro beneficiis erga ſuos ingratus eſſe cogatur: eum oportet ipſummet rebus gerendis intereſſe: quemadmodum primi Romanorum Imperatores olim & noſtra ætate Turca, cæteriq; inſigni virtute principes facere ſolent. Nam ſi præſentes ſint, & rem præclare fœliciterque gerant: ad eos omnis laus atque gloria pertinet: Si ipſi abſentes, per alios rem bene gerant: tunc quia videtur ſumma laudis penes eum eſſe, qui negotio interfuit, non putant ſe parta victoria ex animi arbitrio frui poſſe, niſi extinguant laudẽ illius, per quem res tam bene geſta eſt: atq; ea ratione injuſti ingratiq; evadũt. Et quamvis ipſi ſibi videãtur laudem lucrari eorum, quos hoc modo offendunt: tamen ſi quis rem diligenter expendat

dat: comperiet illos plus amittere quam lucrari. Quod etſi ita ſit, tamen fieri non poteſt, quin in hujuſmodi errores incidant, quicunque aut per imprudentiam, aut negligentiam domi otioſi manent, rerum adminiſtrationem autem aliis ducibus ſuis demandant: nec ulla ratio eſt, eos juvandi, quo minus eo, quo natura ipſos ducit, ferantur. Qui vero dux militaris, re præclare geſta, evitare vult ſui principis ingratitudinem, duorum alterum faciat oportet. Nam poſtquam victoriam obtinuit, aut ſtatim, exercitu tradito alteri, ipſe ſe in ſui principis clientelam ſupplex cõmittat oportet, ſibiq; ab omni ſuperbia, atque ambitione temperet: qua ſola ratione principis animum demulcere poterit, ne de illo quicquam ſuſpicari queat, ſed cauſam manifeſtam habeat illum præmio afficiendi, non autem lædendi. Aut ſi facere non velit, ſciat tamen ingratum principem ſe habiturum: unicum habet præſid ũ ſe adverſus ingratitudinem tuendi, ſi victoriam partam ſibi reſervet forti animo, nec eam ad principem pertinere oſtendat: militũ & præcipuorum exercitus ducum animos vel ſibi conciliet, vel ſi quos nequit benigne conciliare, eos muniendi ſu cauſa è medio tollat: cum vicinis populis amicitiã contrahat, loca munitiora ſubinde occupet, præſidiiſque confirmet. Hac enim ratione ingrato domino vicem rependere poterit. Hæ ſolę ſunt rationes quibus benemeritus civis cavere poteſt, ne ab ingrato domino opprimatu

Evitandi odii ratio.

ſed

ſed quia ita comparatum eſt, ut homines neſciant eſſe vel plane boni, vel excellenter mali: itaque neque poſt victoriam partam, exercitum ſtatim reddere noverunt, nec modeſte atque humiliter ſe gerere: nec excellenti ac magnifica quadam malitia uti ſciunt: itaq; dubii inter duo extrema hærentes opprimuntur. Liberæ autem Reipublic. non præſcribi poſſunt eæ evitandæ ingratitudinis rationes, quas jam viro principi præſcripſimus, quod in ea neceſſe ſit, ut civis aliquis ad conficiendum bellum eligatur: itaque hoc unum illi ſupereſt remedium, ut Romam imitetur eo ipſo, quo illam oſtendimus cæteris civitatibus minus ingratam fuiſſe erga ſuos. Id totum à Reipub. forma dependebat: nam cum in militia uterentur omni genere civium, ſive nobiles ſive plebei eſſent: nec à bellis quietem unquam haberent: facile accidebat, ut ex aſſiduo armorum exercitio, ſubinde excellentes virtute viri multi orirentur, variisque decorati victoriis: cumque eorum tot, tamque multi eſſent, qui ſe mutuo obſervarēt: non habebat populus occaſionem quicquam de illis ſuſpicandi: ipſimet enim cavebant, ne ambitione aliqua laborare viderentur: uſque adeo, ut qui illorum vel ad Dictaturæ faſtigium conſcendiſſent, ii plurimum laudis inde reportarent, qui rebus quam citiſſime compoſitis, ſeſe mox ea abdicaſſent, ob quas cauſas neque ſuſpicionibus locus dabatur: neque ex ſuſpicione ingratitudo ſequebatur. Romam igitur,

ceu optimum exemplum ad imitandum ſibi proponant omnes illæ Reſpublicæ, quæcunq; cavere ſibi cupiunt, ne in benemeritos cives ingrati eſſe cogantur: ejuſdemque urbis cives etiam intueantur, quicunque de patria benemeriti, ne pro gratia referant ingratitudinem, eaque opprimantur, cavere cupiunt.

Caput XXXI.

Romanorum exercituum duces, non vehementer puniri ſolitos, quamvis aliquando in rebus agendis capiendisque conſiliis errarint: ne tunc quidem quando eorum mala conſilia Reipublic. damnum aliquod peperiſſent.

ROMANI non modo minus, quam cæteræ civitates erga ſuos cives ingrati fuerunt, ut prius oſtendimus: ſed in puniendis etiam ducum militarium erroribus, magis clementes & conſiderati, quam ullæ aliæ Reſpub. Nam ſi qui malitia ſua quippiam deliquiſſent, eos puniebant clementer. Si error ex ignorantia natus eſſet: non modo non puniebant, ſed præmiis potius, perinde ac ſi rem bene geſſiſſent afficiebant. Idque non ſine gravi conſilio faciebant: nam permultum intereſſe putabant, ut qui exercitui præficerentur, ab omni metu liberi eſſent, & rerum agendarum cõſilia ex ipſis occaſionibus arriperent: nec haberent quod formidarent. Rei enim quæ per ſe ardua atque difficilis eſt, aliæ difficultates atque pericula adjun-

jungenda non ſunt, ne virtuti impedimenta objiciantur. Nam ſi quem, exempli gratia, aut in Græciam adverſus Philippum Macedonem: aut adverſus Annibalem in Italiam: aut adverſus alios aliquos populos, quos vicere jam olim, cum exercitu miſerunt, ei cura jam incumbebat eorum omnium, quæ ad rem bene gerendam requiruntur: quæ cum ſint per ſe graves atque difficiles: nequaquam aliis curis aut periculis aggravari debuerunt. Nam ſi preter harum rerum curam, is dux etiam ante oculos poſita habuiſſet exempla eorum, qui ob rem minus proſpere geſtam, à Senatu gravi ſupplicio affecti fuiſſent: nequaquam tot curis periculiſque circumdatus, rem fortiter aggredi auſus fuiſſet. Quæ cum ita ſe haberent, exiſtimarunt eos qui fortunæ adverſitate rem minus fœliciter geſſiſſent, ipſius rei dedecore atque pudore jam ſatis punitos, nec aliis pœnis eſſe deterrendos. Eorum qui malitia potius, quam ignorantia rem male geſſerunt, exemplum extat Sergii, & Virginii. Nam cum ad Vejos caſtra haberent, & exercitum ita partiti inter ſeſe fuiſſent, ut Sergius ex una parte ad Tuſcos ſuſtinendos cum ſuis conſediſſet: Virginius ex altera parte caſtra metatus eſſet: Sergius forte à Faliſcis aliiſq; populis oppugnatus, non prius auxilium à Virginio petiit quam amiſſo exercitu in fugam ſe conjeciſſet. Neque Virginius illi ſponte ſuppetias tulit, ſed maluit Romanorum exercitũ cum patriæ dedecore fra-

ctum videre, quam ei, qui non ſupplex petiiſſet, auxiliari. Memorabile ſane exemplū, quod ſi Reſpublica non puniiſſet, argumento fuiſſet magnæ corruptionis morum. Puniti ergo fuerunt ambo, ſed nō niſi mulcta pecuniaria: cum hoc delictum ab aliqua alia Repub. facile capitali ſupplicio fuiſſet affectum. Romani mitiores in hiſce eſſe voluerunt, non quod delictum majorem pœnam non mereretur: ſed quod nihil facere vellent præter conſuetudinem: qua apud ipſos multis rationibus approbata videretur. Erroris in bellum per ignorantiam commiſſi evidens ac memorabile exemplum eſt Varronis in pugna Cannenſi, cujus temeritat Romani ab Annibale victi, tantam cladem acceperunt, ut in diſcrimen amittendæ libertati adducti fuerint. Sed quia tamen id non dol malo ſed per ignorantiam ei contigiſſet: Romani illum nō modo punire noluerunt, ſed honore potius afficiendum cenſuerunt: quamob rem advenienti illi proceſſit obviam Senatus universus, & cum ob rē bene geſtam illi gratias agere non poſſent: ob id tamen eum laudarū & gratias egerunt, quod rebus eorum tantopere afflictis, non deſperaſſet, ſed in urbem rediiſſet. In eandē ſententiam, cum Papyrius Curſo Dictator de Q. Fabio magiſtro equitū ſuppliciūm ſumere vellet, quod contra ſuum mandatū cum Samnitibus dimicaſſet: Fabii pater inter cætera argumenta, quibus Dictatoris furori reſpondebat, populum Romanum ad eum uſq dien

Liv. lib. 22.

Liv. lib. 8.

diem, nunquam tales pœnas, ob rem male geſtam, à quoquam exegiſſe dixit, quales ipſe à Fabio: qui fœliciter pugnaſſet, exigeret.

CAPUT XXXII.

Viros principes & Rerump. gubernatores non debere beneficia, quæ ſubditis præſtare volunt, eo uſque differre, donec videantur neceſſitate compulſi, ea præſtitiſſe.

ROMANIS fœliciter ſucceſſit liberalitas illa, quam plebi declararunt poſt Regis Porſennæ adventum: qui Romam cum infeſto exercitu venerat, ut Tarquinios reges reſtitueret. Tunc enim ſenatus metuens, ne plebs Romana metu perculſa, receptis in urbem regibus pacem cum ſervitute acciperet: multa ei blandimenta dedit. Annonæ imprimis habita cura, ſalis vendendi arbitrium, quod impenſo precio venibat in publicum, omni ſumptu adempto, conceſſum: portoriis quoque & tributo plebe liberata: pauperes enim ſatis ſtipendii pendere, ſi liberos ſuos Reip. educarent. Quæ omnia in eum finem fecere, ut populus ad ferēda belli onera promptior eſſet. Sed hoc exemplum nemini ita cenſeo imitandum, ut beneficia illa, quibus cōciliatur plebis animus, eo uſque differantur, donec ea præſtare coacti videantur: neq; enim alias tam fœliciter ſuccedet, ut hoc loco Romanis ſucceſſit. Nam qui beneficia à te, in tanta neceſſitate acceperint: ii non *Liv. lib. 2.*

 tam

tam tibi quam adverſario tuo, gratiam debere ſeſe putabant: metuentque ne, poſtquam ea neceſſitate liberatus fueris, quicquam amplius illis ſis largiturus. Quod autem Romanis proſpere ſucceſſerint tarda illa blandimenta plebi data, cauſa manifeſta eſt. Nova enim erat adhuc illa Reſpub. forma, nec dum confirmata, & ſenſerat antea quoque populus leges quaſdam ferri, quibus autoritatem ſuam augeri cenſebat: veluti erat lex de provocatione ad populum: atque ob has cauſas putabant à Senatu ſibi hæc beneficia conferri, non tam metu novi hoſtis, quam benevolentia, qua ipſos complectèrentur. Quibus hoc etiam accedebat, quod recens adhuc eſſet expulſorum regum memoria, à quibus multis injuriis affecti fuiſſent. Sed rarum eſt, ut tot cauſas concurrentes & coadjuvantes, quis in hujuſmodi tardis beneficiis habeat: quamobrem debent omnes magiſtratūs & principes, ſtatim ab initio conſiderare tempora & caſus, quos fortunæ adverſitas parere illis poſſit: & adverſus illa ita ſe munire, ut cogitet quorum hominum opera iis temporibus opus ſit habiturus: eoſq; ſibi cōciliare mature, & ita cum illis vivere, ut adveniēte neceſſitate promptos eos paratoſq; habeat. Nam qui magiſtratus & principes præſertim aliter agunt, exiſtimantque cum neceſſitas venerit, ſe eos beneficiis ſibi conciliare, quos longe prius offenderant: non modo fine ſuo fruſtrabuntur, ſed ruinam, interitumque ſuum accelerabunt.

CA-

CAPUT XXXIII.

Si quod malum vel domi in Rep vel adverſus Remp. foris vehementer auctum ſit: ſatius eſſe id ferre aliquandiu, quam in id eniti, ut violenter extirpetur.

CUM Romana potentia creſceret, vicini populi, qui parum ab initio conſideraverant, quantum nova hæc Reſpub. ſi caput extuliſſet, ipſis nocere poſſet: errorem ſuum tarde agnoverunt. Cui cum remedium adhibere vellent, fœdus inter ſeſe, adverſus Romanos, quadraginta fere populi pepigerunt. Sed Romani periculo cognito, præter ea quibus ante uti ſolerent, novum adverſus hoc malum excogitarunt remedium. Dictatorem enim creare decreverunt, cui poteſtatem dabant, ut ex animi arbitrio conſultaret, & ea quæ ex uſu Reip. fore putaret, abſque impedimento exequeretur. Atque id ipſis, & ad præſens periculum ſuperandum, devincendoſque populos illos omnes utile fuit: & ſequentibus temporibus, cũ auctum imperium fuit, in multis procellis ſedandis, & ſuperandis difficultatibus ſalutare. Quæ res nobis documento eſſe debet, ut ſi quod malum, vel domi in Repub. vel aduerſus Rempublicam foris, tantopere auctum fuerit, ut timorem incutiat: tunc ſatius eſſe id aliquandiu ferre, & occaſionem expectare: quam ut nos ſubito ei magna cum violentia opponamus & extir-

extirpare conemur: quoniam ſi extirpare id ſubito enitemur: majus incendium efficiemus, & id quod ex illo malo metuebatur, plerumque promovebimus. Hujuſmodi incendia perſæpe in Repub. accenduntur, & quidem ab internis cauſis citius quam externis: veluti cum permittimus ut unius civis potentia, pluſquam ex uſu Reipublicæ ſit, augeatur: aut leges aliquæ paulatim aboleantur, quibus libertas innitebatur: quod malum advertente nemine eo uſque incrementum accipit, ut ſatius ſit ferre id poſtea, quam extirpare conari. Tantoque etiam difficilius eſt, talia & quę hujuſmodi ſunt morborum initia obſervare, quanto magis optimus quiſque naſcentibus rebus favere conſuevit: præſertim cum honeſtæ videantur, & à juvenibus patrentur, in quibus aliqua virtus enitere videatur. Nam exempli gratia, ſi in Repub. juveris alicujus nobiliſque viri virtus emergere videatur; in eúm omnes homines intentos habent oculos, favoreque ejus ſtudia proſequuntur: quod ſi ille clã ambitioſus ſit, eo hominum favore ad tantum faſtigium aſcendit, ut antequam errorem ſuum agnoſcant ii, qui tantopere ei favebant: non amplius extet remedium, nimiam illius potentiam minuendi: & ſi quis adverſus eam quippiam tentarit, augendę illius potius, quam minuendæ occaſionẽ dabit. Hujuſmodi rerum permulta exempla in medium producere poſſem: ſed unum ſufficit ex noſtramet Florẽtina urbe deſumptum. Coſmus Mediceus,

diceus, à quo Medicea familia nobilitatis & potentiæ ſuæ originem traxit, ob prudentiæ exiſtimationem, cæterorum vero civium ignorantiam, tantum favorem omnium ſibi conciliavit, ut ejus potentia Reipub. formidabilis eſſet: atq; hinc fiebat, ut & periculoſum videretur aliquid adverſus illum tentare, & horrendum ſi illius potentię non aliquod frenum iniiceretur. Vivebat per id tempus Nicolaus Urzanus vir prudentiſſimus, & cujus autoritas plurimum valebat: qui cum primum errorem ſuum cæterorumque civium agnoſceret, quod nimis tarde obſervaſſent, tanto hominum favore, nimis auctam iri Coſmi potentiam: à ſecundo certe errore Senatum retinuit: nec quamdiu ipſe vixit, unquam ꝑmittere voluit, ut adverſus eum quicquam tentaretur: quod prævideret, ſi quid tale fieret, ruituram iri Reipub. libertatem. Eo vita functo, diſceſſere reliqui ab illius præcepto, & collectis viribus Coſmum Florentia expulerunt. Sed non longo tẽpore poſt, qui ipſius factionis erant, hanc injuriam ægre ferentes, eum ab exilio revocarunt, & Florentiæ principem effecerunt: ad quem gradum nunquam aſcendiſſet, ſi hanc adverſus illũ ſeditionem, prius cives non concitaſſent. Idem Romanis cum C. Cæſare cõtigit, cujus virtus à principio, cum Pompeii tum aliorum favore adjuta, poſtmodum illis terrori fuit. Sed nimis tarde, vel Ciceronis teſtimonio, cum cæteri, tum Pompejus ipſe Cæſarem timere cœperunt: nam cum po-

 ſtea

ſtea de minuenda ejus potentia cogitaſſent, eo ipſo Reipub. ruinam accelerarũt. Quæ cum ita ſint, ac difficile ſit hujuſmodi morborum initia obſervare: quod rerũ omnium principia dubia ſint: melius eſt, auctos jam eo uſque hoſce morbos, ut agnoſci poſſint, ferre, & commodã aliquam occaſionem expectare, quã eos ſubito oppugnare: quod temporis ſucceſſu fieri queat, ut vel ſponte extinguantur, vel certe ut hæc mala non tam cito erumpant. Id autem vel imprimis viri principes obſervare debent, ne ſi cujus vicini nimiam potentiam ſupprimere conentur, occaſionem dent illi, ut majus incrementum accipiat, ac ſemetipſos in diſcrimen adducant. Metiri igitur oportebit te, vires tuas ſimul atq; hoſtis: ac ſi te hoſte ſuperiorem eſſe certo cognoveris, forti animo illũ adoriri licebit: ſin minus, tutius eſt eum relinquere, ne tibi idem contingat, quod iis populis, qui vicini populo Romano habitantes, fœdus adverſus eum pepigerant: quibus ut ex eventu apparuit, longe ſatius fuiſſet à bello abſtinere, & pacis artibus illorum amicitiam cõciliare quam, auctam jam illorum potentiam irritare, & ad excogitandas novas artes bellicas impellere. Nunquam enim Romani ad tantum faſtigium ita ſubito aſcendere potuiſſent, ſi illa conjuratio illis occaſionem non dediſſet extrema quæque experiundi, & dictaturæ rationem inſtituendi, quæ res illos ſucceſſu temporis, à quam plurimis difficultatibus liberavit.

CAPUT XXXIV.

Dictatura imperium Pop. Romano utile atque ſalutare fuiſſe : neque ſolere pernicioſam eſſe Reipublica eam civium potentiam, quam legitime, per ſuffragia acquirunt: ſed illam, quam ſponte & per ambitionem ſibi ſumunt.

EXTITERE quidam ſcriptores qui reprehendere populum Romanum, ob introductam creandi Dictatoris rationem: exiſtimarunt enim ex ea ſucceſſu temporis ortam eſſe tyrannidem: & primum eorum, qui urbis imperium ſibi vindicavit, ſub Dictatoris nomine imperaſſe: nec potuiſſe C. Cæſarem, ſi dictaturæ nomen non extitiſſet, ullo honeſto titulo tyrannidem occultare. Sed id ab illis minus prudenter dictum cenſeo: neque enim dictatura urbem ſeruituti obnoxiam fecit: ſed authoritas illa, quam Cæſar diuturno imperio ſibi apud cives conciliaverat, & ſi Dictatoris nomen defuiſſet, aliud aliquod inveniri facile licuiſſet: cum non ex nomine potentia, ſed ex potentia nomen facile concilietur & inveniatur. Dictatura quandiu ex præſcripto legum uſurpata fuit, nec eā quis propria potentia ſibi aſſumpſit: ſemper Reipubl. profuit. Nam qui Magiſtratus præter legum præſcripta occupantur, ii ſolent eſſe pernicioſi: non autem qui ſecundum leges hominibus conferuntur: idque experientia ipſa Romæ comprobavit:

in qua urbe Dictatores tanto temporis ſpacio nil unquam nocuerunt. Sed neque rationes deſunt. Primum enim eis, qui dictaturæ titulo imperium invadere voluiſſent, in urbe libera, in qua mores hominum nondum corrupti eſſent: ingentibus opibus opus fuiſſet: & quam plurimis clientelis, & qui conſilii eſſent participes: quæ in libera civitate, nemini ſimul omnia cõtingunt, quamdiu leges obſervantur. Præterea non creabatur Dictator, niſi urgente aliqua neceſſitate, nec durabat ejus magiſtratus diutius, quam eo uſque, donec eam rem confeciſſet, propter quam dictus fuiſſet. In qua conficienda poteſtatem habebat abſolutam atque liberam, cum ſontes puniendi, tum conſultandi & ea quæ conſultaſſet expediendi, nec à Dictatore ulla cuiquam provocatio dabatur. Sed ad alias res non ſeſe extendebat ipſius potentia: quæ ad immutandum ſtatum Reip. facerent: non antiquas leges abrogare, & novas condere, nec Senatus majeſtatem minuere. Quæ cum ita ſe haberent, ac Dictaturæ potentia certo tempore, certisque limitibus circumſcripta eſſet, in populo moribus integris, nunquam fieri potuiſſet, ut Dictator extra ſuos fines egreſſus, tyrannidem invaſiſſet. Dictatura ergo recte uſurpata populo Romano ſemper profuit: uſq; adeo, ut inter ſumma Reipub. præſidia connumerari debuerit, & ad eas cauſas referri, quibus ad tãtam imperii magnitudinem aſcendit. Sed neq; in magnis urbibus, abſq; tali præſidio ex ur-

Dictatoris officium.

Dictaturæ uſus.

ex urgentibus periculis prompte unquam evadere licet: cum nullus civium ſit, qui ſolus imminentia pericula avertere poſſit: ſed referenda ſint omnia ad multorum conſilia, quæ & plerumque diverſa ſunt, & longo tempore opus habent ad deliberandum, antequam inter ea conveniat: quæ res, cum imminentia pericula celeritaté indigeant, ſæpe plurimum detrimenti afferunt. Quamobrem ex uſu Rerump. vel maxime fuerit: aliquod adverſus ſubita pericula remedium, Dictaturæ ſimile, conſtitutum habere. Veneti certe, quorum Reſpublic. hodierno die celeberrima eſt, paucis quibusdam talem quandam potentiam attribuerunt, ut in ſubitis vehementibuſque periculis, ſoli deliberare, & quod facto opus illis videatur, exequi poſſint. Nam ubi tale remedium in civitate deeſt, neceſſe eſt, ſi ingruāt ſubita pericula, ut vel antiquum modum conſultandi ſequentes, vehementer periclitemur: vel eū tunc urgente neceſſitate immutantes, occaſionē demus etiam alia, non ſine detrimento Reip. innovandi. Neque enim perfecte inſtituta eſt ea Reſp. quæ non de omnibus adverſis caſibus, quicunq; incidere queant, certis legibus proſpexerit. Et vehementibus periculis neceſſe eſt Remp. ruere: ſi non vel ad Dictaturam, vel ad quid aliud Dictaturæ ſimile liceat confugere. Romani vero, non modo ut Dictator ſuo tempore crearetur, proſpexerūt: ſed modum illum eligendi percommodum conſtituerunt. Nam

Venetorum Dictatura.

Dictatoris electio apud Romanos.

cum majeſtas conſulum, Dictatura quodammodo imminui videretur, quod ipſos quoq; dictatori, perinde, ut cæteros cives parere oporteret: idcirco Dictatoris eligendi poteſtatem penes ipſos conſules eſſe voluerunt, ne cauſam haberẽt ægre ferendi regiam illam poteſtatem, quam ipſi ad pericula evertenda, ex uſu Reipu. eſſe exiſtimaſſent, ac civi cuipiam contuliſſent. Nam natura ita ſumus affecti omnes, ut minus doleamus ab iis rebus, quas ipſi nobis fecerimus, quam ab illis, quæ aliunde nobis contigerunt. Succeſſu temporis autem, perſæpe tradita fuit etiam ipſis conſulibus regia illa dictatorum poteſtas, quando nimirum Senatus in hanc ſententiam decernebat: *Videat Conſul, ne Reſpublica quid detrimenti capiat.* Quæ cum ita ſe habeant, cernimus eos populos qui adverſus Romanos conjuraverãt, eo ipſo quod illos opprimere conabantur, potentiam illorum excitaſſe, fortioreſq; effeciſſe, cum ad defendendam, tum augendam Rempublicam.

CAPUT XXXV.

Qua de cauſa Decemviratus apud Romanos publicæ libertati noxius fuerit, cum tamen publicis ſuffragiis eligeretur?

SUPERIORI capite docuimus, illam potentiam, quæ ſecundum leges & ipſa populi ſuffragia alicui confertur, Reipublicæ periculoſam non eſſe; ſed illam ſolum, quam quis ſibi

ſibi per vim arripiat. Cui diſputationi obſtare videtur decemvirorum electio, qui à populo Romano ad condendas leges ſtatutaque Reipublicæ electi: paulo poſt, ſua malitia, imperium Reipublicę occuparunt, libertatemque ſuſtulerunt. Itaq; limitandum eſt id quod pronunciavimus, habendaque ratio cum modi, quo potentiam in aliquem conferimus, tum etiam temporis, quo illa duratura ſit, utrum in longum aut breve tempus alicui concedatur? nam quæ in longum tempus conceditur ſumma porentia, vel in unum annum ſaltem, periculoſa eſt, & ad tales effectus producendos accommodata, qualis eſt animus eorum, quibus conceditur. Erat autem decemvirorum potentia longe major, quam illa, quæ Dictatori tribuebatur: nam electo Dictatore, ſtabat nihilominus Conſulum atque Senatus majeſtas, & potentia tribunorum, quibus ſeptum videbatur Dictatoris Imperium. Et quanvis Dictatori liceret quempiam vel Conſulatu removere, vel à tribunitia poteſtate deponere: non poterat tamen is in univerſum vel conſules, vel ordinem Senatorium, vel Tribunitiam poteſtatem abolere & novam Reipub. formam introducere: ſed cum horum omnium oculos intentos in ſeſe haberet: cogebatur vel nolens ea tantum tractare, quę ex uſu Reip forent. Sed diverſa fuit decemvirorũ ratio, quod in hos omne P. Rom. imperium tranſlatum fuiſſet, ſublatus conſulibus atq; Senatu, & conſopita quaſi etiam

ſi etiam Tribunorum plebis potentia. Itaque cum eſſent creati ſine provocatione, ſoliq; omne imperium obtinerent, neque quiſquam alius magiſtratus eſſet, qui illos obſervaret: facile illis fuit, ut altero, poſtquam creati fuiſſent, anno, Appii Claudii ambitione commoverentur, & in tantam inſolentiam inciderent. Quæ cum ita ſint, eam potentiam ſecundū leges & populi ſuffragia collocatā dicimus Reip. pernicioſam eſſe non poſſe, quæ juſtis de cauſis tribuitur, quæq; ſuis limitibus ac certo temporis ſpacio terminatur: non eam quam populus, vel largitione, vel ſua imprudentia perſuaſus, abſolutam & nullis terminis circumſcriptam, largitur, cujuſmodi illa fuit, quam pop. Romanus Decemviris contulit. Id ita ſe habere intelliges ſi commemoratas jam cauſas expenderis, propter quas & Dictatores bene, & Decēviri Rempub. malè adminiſtraverint. Et modum etiam obſervaris, quo aliæ benè inſtitutę Reſpub. magnam potentiam ſuis attribuerint: veluti Spartani ſuis Regib. & Veneti ſuis ducibus tradiderunt: utrique enim limites eorum potentiæ cōſtituerunt, & cuſtodiam quandam illi præfecerunt ne ſi mali eſſent poſſent potētia ſua in perniciem Reipub. uti. Neq; enim ſufficit ſi hujuſmodi potentia in viros bonos conferatur: quod ubi ſumma potentia eſt, ibi facilè corrumpantur boni mores, contrahanturque amicitiæ, opes acquirantur, clientelæ comparentur, & infinita alia ejus generis brevi temporis ſpa-

cio

cio oriantur: quemadmodum ex Decemvirorum hiſtoria apud Roma. ſatis ſuperque apparet.

CAPUT XXXVI.

Si qui cives ſummos magiſtratus geſſerunt, eos non debere poſtmodum aſpernari minores.

MArco Fabio, & C. Manlio conſules præclaram de Vejentibus, Hetruſciſq; victoriam populus Romanus obtinuit: ſed in eo cōflictu occubuit Q. Fabius Marci frater, qui ſuperiori anno Cōſul fuerat. Quo loco ſeſe offert præclara occaſio, admirandi præclaram Rom. Reipub. formam, ſtatutaque ad imperium augendum quam maximè accommodata: à quorum inſtitutis, quo magis recedunt Reſpub. quæ noſtro tempore florent, tanto magis eas aberrare certum eſt. Romani cives certè etſi gloriæ quam maximè avidi eſſent, non dedignabantur tamen quandoq; iis in exercitu parêre, quib. ante ipſi imperaſſent, & in eo exercitu quandoq; ſtipendia mereri, cuius ante duces fuiſſent. Huic rei adverſantur noſtro tempore homines, vſq; adeo, ut Venetiis etiam publicis legibus quis recuſare poſſit munus aliquod in exercitu, ſi prius cum majori dignitatis gradu militaverit. Quæ res etſi ad privatorũ hominũ dignitatem tuendam facere videatur, Reipub. tamen inutilis eſt: Primum enim ei qui majus aliquod munus adminiſtrauit, facilius audebit

Reſpub.

Reſpub. minus demandare, quã ei majus committere, qui non niſi in minoribus ſe exercuerit. Nam juveni, ac novo homini non tuto committuntur res tanti momenti, niſi ſtipati fuerint viris virtute conſpicuis, quorum conſilio eas adminiſtrare poſſint. Quod ſi apud Rom. idem quod Venetiis, & in aliis Rebuſpub. obſervatũ fuiſſet: nec quicquã qui ſemel Conſul fuiſſet, aliter quam ut Conſul militare voluiſſet: multa iis accidiſſent, quibus libertas periclitari potuiſſet. Pręterea ſi novis hominibus tantum imperium ſolis fuiſſet demandatum, nec ii ſecum habuiſſent qui ſæpe aliis muneribus præfuiſſent, quos obſeruare deceret: multa in Reipub. perniciem perpetrare facile potuiſſent.

CAPUT XXXVII.

Legem agrariam populo Romano multas ſeditiones turbasque peperiſſe: ſemperque periculoſum eſſe Reipublicæ, ſi quis legem condat antiquæ conſuetudini adverſam.

OBSERVATUM eſt ab antiquis ſcriptoribus homines ab adverſa fortuna affligi ſolere, ſed à proſpera deinde occæcari: & ab utroq; eoſdem poſtmodum affectus dimanare. Quando enim homines nulla neceſſitas ad pugnam impellit, ambitione impelluntur: quæ tantum poteſt in hominũ animis, ut ad quemcunque gradum aſcenderis, nunquam tamen contentus ſis, ſed altius ſemper enitaris. Atque id ho-

id hominibus propterea accidit, quod natura omnes apti ſint ad appetendas res quaſvis, ſed non ad eas conſequendas: cumque majus ſit deſiderium, quam vis comparandi res deſideratas: non acquieſcit animus iis, quæ jam poſſidemus. Hinc naſcitur deinde omnis fortunæ varietas: nam cum ſemper plura omnes appetamus: iidemque etiam metuamus, ne illa quæ jam poſſidemus, amittere queamus: in ſuſpiciones incidimus, atque hinc in inimicitias, ac funebre bellum deſcendimus, ex quo ruina Reipublicæ conſequitur. Hæc in eum finem diſputavimus, ut melius Romanæ plebis naturam contemplareris: quæ neceſſitate quadam impulſa ſeſe adverſus Patricios, Tribunitia poteſtate, munire coacta fuit. Sed poſtquam hoc obtinuiſſet, ad quod appetendum neceſſitas urgebat: ambitione ipſa commota, honoribus & opibus etiam cum Patriciis certare voluit: ex qua re ſeditiones ortæ ſunt de lege Agraria: ac demum Reipublicæ interitus. Cæterum quia neceſſe eſt, ut in Repub. recte inſtituenda, ratio potior habeatur publici, quam privati boni: non potuere Romani, in iis quæ ad hanc legem pertinebant, non erraſſe à principio urbis: quod illam non talem conſtituerint, ut de ea ſucceſſu temporis non opus eſſet tot altercationibus dimicare: niſi forte pronuntiare velimus: recte quidem à principio omnia, quę ad illam pertinebant, conſtituta eſſe: ſed tẽporis ſucceſſu fuiſſe obliterata. Utut ſe res

habeat

habebat, Romæ certè nunquam facta mentio eſt hujus legis, quin magnæ controuerſiæ atq; turbæ ſecutæ fuerint. Duo autem erant illius capita: primum, ne cuiquam civiũ Romanorũ liceret poſſidere amplius, quam certum quendam jugerorum agri numerum. Alterum ut agri qui ex hoſtibus capti eſſent, P. Romano viritim diſtribuerentur. Vtrumq; autem patribus aduerſabatur: nam cum pleriq; plus agri poſſiderent, quàm hæc lex illis permitteret: publicabantur hoc plebiſcito illorum fortunæ: & cũ viritim dividendi agri eſſent, qui ex hoſtibus caperentur: auferebatur iiſdem paribus occaſio, quo minus diteſcere poſſent. Quæ cum ita eſſent atq; hæc lex patrum potentiæ tantopere aduerſaretur: nunquam eius mentio à tribunis fiebat, quin iis patres ſeſe magno cum conatu opponerẽt, tanquã pro aris & focis dimicaturi. Cæterum tribunitiis furoribus, prudentia occurrebant: nam cum eam rogationẽ promulgare vellent: patres ut impedire poſſent, expeditionem ſuſcipiebant, exercitum cõſcribebãt, aut per aliorum tribunorũ interceſſionem, eorum qui rogationem promulgaſſent poteſtatẽ diſſolvebant: aut novas Colonias deducebant. Quemadmodum accidit tunc. cum Antium Colonia deduceretur: quo tempore cum in magno Agrariorum patrumque certamine, hoc remedium vnicum pacis inventum fuiſſet: perpauci tamen fuere ut Liuius inquit, qui ad accipiendũ agrum nomina darent, ut ad explẽdum

Lex Agraria.

dum numerum Coloni Volſci adderentur: cætera enim multitudo poſcere agrum Romæ malle, quam alibi accipere. Subinde tamen repullulabant hujuſmodi agrariorum cõtentiones, ut cogerentur, earũ ſedandarum cauſa exercitus ad extremas Italiæ oras, atq; etiam extra Italiæ fines educere: ita enim accidebat, ut cum agri qui ex hoſtibus caperentur, procul ab urbe diſtarent, nec plebi eorum colẽdorum ratio aliqua niſi difficillima ſupereſſet, ſopirentur Agrariarum legum rogationes. Cæperunt etiam mitiores eſſe Romani in mulctandis agro hoſtibus: & ſi qui tamen agro ſuo expellerentur: tunc eo Colonias deducebant. Hiſce artibus illas contentiones ſopiverunt uſq; ad Grachorum tempora à quibus de novo excitatæ Reipub. cauſam præbuerunt, amittendæ libertatis. Nam cum firmiores jam eſſent patriciorum vires: tantum inter eos & plebem certamen effecerunt, ut ad arma perveniretur: quibus cũ Magiſtratus obviã ire nõ poſſet, & partium ſtudia exardeſcerẽt: eo vſq; ventũ eſt, ut utraq; pars de eligendo ſibi principe cogitaret, Plebs ergo Mariũ ſibi delegit, eumq; quater cõſulem fecit: atq; ille deinde auctus imperio, & potẽtia, turſus ſeipſum ter conſulẽ creavit. Adverſus hujuſmodi incendium, cum patres non aliud remedium haberent, ad Syllam ſeſe converterunt, quẽ cum ſuarum partiũ ducẽ creaſſent, bello ciuili exarſit Reſp. ac varia fortuna ſæpiuſq; multo ſanguine pugnatũ eſt donec patres

tres ſuperiores evaſerunt. Ultimo denique eadē ſtudia C. Cæſaris & Cnei Pompei temporibus excitata, ruinam Reipublicæ pepererunt. Nam cum Marianarum partium C. Cæſar, & Pompejus Syllanarum princeps eſſet: vicit Cæſar & primus fuit qui tyrannidem Romæ occupavit, poſt cuius tempora, nunquam amplius libertatem ea urbs conſequi potuit. Hujuſmodi fuit contentionum de Agraria lege initiū: hujuſmodi etiam finis fuit, quibus repugnare videtur illa diſputatio, qua capite quarto hujus libri contendimus diſcordias, quæ Romæ inter plebem & Senatum fuerunt, ad augendum imperium & conſervandam libertatem cōduxiſſe, cum ſubinde occaſionem darent bonis legibus ſanciendis, quæ ad libertatem populi conſervandam facerent. Ad quod ego reſpondeo: nil impedire legis Agrariæ exitum, quo minus vera ſint, quæ eo loco diſſeruimus, tanta eſt enim magnatum ambitio, ut niſi illa variis modis in civitate frenetur, mox ſit imperium occupatura. Et cum viderimus Agrarias contentiones graſſatas eſſe trecentos annos, antequam Reipub. libertatem evertere potuerint: exiſtimare oportet, patriciorum ambitionem eam longe citius corrumpere potuiſſe, niſi plebs ei, cū hiſce Agrariis, tum aliarum rerum contentionibus frenum injeciſſet. Quo loco obſervare oportet etiam, opes ab hominibus magis in pretio haberi, quam honorum gradus: nam patres Romæ cum de honoribus cum plebe certarent

ſine

ſine vehementi motu ceſſerunt. Sed cum de opibus certari cœptum eſſet, tanto conatu eas defenderunt, ut maluerint ad incendia illa pervenire: quam eas amittere. Eorũ incendiorum cauſam Gracchi fere ſuppeditarunt, quorum voluntas & ſtudium erga plebem melius, quam prudentia laudari poteſt. Nam extirpare velle malum aliquod, quod longo tempore in Republica duravit, & ſancita lege tempora emendare dudum præterita, res eſt periculo plena, & quę ad id malũ augendum potius, q̃ tollendum facere queat: quod ſi vero id patienter feratur, non tam cito ad extremam perniciem pervenire ſolet, & quandoque etiam ſponte aboleri.

CAPUT XXXIII.

Reſpublicas debiles plerunque conſilio deſtitutas eſſe, & quæ facienda ſibi decernunt, ad ea neceſſitate magis quam prudenti conſilio impelli.

CUM Romæ peſtilentia olim graſſaretur, exiſtimârunt Volſci & AEqui oblatam ſibi occaſionem urbis opprimendæ, quamobrem conjunctis viribus Hernicos Latinoſq; invaſerunt infeſto exercitu. Id illi populo Romano ſignificare coacti, auxilium ab ipſo petierunt. Sed Romani peſtilentia afflicti responderunt, ſe illis eo tempore ſubvenire non poſſe: darent igitur operam, ut ipſimet ſeſe defenderẽt. Quo loco admirari licet, Senatus, populiq; Romani ſapientiam

ſapientiam, atq; prudentiam, qui ipſemet quidem ſtatuere voluit de iis: quæ fieri oporteret, quicunque fortunæ ſtatus eſſet, ſed interim non dedignatus eſt, fortunæ adverſitatem moderatè ferens, id conſiliũ arripere, ad quod occaſio duceret, quamvis non videretur eſſe ex ſua dignitate. Nã cũ iiſdem hiſce populis alias interdixiſſent, ne ipſimet arma caperent, ac ſeſe defenderent: potuiſſent eis videri, niſi præſentẽ rerum ſtatum conſideraſſent, quod eo ipſo: quod illis defendendi ſui poteſtatem facerent de ſuo jure cedere viderentur. Ac populus imprudentior & minus conſideratus ob haſce cauſas id illis non permiſiſſet: ſed Romani prudenti conſilio omnia adminiſtrantes, id malu[...] quod altero minus eſſet, neceſſitate coacti, tan[...] quam ſi bonum eſſet admiſerunt & acceptarũt[...] Nam cum neq; ex ipſorũ dignitate eſſet, quo[...] ſubditos ſuos ipſi defendere nequirent, nequ[...] Reipub. commodum, vt iidem ſubditi propri[...] viribus ſeſe hoſtib. opponerent: tamen cum in[...] telligerent fore omnino, vt oppreſſi arma c[...] perent, ac ſe defendere etiam injuſſi conarẽtu[...] Id conſilium, quod honeſtius erat, arripuerũ[...] & permiſerunt ipſis ut arma caperent, ſaltem [...] populi Romani juſſu id facere viderentur: ne alias pro ſuo arbitrio aut libidine idem aud[...] rent tentare per ſe. Quod conſilium per ſe b[...] num, etiam tale videtur; ut quælibet Reſpub[...] cæ in huiuſmodi caſibus illud ſint amplexur[...] ſed quæ debiles ſunt, & conſilio ſapientum [...]

rorũ

orum deſtitutæ, tamen id neſciunt amplecti. Cum Valentinus Borgia occupaſſet Faventiam & Bononiam eo compuliſſet, ut ſecum pacifici cogeretur: Romã reverſurus per Hetruriam, à Florentinis petiit, ut illac ſibi tranſitum cum exercitu concederent, id Florentini permittere noluerunt, eaq; in re Romanorum exemplum nequaquam ſunt imitati. Nam cum haberet tunc ſecum Valentinus inſtructiſſimum exercitum, Florentini autem plane inermes eſſent, non poterant illum tranſitu prohibere, quamobrem honeſtius illis fuiſſet, ut permiſſu ac voluntate ſua tranſire videretur, quam per vim ſibi tranſitum patefeciſſe, ſicuti illis magno cum dedecore accidit. Sed hæc eſt inconſultarum Rerumpublicarum natura, ut non niſi ad ea, quæ præſens neceſſitas urget oculos intentos habeant, & neceſſitate magis, quam prudentia ad deliberandum impellantur: quo fit ut ſi quid illis etiam proſpere ſuccedat, non ſuæ prudentiæ id, ſed fortunæ attribuere debeant. Hujuſmodi conſultationum bina adhuc extant in noſtra Republica inſignia exempla, quæ noſtra memoria contigerunt. Anno ſalutis M.D. cum Ludouicus XII. Galliæ Rex Mediolanum occupaſſet, pactus eſt cum Florentinis, ſe illis Piſas recuperaturum, ſi quadraginta millia aureorum illi ſolverent: ob eamque cauſam verſus Piſas exercitum ſuum miſit Boemõtio Gallo duce, cui Florentini non parum confidebant. Hic cum inter Caſcinam & Piſas

jam eſſet, & ea quæ ad expugnandam urbe[m]
pertinerent, inſtrueret: pervenere ad eum Piſa-
ni Oratores, & obtulerunt Boemontio urbem
ſi regia fide promitteret, quod eam ante qua-
tuor menſes non eſſet Florentinis traditur[us].
Sed cum hoc pactum Florentini non admiſi[ſ-]
ſent, urbem obſedere fruſtra, & tandem ab ob-
ſidione cum ſummo dedecore diſcedere coa-
cti ſunt. Reſpuerunt autem id factum Florenti-
ni, quod de regia fide dubitarent, quanvis ne-
ceſſitate coacti, ſe in illius Clientelam dedidi[ſ-]
ſent, nec interim advertebant, facilius eſſe reg[i]
ut Piſas illis traderet, ſi illas poſſideret, qua[m]
promittere, ſe eas traditurum, quas nondu[m]
occupaſſet: quibus accedit, quod ſi conſtitut[o]
tempore eas non retinuiſſet, certum argumen-
tum habuiſſent regiæ erga ſe voluntatis, ne[c]
promiſſiones ejus tanta pecunia comparaſſen[t].
Itaque longe magis è re Florentinorum fuiſſet
ut Boemontium paſſi eſſent, Piſas quacunqu[e]
tandẽ conditione occupare, quam ut ea pact[a]
reſpuerunt. Idque experientia ipſa tertio ann[o]
poſt comprobavit. Nam cum Aretini defeci[ſ-]
ſent, & Rex Galliæ ad eos ſubigendos Jubalti[um]
quendam Florentinis auxilio miſiſſet, poſt-
quam is aliquandiu eos obſediſſet, cœpit cum
illis de deditione conſilia tractare. Illi igitu[r]
perinde ut Piſani ſub certis conditionibus Ju-
balto ſe dedere cupiebãt, quod etiam ſi Floren-
tini denegarent, Jubaltus tamen Florentinorũ
imprudentiam admiratus, ſua ſponte ac neſci[is]
Floren-

Florentinorum legatis, cum Aretinis ut potuit tranſegit, confectiſque pactis cum exercitu ſuo Aretium ingreſſus, Florentinis ſignificavit, eos eſſe imprudentes & rerum bellicarum imperitos, quod ſi Aretium habere vellent, id à Rege peterent, qui ipſis illud jam, cum in eo exercitum habeat, melius tradere poſſit, quam ante cum illud foris obſiderent. Florentini etſi à principio Jubaltum calumniari non deſinerent: tamen cognoverunt tandem, quod ſi Boemuntius Jubalto ſimilis fuiſſet, Piſas quoque ſicuti Aretium fuiſſent recuperaturi. Hæc igitur illis, ſicuti cæteris quoque Rebuſpub. quæ infirmæ ſunt, ob conſilii inopiam acciderunt, nunquam enim bene conſultare poſſunt eæ, neque conſilia acceptare, in quibus aliquid ſcrupuloſe videtur ineſſe, niſi ſcrupulus illis externo quodam caſu eximatur.

CAPUT XXXIX.

Eoſdem caſus ſæpe diverſis gentibus accidere.

SI quis præſentes res conferat, cum præteritis, & quæ jam olim geſta ſunt, cum iis comparare volet, quæ ſubinde fieri videmus: is facile intelliget eadem & nunc & olim vitia regnare, eaſdem cupiditates, eoſdem deniq; furores hominum animos exagitare. Quo fit, ut qui in Reipub. adminiſtratione, res aliquas diligenter examinet, facile queat de futuris provide-

re & futura pericula iiſdem remediis avertere, quibus veteres uſi ſunt, ſiquidem illa in promptu fuerint: aut ſi non ſuppetant, de iis cogitare queat. Sed quia negligitur hæc contemplatio aut certe ab iis qui res antiquas legunt, non intelligitur: ab iis vero qui Rempub. adminiſtrant plane neſcitur: idcirco fit, ut ſubinde eadem incendia, eademque mala ut olim oriantur. Anno Servatoris noſtri 1494. amiſerant Florentini magnam imperii ſui partem, cum inter cætera Piſæ quoque defeciſſent: idcirco ut id recuperarent, bellum gerere cogebantur: ſed quia præpotentes erant hoſtes, à quibus hæ fuerant ablatæ, magnos ſumptus faciebant Florentini, nec tamen quicquam præclari gerebant. Sumptuum magnitudo populo gravis erat, atque illinc multæ querelæ oriebantur adverſus decemviros, qui antiqua conſuetudine in Republica Florentinorum rebus bellicis præfecti erant, quæ res eo uſque aucta eſt, ut publice omnes auderent in Decemviros referre cauſas & bellorum & onerum, quæ ob bella ferenda eſſent, aſſererentque, ſi hic magiſtratus è Republica tolleretur, fore etiam ut finis bellorũ ſequeretur. Hinc accidit ut cum tempus eſſet Decemviros eligendi, nullos prioribus ſubrogare voluerint, & rei quoque bellicæ curam Senatui commiſerint. Sed hoc ipſum Reipublicæ tam pernitioſum fuit, ut non modo finẽ bellis imponere, ut vulgo putabatur, nequiverit: verũ novas bellorum cauſas pepererit. Nam ſublatis

tis iis qui prius bellum prudentia quadam, ac rei militaris peritia adminiſtrabant, præter Piſas, etiam Aretiũ amiſerunt, & multa alia loca: quamobrem agnito ſuo errore Florentinus populus, & animadverſo quod ea mala, nõ ex medico, ſed ipſo febris incendio naſcerentur: intermiſſum Decemvirorum Magiſtratum reſtituerunt. Huic caſui ſimilis alius fuit Romæ, cum adverſus Conſules plebs odio flagrare cœpiſſet. Nam cum illic quoq; ſubinde nova bella repullularent, ut ne, reſpirandi quidem facultas dari videretur: exiſtimare debebant id accidere ſibi propter ambitionem vicinorum, qui eos opprimere conarentur: ſed ipſi cauſas in Conſules reijciebant, & Patriciorum cupiditates tanquam ſi ii, cum Romæ plebem tribunitia poteſtate munitam vexare ſatis non poſſent: eam extra urbem educere, & ſub conſulum imperio fatigare, vel plane opprimere vellent. Idcirco neceſſe eſſe aut tolli conſulum imperium, aut certe legibus ita limitari, ut neque domi, neq; militiæ plebi moleſtũ eſſe poſſet. Qui primus ea de re legẽ rogavit, fuit Terentillus Tribunus plebis, qui ſuadebat, ut quinqueviri eligerentur ad limitandam conſulum potentiam. Ob eam rem quamvis patres vehementiſſime indignarentur, ac imperii majeſtatẽ imminutã contenderent, ſi ſua dignitas ipſis non aliter conſervaretur: tamen vicit Tribunorum pertinacia, ut extingui conſulum nomen oportuerit. In quorum locum cum tribuni conſulari

poteſtate crearentur, conſulis appellationem odio proſequebantur, rem ipſam atque potentiam retinebant, ſub alio nomine: idque eo uſque obſervatum, donec errore cognito, ſicuti Florentini ad decemviros, ita illi ad conſules redierunt.

CAPUT XL.

Quæ fuerit ratio Decemviratus Romæ? Quid in eo memorabile? Et quantum tale quoddam inſtitutum poſſit, cum ad opprimendam, tum ad conſervandam Rempublicam.

DEINCEPS diſſeremus, de iis, quos Decemviratus Romæ peperit, motibus, quod ut melius facere queamus, modum & cauſas enarrabimus quibus permotus populus Romanus ad Decemviros imperium traduxerit, deinde quid in ea re memorabile ſit, & obſervandum, cum ab iis qui patriæ libertatem conſervare cupiunt, tum iis etiam, qui occupandæ tyrannidis deſiderio teneantur. Nam multa ac memorabilia exempla in hac hiſtoria continentur errorum, quos & Senatus populusque Romanus publicæ libertati pernicioſos, & Appius Claudius Decemvirorum princeps ad tyrannidem aſpirans, inſtituto ſuo adverſos, commiſerunt. Poſt multas variaſque patrum ac plebis concertationes, ut finem tandem certaminum facerent & Rempubli. hujuſmodi legibus formarent.

quæ

quæ cōmodæ forent: miſſi legati Athenas, Sp. Poſthumius Alb⁹, A. Manlius, & Sulpitius Camerinus, juſſique inclytas Solonis leges deſcribere, ut ad illarum normam ipſi quoque Rempublicā formare poſſent. Poſtquam ii cum legibus rediiſſent, deliberatum eſt de iis, qui has leges intueri, contemplariq; deberent, & ad illorum normam Romanas condere, ad quam rem decem cives elegerunt, & inter eos Appium Claudium nobilem, ſed inquietum hominem, ut anni ſpacio has leges conderent. Quod ıt majori cum autoritate ab iis præſtari poſſet voluerunt ne quis alius eo anno Magiſtratus ſſet ullus, eoſque ſine omni provocatione cre-ırunt : quo fiebat, ut univerſum urbis impeıium penes ipſos jam eſſet, cum neque conſules, ıeque tribuni ulli jam extarent. Hæc cum ita e haberent, totius imperii principatus jam pe-ıes Appium erat favore plebis, qui novū inge-ıium induerat, ut plebicola repente, omninoque auræ popularis captator evaderet, pro truce ſævoq; inſectatore plebis. Per cætera tamen umma æquitate erga cæteros omnes utebātur, nodeſteque ſeſe gerebant, faſces non niſi duoecim erant, qui ei præferebantur, qui tum cæteris præiret, adeoq; unius rei exemplo licet coum moderationis argumentum ſufficienter eſumere. Nam cum ſine provocatione creati ſſent, tamen cum homicidam quendā deprææendiſſent, ei apud populum diem dixerunt, & opulum id judicare voluerunt, & antequam

Ius duodecẽ Tabularum. leges ſancirent, populum in concionem advocarunt, cujus ipſi legitimi judices eſſent. Jus decem tabulis comprehenderunt, quod fœlix fauſtumque ſit Reip. & ipſis liberiſq; eorum, ire & legere leges propoſitas juſſere: ſe quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus ſummis infimiſque jura æquaſſe: plus pollere multorum ingenia, itaque perpenderent ſinguli, quid in unaquaq; re plus minuſve eſſet: Eas leges populum Romanum habiturum, quas cõſenſus omnium invexiſſet, ne juſſiſſe leges magis, quam tuliſſe eas videretur. Sec cum hæ leges ſatis correctæ viderentur, perlatæq; eſſent, vulgatur Appii Claudii arte per urbem rumor deeſſe adhuc binas tabulas, quibu adjectis, abſolui poſſit veluti corpus omni Romani juris. Ea expectatio cum dies Comitiorum appropinquaret, deſiderium decemviros iterum creandi fecit: cui rei plebs facile aſſenſit, cum & conſulũ nomen perinde ut regium odiſſet, neq; tribunitium auxiliũ deſideraret, cum decemviri tanta moderatione uti viderentur. Itaque cũ jam Decemviris creandi comitia indicta eſſent, magna exarſit inter primores patrũ ambitio, uſque adeo, ut honorem quem ipſi prius impugnaſſent, à plebe cũ qua contendere ſolerent, undiquaq; ſupplices peterent. Sed inter omnes Appium Claudiũ maxime ſtimulabat continuandi magiſtratus deſiderium, quamobrem ut candidatus potius quam Decẽvir in foro verſabatur, cum infimis

quj-

quibuſq; ſe plebi venditans, eamq; undiq; prehenſans, ut ejus collegæ, qui prius illi addictiſſimi fuerant, nihil in eo ſynceri ſuſpicarentur: neq; enim gratuitam in tanta ſuperbia comitatem eſſe ſolere. Itaq; ut ejus inſtitutum impedirent, ipſi habendorum comitiorum munus injungunt, ne ipſe ſeipſum creare poſſet, neque enim eo uſq; quenquam id auſum fuiſſe. Sed ille pro occaſione hoc illorum impedimentũ arripuit, & ſe imprimis Decemvirum creavit, non ſine magna omnium bonorum admiratione, neq; enim quiſquam id auſurũ crediderat. Hiſce peractis, cæpit animadvertere populus Romanus errorẽ ſuum. Appio enim jam finis erat ferendæ alienæ perſonæ, ſuoq; deinceps vivere ingenio cœpit, & novos collegas, priuſquam inirent magiſtratum, in ſuos mores formare. Initio igitur Magiſtratus, primum honoris diem, denuntiatione ingentis terroris inſignẽ fecerunt: Nam cum ita priores decemviri ſervaſſent, ut unus faſces haberet, & hoc inſigne regium in omnes per orbẽ iret: ipſi ſubito omnes cum duodenis faſcibus prodiere, centum viginti Lictores forum impleverant, & faſcibus ſecures illigatas præferebant. Atque hic terror aliquandiu adæquatus inter omnes fuit, paulatim vertere im plebem cœpit. Si quis ob unius decemviri redditum ſibi jus, collegæ appellatione corrigi petiiſſet, ut priores decemviri permiſerant, ab eo ad quem venerat, ita diſcedebat, ut pœniteret, non prioris decreto ſtetiſſe.

Hinc jam circumſpectare patriciorum vultus plebei, & inde libertatis captare auram, unde ſervitutem timendo in eum ſtatum Rempub. adduxerant. Primores patrum Decemviros oderant, nec probabant illa quæ fierẽt, ſed haud quaquam indignis plebeis ſea accidere putabant, cum avide ruendo ad libertatem, in ſervitutem ſeſe præcipitaſſent: gratas ergo illis eſſe eas injurias, ut tædio præſentium Conſules duo & ſtatus priſtinus in deſiderium venirent. Jam proceſſerat major pars anni, & duæ tabulæ legum ad prioris anni decẽ tabulas erant adjectę, ſed nõdum tamen centuriatis comitiis perlatæ. Decemviri comitiorum nullam mentionem faciunt: ſed qui prius tribunitios homines circum ſe oſtentaverant plebi: patriciis juvenibus jam ſepſerant latera, quibus bona eorum donabant, qui ab ipſis ſupplicio affecti fuiſſent: qua mercede juventus nobilis corrupta, non modo Decemvirorum injuriis non ibant obviam, ſed propalam licentiam ſuam malle, quam omnium libertatem affirmabant. Hæc cum ita agitarentur, Sabini & Æqui magna manu incurſionem in agrum Romanum fecerunt. Decemviri quid facto opus ſit conſultant, agnoſcuntq; ſe inter patrum & plebis odia deſtitutos: nam abſque Senatu bellum rite ſuſcipere non poterant, & Senatum convocantes imperium ſuum amittere videbantur. Neceſſitate tamen coacti Senatum convocant: is varia adverſus Decemvirorum tyrannidem diſputavit, præſertim L. Valerio.

Valerio,& M. Horatio autoribus: ſublataque tunc fuiſſet eorum potentia: niſi obſtitiſſet odium plebis. Nam Seniores ac conſulares ab reſiduo tribunitiæ poteſtatis odio, cujus deſiderium plebi multo vehementius quam conſularis imperii eſſe rebantur malebant poſtmodum ſponte ſua Decemviros magiſtratu abire quam illorum invidia exurgere plebem rurſus: ſperabantque ſi per intervalla, & interjectis bellis res leniter ad Conſules rediiſſet, poſſe plebem in oblivionem tribunorum adduci. Silentio patrum ergo tandem educitur delectus eductiq; gemini exercitus Decemvirorum ductu. Appius Claudius ad componendos urbanos motus relictus, Virginiæ plebeiæ virginis amore nephando captus eſt, quam, cum per vim ſibi ut ſervam adjudicaſſet, Virginius pater tuendæ pudicitiæ cauſa, necavit. Atq; hinc ortus tumultus, cum Romæ, tum in exercitu, effecit, ut plebs in ſacrum montem ſecederet, à quo diſcedere noluit, donec creatis conſulibus & tribunis Plebis, Reſpublica priſtinum ſtatum, & antiquam libertatem recuperaſſet. Hæc eſt decemviratus apud Romanos hiſtoria ſummatim comprehenſa, in qua obſervare oportet, populum Romanum ob eaſdem fere cauſas ſub hujuſmodi jugum incidiſſe, propter quas & nunc multis Rebuſpub. contingit in ſervitutem prolabi. Hujuſmodi ſunt nimirum libertatis deſiderium in plebe, nimiaque dominandi cupiditas in patriciis, ob quas cauſas, ſi

quando altercantur, ut non convenire inte
eos poſſit, convertuntur utriuſque ſtudia in u
num aliquem cui utriq; confidunt, atq; is poſt
modũ tyrannidem occupat. Decemviros crea
runt Romæ tanto patrum plebiſque conſenſu
tantaque cum potentia, propter odium, quo il
li Tribunitiam põteſtatem, hęc vero conſular
imperium proſequebatur. Ubi creati fuiſſent
ſimulavit Appius, ſe popularem eſſe, & pro cau
ſa plebis ſtrenuum futurum: itaq; plebem faci
le ſibi conciliavit. Quotieſcunque autem in ur
be populus eo adducitur, ut extollat evehatque
eum, per quem adverſarios ſuos puniri poſſi
ſperat: tunc ſi hic induſtrius gnavuſq; eſt impe-
rium vrbis occupare poteſt. Nam populi auxi-
lio optimates opprimet, & ſublatis optimati-
bus, populum quoq; ſub jugum ſervitutis redi-
gere poterit, cum non habeat jam, ad quem de-
ficere queat, aut cujus auxilium implorare poſ-
ſit. Antequam autẽ optimates extinxerit, nun-
quam ſe ad opprimendum populum converte-
re debet. Hac ratione uſi ſunt, quicunque cum
quadam induſtria patriæ tyrannidem occupa-
runt: quam ſi Appius ſequi potuiſſet, non tam
cito male partum imperium amiſiſſet, ſed iș
impotentia quadam animi, contrariam viã in-
gredi voluit: nam cum retinere tyrannidem de-
crevisſet, nil tam ſtolide ab illo fieri poterat,
quam quod populũ, cujus favore eam occupa-
verat, & conſervare potuiſſet, opprimere cona-
tus, ſibi infenſum reddidit: & patres qui neq; e-
am illi

am illi concedere, neq; conſervare potuiſſent, placare, & amicos ſibi facere eos voluerit, qui amici eſſe nunq̃ potuiſſent. Nam etſi optimates atque nobiles libenter imperent & tyrannidem exerceant: tamen cum tyrannus aliquis urbis imperiũ per vim occupat: tunc quotquot illorum participes eſſe nequeunt fructuum tyrannidis: neq; optima munera adminiſtranda obtinent: ii omnes tyrannũ cane pejus & angue oderunt: neq; poteſt etiam fieri, ut tyrannus omnium voluntati, ambitioni & avaritiæ ſatisfaciat, cum neq; tantæ opes, neq; honorũ gradus ſuppetant. Hiſce accedit, quod neceſſe ſit eum, qui vim facere velit, fortiorem eſſe eo, quẽ opprimere nititur. Itaq; ſi quis in retinenda tyrannide populum amicum, optimates vero infenſos habuerit: fortior tutiorque erit, quam is, qui populũ infenſum, & optimates amicos habet, majores enim ſemper ſunt populi, quam nobilium vires in civitate, ut tyrannus ſolis iis abſque externis auxiliis ſe tueri queat. Id in Nabide Spartanorum tyranno apparuit; qui cum amicum haberet populum, paucos autem optimates hoſtes, ſublatis optimatibus populi favore, ſe adverſus pop. Romanum, Univerſamq; Græciam defendit, quod nunquã facere potuiſſet ſine populi favore. Qui vero optimatib. ſtipatus, populum habet inimicum, abſq; externo auxilio ſe tueri non poteſt, quamobrẽ & Satellitib. indigebit ad cuſtodiã ſui corporis, & milite armato, & deniq; amicitia vicinorum prin-

cipum ac popuorlum, quorum clientela defendatur. Hiſce tribus inſtrumentis forte ſeipſum defendere poterit, & male partum imperium conſervare, quamvis plebem adverſam habuerit. Sed Appius cum nihil horum fecerit, aut facere potuerit, in primo tyrannidis initio ſtatim corruit. Sed neque minores fuere Senatus, populiq; Romani errores, quos adverſus libertatẽ in creandis Decemviris cõmiſerunt. Nam etſi prius oſtenderimus, cum de dictatore diſſerebamus, eos tantum magiſtratus libertati publicæ pernicioſos eſſe, qui ipſi per vim imperiũ occupant: non eos, qui populi ſuffragiis, ac ſecundum certas leges eliguntur: neceſſe tamen eſt, ut cum populus novos magiſtratus eligit, rationem ſimul excogitet, ne ii facile poſſint ad tyrannidẽ degenerare. Romani autem cum Decẽviris cuſtodiam quandã præficere debuiſſent ne ſi forte cuperent tyrannidẽ exercere, liceret: iis potius licentiæ occaſionem dederunt, cum illos ſolos eo anno imperare voluerint, ſublatis omnibus cæteris magiſtratibus: Quæ quidem omnia admiſerunt quod occæcati eſſent nimio deſiderio opprimendi ſe mutuo, cum & patres tribunitiam poteſtatem, & populus imperium conſulare tantopere ſublatum cuperet. Accidit igitur Romanis hoc loco id, quod Ferdinandus Arragoniæ Rex ſæpe dicere ſolebat hominibus perinde accidere, cum ſe mutuo oderũt, ut accidit avibus, dum prædam

magna

magna cupiditate perſequuntur, nam minores aves in prædam incitatæ, non obſervant alias majores cervicibus ſuis imminentes, à quib. æque cito dilaniandæ ſint. Sed hæc jam ſatis à nobis ſunt diſputata, de malo conſilio populi Romani, quod ad decemviros conſervandæ libertatis cauſa imperium traduxerit, & Appii Claudii ſtultitia, qua male partum imperium amiſit.

CAPUT XLI.

Imprudenter facere eum, qui cum eſſet humanus & humilis, ſtatim ſuperbus ſit: & eum etiam, qui ſtatim ex bono, crudelis ſit ſine intermediis.

INTER cætera quæ Appius, poſtquam occupatam tyrannidem conſervare conabatur, imprudenter egit: non parvi momenti fuit ſubita ejus morum mutatio. Aſtute ille quidem, & callide ſe, ut popularem, à principio plebi venditavit: id enim ad tyrannidē occupandam commodum erat: quemadmodum etiam modus, quo effecit, ut Decemviri in alterum annum crearentur, ad ſuum inſtitutum præclare faciebat: nec imprudenter fecit, quod præter omnium optimatum expectationem, ſeipſum Decemvirum creare, ſibique tales collegas, quibus confidere poſſet, adjungere auſus fuit. Sed poſtquam hæc omnia perpetraſſet, ſtulte egit, quod mores tam ſubito mutavit, plebique

biq; ex amico hoſtem ſe declaravit: Quod ſi id tamen facere decreviſſet, non tam ſubito fieri oportebat, ſed ſenſim, ne dolus pateſieret, utq; aliquas ejus mutationis cauſas reddere poſſet. Nam qui boni viri ſpeciem aliquandiu præ ſe tulit, decrevitque pravus eſſe: is hanc mutationem inſtituere debet ſecundum occaſiones, ut antequam amicos perdas, qui tibi prius, ut bono viro favebant, alios hiſce contrarios, maleſaciendo ſenſim compares. Nam ſi hoc neglexeris, ac ſtatim nequitiam tuam pateſeceris, omni amicorum auxilio deſtitutus peribis.

CAPUT XLII.

Quam facile mores hominum corrumpantur.

DIGNUM obſervatione eſt etiam hoc, in hiſtoria decemvirorum: quam facile hominum mores mutentur, & in contrariã quaſi naturam degenerent, quanvis boni prius, ac bene educati fuerint. Cum intelligamus nobiles illos juvenes, quos Appius ſibi adjunxerat, munerib. corruptos, tyrannidi favere, & licentiam illam ſuam, quam publicam libertatem maluiſſe. Q. Fabium autem virum optimum, inter ſecundos decemviros, ambitione quadã & Appii malitia perſuaſum, Appio ſimilem effectum. Quæ res ſi diligenter obſerventur, legiſlatores monere debent, ut hominum cupiditates

ditates frenent legib. ne quiſquam qui Reipub. gubernandæ præficitur, ſperare queat, ſe impune laturum, ſi quid tale deliquerit.

Caput XLIII.

Eos eſſe bonos ac fidos milites, qui gloriæ ac laudis comparandæ ſtudio dimicant.

EX eadem hac decemvirorum hiſtoria animadvertere licet, quantum interſit ad rem bene ac proſpere gerendam, ut militum animi pacati ſint, & parati ad dimicandũ pro gloria comparanda, non autem inquieti, & pro cuiuſvis ambitione pugnare coacti. Nam cum exercitus pop. Romani conſulum imperio ducti ſemper victoriam de hoſtibus reportare cõſueviſſent: ſub decemvirorum inſignibus ſemper victi cæſique fuerunt. Atq; hinc etiam cognoſcere licet, quam parum tutum ſit, mercenario milite uti, quem nil aliud ad virtutem incitare poteſt, quam exiguum illud ſtipendii, quod à te ſperat: Id autem non tanti momenti eſt, ut eum tibi tam fidũ efficere queat, ut mortem pro te oppetere velit. Nam in quo exercitu miles, erga eum pro quo militat, non ſingulari quadam benevolentia affectus eſt, uſq; adeo ut particeps eſſe videatur victoriæ, quæ comparabitur: is hoſti præpotenti vix unquam reſiſtere poterit. Hujuſmodi autem amor militũ erga imperatorem, non eſſe poteſt, niſi tunc, quando ſub-

do ſubditi pro bono principe, aut legitimo magiſtratu, aut pro aris & focis dimicant. Itaq; neceſſe eſt eam Rempub. aut principem, qui ſeſe ſuaque tueri velit, ſuoſmet ſubditos diſciplina militari inſtituere, ut eorum opera tuto uti poſſit, cum opus fuerit: idq; ab omnibus iis uſurpatum eſſe novimus, quicunque in re bellica præclari quippiam præſtiterunt. Inerat certe P. Romani exercitibus eadem virtus ſub Decemviris: quam & olim ſub Conſulibus declaraverant: ſed quia non ita erga Decemviros affecti erant, ut erga conſules & patriam prius: idcirco non eadem virtutis ſpecimina, ut olim, edebant. Sed poſtquam extincta fuiſſet decemvirorum tyrannis, & patriæ libertas recuperata: tunc eodem, ut prius erga Rempub. animo affecti, eadem iterum virtutis ſpecimina ediderunt.

Caput XLIIII.

Populi multitudinem ſine ductore nil proficere: nec oportere ei minari, à quo ſis quippiam petiturus.

CUM plebs Romana, cæde Virginiæ excitata, in Sacrum montem armata ſeceſſiſſet, Senatus miſſis ad illam binis conſularibus ſuis, quæſivit quid ſibi vellent, quod armati Aventinum obſediſſent, deſertoq; bello patriam ſuam cepiſſent? Tantum autem valebat apud plebem Senatus autoritas, ut cum nondũ ducem haberet, nemo reſponſum dare auderet: &

ut Li-

ut Livius inquit: Non defuit quid reſpondere- *Livius lib. 3.*
tur: deerat qui reſponſum daret, nullo dum certo duce, nec ſatis ardentibus ſingulis invidiæ ſe offerre. Quo loco obſervare decet, quam parum proficere queat populi multitudo abſque certo duce: idque jam tum, cum à cæteris, tum Virginio præcipue obſervatum eſt: quamobrẽ curavere tunc, ut ex ipſis, viginti tribuni militum crearentur, qui ſummæ rerum præeſſent, & cum Senatu de iis agerent, quæ poſtularent. Cæterum cum ante creatos hos viginti tribunos à multitudine conclamatum eſſet, non daturos ſe reſponſum, niſi ad eos mitterentur Valerius atq; Horatius: Placebat Senatui Valerium Horatiumque in Aventinum ire: ſed illi negabant ſe aliter ituros, quam ſi decemviri deponerẽt inſignia magiſtratus ejus, quo anno jam ante abiiſſent. Quod cum decemviri poſt multam concertationem facere coacti fuiſſent: Valerius Horatiuſque ad plebem profecti, intellexere, id eam velle ut tribunitium auxilium ſibi reſtitueretur: præterea ut deinceps ab uno quoque magiſtratu liceret ad populum appellare: Decemviros denique ſibi ad ſupplicium tradi, quos vivos igni crematuros minabatur. Ad quę Legati, placere ſibi cætera poſtulata, eaq; ultro illis offerenda: ultimum damnarunt: nam crudelitatem, inquiunt ad plebem legati, metuitis, crudelitatis odio in crudelitatem ruitis: & priuſquam liberi ſitis, dominari jam in adverſarios vultis. Non oportere ergo nunc ejus rei facere

mentio-

mentionem, cum recuperatis magiſtratibu legibuſque, judicia eſſent penes eos futura: a tunc de uniuſcujuſq; capite atq; fortunis, pro ut cauſa fuerit conſtituere poſſe. Hic vero ob ſervare oportet, quam ſtulte agant, qui cum im petrare quippiam conantur, antequam id ob tineant, oſtendunt in quos uſus eam converte re decreverint, præſertim ſi illi futuri ſint for midoloſi. Perinde enim eſt ac ſi dicas, conced mihi arma ut te jugulare queam: ſatis eſt arm ſolum poſtulare, cum ea obtinueris, ea facer quod libebit.

Caput XLV.

Mali exempli rem eſſe, ſi legiſlator eam quam ipſe tulit legem, non ſervet: pratere admodum periculoſum eſſe urbis moderato ri, ſi antiqua odia novis injuriis ſubinde re novet.

Compositis motibus qui ex decem virorum tyrannide orti fuerant, & reſti tuta in priſtinam libertatem Repub. Virginiu Appio diem dixit. Cumq; is patriciis juvenibu ſtipatus in forum deſcendiſſet: Virginius eum in vincula conjici iuſſit: Appius ad populum provocat, Virginius negat eum, qui jura pro vocandi ſuſtuliſſet, provocare poſſe: neq; fidem illius populi implorare, cujus omnia jura ob- ruiſſet Appius econtra implorare leges de pro- vocatione eo ipſo anno latas. Contra ea Virgi- nius,

ius, unum Appium Claudium & legum exper-
em & civilis & humani juris eſſe ajebat. Inter
as contentiones Appius in carcerē conjectus,
ntequam dies judicii adeſſet, mortem ipſe
bi conſcivit. Atque hic pronunciare oportet,
op. Romanum leges jam jam ab ſeſe latas, ne
Appio quidem violare debuiſſe, quanvis ejus
ita omni genere ſceleris contaminata fuiſſet.
Jihil equidem tam mali exempli in Repub.
ſſe credo, quam ſi leges nuper latæ non obſer-
entur, ne ab eo quidem qui illas tulit. Cum
Reſpub. Florentinorum anno Domini 1494. 1494
n priſtinum ſtatū reſtituta fuiſſet, auxilio Hie-
onymi Savonarolæ monachi, cujus ſcripta de
pſius ſapientia, doctrina, atque animo ſatis te-
tantur: iſque legem obtinuiſſet magno labore
d civium libertatem defendendam, qua pro-
ocare licebat à Senatu, & Octoviris ad popu-
um, accidit paulo poſt, ut quinque cives à Sena-
u damnati ad populum provocarent: nec ta-
nen iis id permiſſum fuerit. Quæ res Monachi
uius autoritatē vehementer imminuit. Nam
i ex uſu Reipub. erat lex illa de provocatione,
unquam pati debuiſſet, ut contra illā ſtatim
lelinqueretur: ſi non ex uſu Reipub. erat: non
lebuiſſet prius eam tanta contentione obtine-
e. Atque id in illo Monacho tanto magis fuit
bſervatum, quod in tot concionibus, quas ha-
uit, poſtquam in eam legem peccatum fuerat,
eq; unquam eos reprehendit, qui in eam pec-
caverant,

caverant, neq; excuſauit: tanquam ſi id peccatum, quod tunc in ipſius commodum cederet excuſare non vellet: quæ res eum ambitionis inſimulavit, autoritatem imminuit, & deinceps multas moleſtias peperit. Periculoſum eſt etiam Reipu. cum novis ſuppliciis veterum injuriarum redintegratur memoria: quemadmodum Romæ factum eſt, cum plebs, decemviris dejectis, tribunitium auxilium recuperaſſet. Nam & decemviri omnes, & cives inſuper alii accuſati ſenſim damnatique fuerunt, ut ingens metus patres inceſſerit, neq; tribunos jam aliter, quam prius decemviros formidarent. Quæ res magnum Reip. periculum certe peperiſſet, niſi M. Duellius tribunis plebis, inhibito ſalubriter modo nimiæ poteſtatis, finem ſupplicii impoſuiſſet: is enim edictum promulgavit, ne eo anno cuiquam amplius diem dicere, aut in vincula quenquam conjicere liceret, eaq; moderatione patribus metum dempſit. Atq; hinc cognoſcere licet, quam periculoſum ſit, cum in libera civitate adminiſtranda, tum gubernanda Monarchia, ſi ſubditorum animi perpetuo ſuppliciorum metu ſolliciti ſint: quod hinc ad varias cognitiones atque conſilia, de conſervandis ſe ac rebus ſuis moveantur: audaceſque fiant, minuſq; horreant etiam graviſſima facinora patrare. Quod ſi ergo hujuſmodi motus aliquando oriantur, eos ſedare oportebit, aut abſque cæde & ſanguine ullo: aut ſi plane fieri nequeat, quin de quibuſdam ſupplicium ſ[umendum]

mendu.

mendum ſit: in id certe incumbendum, ut ſimul & ſemel puniantur omnes, quos puniri oportet, & poſtea quieti operam dare, ut placentur hominum animi, tutique à periculis eſſe videantur.

CAPUT XLVI.

Homines ſubinde magis magisq; ambitioſos fieri: primo enim eo ſpectare, ne ab aliis opprimantur, poſtea eo etiam eniti, ut ipſi alios opprimere poſſint.

POSTQUAM populus Romanus recuperata libertate in priſtinum ſtatum rediiſſet, tantoque etiam majora tuendi ſui fundamenta poſuiſſet, quanto plures leges adverſus patriciorum potentiam obtinuiſſet: occaſionem habere videbatur juſtamque cauſam quieſcendi, & concordiam colendi: Quod etſi ita eſſet, tamen ſubinde novi motus oriebantur: quarum rerum cauſas & rationes cum Livius mihi videatur præclare exprimere: non ab re fore putavi, ſi ſummam eorum, quæ de hac re diſputat hoc loco recenſuerim. Alter ſemper ordo, inquit, gravis alterius modeſtiæ fuit: quieſcenti plebi ab junioribus patrum injuriæ fieri cœptæ. Ubi tribuni auxilio humilioribus eſſent, in primis parum proderat: deinde neque ipſi quidem inviolati erant. Seniores contra patrum, vt nimis feroces ſuos credere juvenes, ita malle, ſi modus

dus excedendus eſſet,ſuis, quam aduerſariis ſupereſſe animos. Adeo moderatio libertatis, cũ æquari velle ſimulando,ita ſe quiſq; extollit,ut deprimat alium,in difficili eſt: cavendo ne metuant homines,ultro metuendos ſe efficiunt,& injuriam à nobis repulſam, tanquam ut facere aut pati neceſſe ſit,injungimus aliis. Hæc Livius. Nos vero ex hiſce colligere jam poſſumus, cauſas diverſarum conſultationum quæ in civitate inſtituuntur, eo quod homines ſubinde magis magiſque ambitioſi evadant. Ut veriſſimum eſſe videatur quod apud Saluſtiũ C. Cæſar inquit: omnia mala exempla ex bonis initiis orta eſſe. Nam qui cives in Repub. ambitioſi ſunt,ii primum muniendi ſui rationes tales ineunt, ne ipſi vel ab aliis ciuibus,vel etiam ipſis magiſtratibus lædi & injuria affici queant, ob quam rem amicitias ſibi atq; clientelas comparant,cum largitionib. tum variis officiis. Quæ res quia cum virtute conjunctæ videntur,idcirco tolerabiles ſunt: nec quiſquam eſſe ſolet,qui ſe à principio hiſce hominibus opponere velit: quo accidit eas ad tantum faſtigium quandoq; aſcendere, ut & privatis hominibus poſtmodũ terrori ſint, & magiſtratibus ipſis formidabiles: Poſtquam ad tantam potentiam ambitioſi homines pervenerunt, nemine eorum principiis obſtante: periculoſum eſt eos invadere propter cauſas de quibus ſupra cap. 13. diſputavimus. Nam tũc eo res rediit,ut neceſſum ſit,aut magno cum periculo huiuſmodi homines opprimere,

primere, aut ſub illorum ſervitutis jugum perpetuum reduci: niſi ſpes aliqua ſit, fore ut morte interveniente, olim ſponte intereat ipſorum potentia. Interim vero dum durat, nemine audente vel illos, vel ipſorum clientelas attentare: facile illis eſt de iis, quæ coram ipſorum tribunali proponuntur, ex ſui animi ſententia & pro libito pronunciare, & quos volunt, pro animi libidine afficere injuriis. Itaq; imprimis providendum Reipublicæ ne cives quidam beneficentiæ ſpecie ailqua, mali quippiam moliantur, aut autoritatem aliquam ſibi comparent, quæ nocere libertati queat. Sed de hac re ſuo loco diſſeremus.

CAPUT XLVII.

Quamvis populus de iis, quæ generatim diſputat, male perſæpe ratiocinetur: tamen cum ad ſingulares res accedit, minus errat.

COEPERAT jam conſulum nomen apud populum Romanum in odio eſſe, ſicuti etiam ante meminimus: quæ res eo uſque proceſſit, ut rogationem novem tribuni promulgarent, quo populo poteſtas eſſet, ſeu de plebe, ſeu de patribus vellet, conſules faciendi, eorumque potentiam limitandi. Sed patres contra, ſi id fieret, non vulgari modo cum infimis, ſed prorſus auferri à primoribus ad plebem ſummum imperium credebant. Per hæc conſilia eo deducta res eſt, ut tribunos militum conſulari

poteſtate, promiſcue ex patribus ac plebe creari ſinerent, eoque contenti tribuni, contenta plebs fuit, quod exiſtimarent hoc modo extinctam iri conſulum potentiam, ſi ipſi quoque hujuſmodi honorum participes fierent. Cum autem creandis hiſce tribunis conſulari poteſtate comitia indicta fuiſſent: populus omnes patricios creavit, contentus eo, quod ratio habita plebejorum eſſet. Atque ita docuit eorum comitiorum eventus, ut Livius ait, alios animos in contentione libertatis dignitatisque: alios ſecundum depoſita certamina, in incorrupto eſſe. Cæterum dum mecum animo verſo, quid in cauſa fuerit, quod cum tanta contentione obtinuerint, ut liceret hos tribunos de plebeis quoque creare: tamen patricios poſtea omnes crearint: Inde illis hoc accidiſſe exiſtimo, quod cum populus de rebus generalibus diſſerit, errare vt plurimum ſoleat: ſed cum ad ſingularia accedit, non facile aberret. Videbatur ſibi Romana plebs, dum rem generatim, & in abſtracto conſiderabat, æque digna eſſe conſulatu, atq; eſſent patricii: cum plures plebei quam patricii in urbe eſſent, præterea cum in gerendis bellis hoſtium vim ipſi ſuſtinere cogerētur, adeoque ii ipſi eſſent, quorum opera Roman imperii potentia augeretur, & libere conſervaretur. Itaque ſumma contentione obtinuit, u tribuni illi qui conſulari poteſtate creabātur, tā ex plebeis, quā patriciis eligi poſſent. Sed cum jam accedendum eſſet ad ſingulos plebejos

u

ut de iis judicaretur, quinam ad hunc honorem eſſent evehendi? agnovit ſuos homines patriciis inferiores eſſe, uſque adeo, ut quod munus plebs ipſa univerſa mereri videretur, ad id ſuſtinendũ nullum plebejum hominem idoneum invenirent, itaque ad patricios ſe converterunt, & ex illis tribunos illos omnes elegerũt. Quam judicii æquitatem Livius ſuo tempore admiratus his verbis extollit. Hanc modeſtiam, æquitatemque & altitudinem animi, ubi nunc in uno inveneris, quæ tunc populi univerſi fuit: Huic exemplo ſimile eſt illud Pacuvii Calavii Campani, qui poſt cladem Cannenſem, cum afflicta Italia, Urbs quoque Capua ad defectionem inclinare videretur, ob diſcordias quæ inter plebem & Senatum erant: decrevit imperandi deſiderio, rationem quandam inire: qua Senatum ſervaret, & ſibi plebique obnoxium faceret. Senatu ergo convocato, periculum quod imminebat, aperuit, plebem enim eo ſpectare, ut per cædem Senatus vacuam Rempublicam Pœnis traderet: eo ſe periculo liberare eos poſſe, ſi ſe permittãt ſibi & certaminum in Republica obliti, credant. Cum omnes victi metu permitterent, claudam in curiam vos inquit, & tanquam & ipſi cogitati facinoris particeps, approbando conſilia, quibus nequicquam adverſarer, viam ſaluti veſtræ inveniam. In hoc fidẽ, quam vultis, ipſi accipite. Fide data egreſſus, claudi curiã jubet, præſidiũ in veſtibulo relinquit, ne quis adire curiam in-

juſſu ſuo, neve inde egredi poſſit. Tunc vocato ad concionem populo: Quod ſæpius, inquit, optaſtis Campani ut ſupplicii ſumēdi, ex improbo ac deteſtabili ſenatu, poteſtas eſſet: eā nunc, non per tumultum expugnantes domos ſingulorum cum ſummo veſtro periculo, ſed tutam habetis ac liberam. Clauſos omnes in curiam accipite, ſolos, inermes, Ac ne quicquam forte aut temere faciatis: vobis de ſingulorum capite jus dicendæ ſententiæ faciam, ut quas quiſq; meritus eſt pœnas, pendat. Sed ante omnia vos ita iræ indulgere oportet, ut potiorem ira ſalutem atque utilitatem veſtram habeatis. Etenim hos ſenatores odiſtis quidem, ſed ſenatum tamen omnino non habere non vultis: quippe aut Rex, quod aut ominandum eſt, aut quod unum liberæ civitatis conſilium eſt, ſenatum habere oportet. Itaque duę res ſimul agendæ ſunt vobis, ut veterem ſenatum tollatis, & novum cooptetis. Citari ſingulos ſenatores jubebo, de quorum capite vos conſulam, quod de quoque cenſueritis, fiet. Sed prius in ejus locum virum fortem ac ſtrenuum novum ſenatorem cooptabitis, quam de noxio ſupplicium ſumatur. Inde conſedit, & nominibus in urnam conjectis, citari, quod primum forte nomen excidit, ipſumq; ex curia produci juſſit. Ubi auditum eſt nomen, malum & improbū pro ſe quiſque clamare, & ſupplicio dignum. Tunc Pacuvius, video quæ ſententia de hoc ſit data: ejicitur pro malo atque improbo: bonum ergo ſena-

ſenatorem & juſtum eligite. Primo ſilentium erat, inopia potioris ſubiiciendi: deinde cum quis omiſſa verecundia quempiam nominaſſet, multo major extemplo clamor oriebatur: cum alii negarent noſſe, alii nunc probra, nunc humilitatem ſordidamque inopiam, & pudendæ artis, aut quæſtus genus obiicerent. Hoc multo magis in ſecundo ac tertio ſenatore factum eſt, ut ipſius pœnitere homines appareret: quem autem in ejus ſubſtituerent locum, deeſſe videbant: quia nec eoſdem nominari attinebat, cum ad nihil aliud quam ad audienda probra prius nominati viderentur, & cæteri multo humiliores, obſcurioreſq; eſſent. Ita dilabi homines cœperunt, notiſſimum quodque malum maxime tolerabile dicentes. Atque hinc Pacuvius occaſione ſumpta, quia interest, ut Senatum habeatis, inquit, eoq; omnino carere non vultis: nec tamen in antiquorum ſenatorum locum meliores ſubſtituere poteſtis: ſatius erit, cum iis in gratiam redire. Nam & ii hoc periculo perculſi, vobis deinceps benigniores erunt, quam ſi novos in eorum ſubſtitueretis locum. Hac arte Pacuvius plebi, imprimiſque ſibi reconciliavit ſenatum: quo loco rurſus apparuit, quomodo plebs generatim differens de rebus erret: ſed ad individua accedens errorē agnoſcat. Exiſtimabat indignos eſſe eo honore illos, qui tunc ſenatores erant: ſed cum ſingillatim deliberandū eſſet, qui novi quibus antiquis ſufficiendi eſſent: animadverterunt po-

ſteriores fore illis deteriores. Errat etiam populi multitudo generatim de rebus differens, cũ ex aliis cauſis illas oriri putat, quam vere oriantur, quas rurſus particulatim intuens & animadvertens agnoſcit. Anno Servatoris 1494. pulſi erant Florentia principes ejus Reipu. nec erat ulla æquabilis rerum moderatio, ſed licentia quædam popularis, qua omnia in pejus ruere, & minari ruinam videbantur. Ea de re plebei per plateas & forũ curſitantes diſputabant, & potentium civium ambitionem accuſabant tanquam ſi illi hos inordinatos motus nutrirent in eum finem, ut tandem Rempub. ex ſuo arbitrio conſtituere, & publicæ libertati quam plurimum detrahere poſſent. Hæc differentes quamplurimos calumniabantur, ſimulque minabantur, ſi ad gubernacula Reip. pervenirent: ſe hos dolos patefacturos, & ſontes punituros. Sed interim perſæpe accidebat in eo ſtatu Reipub. ut aliqui illorum ad ſummos magiſtratus pervenirent. Ac tunc, cum eo perveniſſent, ac rerum cauſas viderent, eaſq; conſiderarent: agnoſcebant ſe prius erraſſe: neque enim aliquorum optimatum ambitionem, ſed temporum eorum difficultatem, eos motus, eaque pericula parere: itaque alios animos induere, & aliter ſentire quam prius ſolebant. Sed cæteri interim, qui eoſdem hoſce prius de Republica diſſerentes audiverant, cum eos mutaſſe ſententiam, & reliquis ſimiles factos intelligerent: à cæteris corruptos muneribus eſſe, non rerum

ipſa-

ipſarum peritiores factos putabant. Hæc vero cum permultis evenirent: abiit res in proverbium tandem, ut vulgo dicerentur ii, qui ad Remp. adhibebantur, alium animum in foro & alium in Senatu habere. Quod ſi igitur hæc omnia perpendamus: inveniemus hanc eſſe rationem, qua errantem plebem poſſimus eo perducere, ut errores animadvertat: ſi illam à generalibus, & rerum abſtractarum à materia diſputationibus, ad particularem rerum ſingularium intuitum reducamus: ſicuti vidimus Pacuvium Capuæ, & Romæ Senatũ feciſſe. Quibus hoc etiam addendum puto, neminem ſapientem debere ſubterfugere populi judiciũ in iis rebus, quæ particulares ſunt, veluti quæ ad honorum diſtributionem, & collationem magiſtratuum pertinent: quod in hiſce ſolis populus ſanum judicium habere ſoleat: & ſi quando illum errare contingat: id tamen uſq; adeo rarum ſit, ut perpaucorum obſtinationi potius, quam communi populi judicio attribui queat & debeat. Quę cum ita ſe habeāt, deinceps oſtendemus quem modum Senatus Romæ obſervare ſoleret, ſi quando plebem in univerſalibus deceptam, ipſorum particularium experientia agnoſcere errores cuperent.

***

Caput XLVIII.

Qui vult cavere, ne magiſtratus in humiles perſonas & viles conferatur: eum in id eniti debere, ut ad illum aſpirent ſimul & ſummæ nobilitatis & infimæ conditionis homines.

QUANDO patres Romæ metuebant, nē tribuni, qui conſulari poteſtate eligebantur, ex plebejorum ordine crearentur: duorum alterum facere ſolebant ad id præcavendum: nam aut efficiebant, ut primores patrum eum magiſtratum peterent: aut certe, ut reliquis plebeis candidatis, viris egregiis, alii ſeſe immiſcerent, itidem plebei candidati, infimæ ſortis ac conditionis homines. Altero enim efficiebant, ut populus honorem petitum denegare non auderet: altero, ut puderet in hujuſmodi homines ſordidos conferre. Atq; hæc omnia eo ſpectant, ut intelligas recte à nobis pronuntiatum eſſe, plebem de rebus in genere differentem aberrare: ſed de ſingularibus nequaquam.

Caput XLIX.

Si urbes, quæ à prima origine liberæ fuerunt, tamen difficulter leges conſequuntur, quibus libertas earum conſervetur, ut in urbe Roma apparuit: neceſſe propemodũ eſſe, ut quæ à principio aliorum imperio obnoxiæ fuere, libertatem non poſſint conſequi.

ARDVAM

ARDUAM atque difficilem eſſe rem ut in conſtituenda Reipublicæ forma, omnibus iis provideatur, quibus libertas, temporis ſucceſſu, labefactari queat: id exemplo Romanorum ſatis manifeſtum eſſe poteſt. Nam ſi eorum libertati legibus proſpectum eſſe videretur, cum à Romulo primo conditore, tum à Numa Pompilio, Tullo Hoſtilio, Servio, & denique à Decemviris, qui ad leges condendas creati fuerant: tamen in ipſo rerum uſu, ſubinde apparebat aliquid deſiderari eorum, quæ ad conſervandam libertatem facerent. Hinc quoque orta eſt cenſorum creandorum ratio, qui libertati quam plurimum profuere. Nam cum morum arbitri quidam eſſent, prohibuerunt, nè morum tanta corruptela in Rempublicam cito irrumpere potuerit. Et quamvis à principio non ſine errore ſtatutum eſſet, ut in quinquennium crearentur: tamen Mamerci Dictatoris prudentia poſtmodum ſublatus hic error fuit, ac conſtitutum, ut non niſi in octodecim menſes crearentur. Id quod eos Cenſores, qui tunc erant male habuit, ut poſtmodum ab illis idem Mamercus ſenatoria dignitate removeretur, non ſine Senatus ac plebis indignatione. Quo loco admirari licet, utrum hiſtorici negligentia omiſſa ſit illius defenſio? an vero per leges non potuerit ſe contra cenſores defendere? Iniquum enim eſt, eum qui legem

publicæ libertati ſalutarem tuliſſet, ob eam ipſam cauſam, poſtmodum ea injuria affici poſſe nec habere defendendi ſui inſtrumenta. Sed ut redeamus eo unde ſumus digreſſi, ex ejuſdem huius Cenſuræ inſtitutione dicimus manifeſtum fieri poſſe: quod ſi iis civitatibus, quæ à prima origine liberæ fuerunt, difficile eſt ſeſe talibus legibus inſtitutiſque communire, quibus libertatem conſervare, & pacifice vivere queant: neminem debere admirari, ſi quæ à principio aliorum imperio paruerunt, id ſucceſſu temporis ex quocunque tandem caſu aſſequi nequeant. Huic rei documento eſſe poteſt Reſpublica Florentinorum, quæ à primis initiis Romanorum imperio paruit, & ab exteris hominibus gubernata, longo tempore de libertate ne cogitavit quidem. Poſtmodum cum reſpirandi facultas quædam data eſſet, ſuis legibus vivere cœpit: quæ cum mixtæ eſſent antiquis ſtatutis ad ſervitutem potius, quam libertatem comparatis, non potuere firmum ponere libertatis fundamentum. Hoc modo 200. fere annos conſtituta, imperium tamen nullum ſub ditione ſua habuit, quantum quidem ex hiſtoriis ejus colligi poteſt. Eaſdem quoque difficultates perpeſſæ ſunt omnes illæ civitates, quæ à primis initiis aliorum imperio ſubjectæ fuerunt. Et quanvis Florentiæ perſæpe eo uſque perventum ſit, ut paucis quibuſdam pléna poteſtas concederetur, novas plane leges condendi, ac

Florentinorũ Reipu. origo.

novam

novam Reipublicæ formam inſtituendi; tamen pauci illi non tam communem omnium libertatem ac publicum bonum, quam proprium uſum in ferendis legibus ſpectarunt: ex qua re non ordo & æquabilitas libertatis in Republica ſed ataxia orta eſt. Nam ut de cæteris in præſentia taceamus, hoc certe vel imprimis in Republica obſervare oportet, in quorum poteſtate rerum Capitalium judicia, & jus ſupplicium de civibus ſumendi conſtituatur. Cui rei Romani præclare proſpexerant, cum à quocunque tandem judice liceret ad populum provocare: & ſi quando provocatio, propter exequutionis moram, Reipublicæ periculum creare potuiſſet: remedium ei malo ipſam dictaturam excogitaverant, qua ſubito mandabatur res judicata exequutioni: nec tamen ad id remedium vnquam, niſi urgente neceſſitate veniebant.

Sed Florentini cæterique omnes, qui aliorum imperio ſubditi ſunt non in ſuis civibus, ſed exteris hominibus, hanc poteſtatem poſitam habebant, iis nimirum, quos Imperator illorum gubernationi præfeciſſet. Quam conſuetudinem etiam poſt partam libertatem, ſervarunt, cum haberent exterum hominem rerum capitalium judiciis præfectum, quem Capitaneum appellabant: eaque res periculoſa erat, cum à potentioribus civibus unius hominis judicium facile corrumpi poſſet. Succeſſu temporis deinde, ut

ſolent omnia, mutari, ſucceſſerunt in Capitanei locum octo viri, rerum capitalium judices: quæ mutatio non modo utilior non fuit, ſed priori ſtatu longe deterior: ſemper enim pauci rerum gubernationi præfecti, optimatũ miniſtri eſſe ſolent, contempta populi multitudine. Huic rei Veneti longe melius proſpexerũt: Nã etſi Decemviri apud illos poteſtatem habeant quemcunque civium ſine provocatione puniendi: tamen quia ad potentiores cives puniendos vix ſufficerent, ſubſidium habent in aliis poſitũ magiſtratibus majoribus, ut quos Quarantios vocant, & Concilium Prægajum, qui ſummus eſt Magiſtratus in eum finem, ut ad frenandam potentium civium libidinem, neq; accuſatores neque judices deeſſent. Quod ſi igitur in Republica Romanorum quæ a primis principiis libera fuit, & tot tamque ſapientum virorũ conſiliis inſtituta & legib. formata eſt: tamen ipſo rerum uſu urgente, ſubinde opus fuit nova quædam ſtatuta excogitare, tanquam libertatis præſidia: nemini mirum videri debet, ſi in cæteris urbibus id fieri oporteat, quæ neq; à principio ſtatim liberæ fuerunt, neque tot ſapientibus viris inſtructæ, qui omnibus, quę tempus afferre poſſet, incommodis, providere potuerint.

CA-

CAPUT L.

Nulli magiſtratui tantam poteſtatem attribui debere, ut conſuetas Reipub. functiones ſiſtere atque impedire queat.

T. Quintius Cincinnatus, & C. Julius Mentus Conſules, cum propter exortam inter eos diſcordiam Reipub. nocerent, nec quicquã eorum expedirent, quæ per ipſos fieri oporteret, jamque omnia jura ſilerent cęteraq; omnia negligerentur: Senatus hortabatur eos ad dictatorem creandum, per quem Reſpublica rurſus conſtitueretur & eorũ diſcordiæ modus imponeretur. Sed conſules in cæteris rebus omnibus diſcordes, in hoc uno conveniebant, ne dictator crearetur: ob quam cauſam patres, cũ aliud remedium non eſſet, tribunorum opem implorarunt, qui conſules ad creandum dictatorem coegerunt. Quo loco rurſus apparuit tribunitiæ poteſtatis auxilium, non ſolum ad patriciorum adverſus plebem inſolentiam frenandam utile: verum etiam ad compeſcendam inter optimates ipſos altercationem & ambitionem ſalutare. Atque hic obſervare oportet, quod in Republica maxime cavendum eſt: ne pauci quidam, qui rerum potiuntur, conſuetas neceſſariaſq; Reipublicę actiones aut ſiſtere aut tollere queant. Itaq; ſi qui præficiuntur diſtribuendis honoribus, aut cõferendis officiis, aut ad aliam aliquam rem expediendam: ſimul et-

iam illis neceſſitas quædam exequendi officii eſt imponenda, aut remedium quoddam conſtituendum, quo, ſi negligentes fuerint, cogi poſſint. Id enim niſi fiat, nequaquam bene conſtituta eſſe poteſt ejus rei adminiſtratio: veluti ex eodem hoc Romanorum exemplo cernere licet: ex quo facile apparet, ſi tribunorum auxilium Conſulum diſcordiæ opponi nequiviſſet: quam plurima Reipublicæ negotia neglecta fuiſſe. In Venetorum Repub. penes Senatum quem magnum Conſilium vocant, ſita eſt poteſtas diſtribuendorum honorum, eligendorumq; magiſtratuum, qui cum in ipſa urbe, tum foris per ipſorum imperium ad rerum gubernacula accedunt, Accidebat autẽ quandoq; olim, ut Senatorum multitudo ex occaſione aliqua indignata, aut iracundia commota, nec domi neque foris ſucceſſores, iis qui magiſtratibus abiiſſent, crearet: ex quo non ſine magno Reipublicæ periculo fiebat, ut civitates ſuis judicibus ac magiſtratibus carerent, idq; eo uſque durare ſolebat, donec aliqua ratio inveniretur, eoſdem ſenatores placandi. Quæ res ſucceſſu temporis Reipub. plurimum detrimenti afferre potuiſſet: niſi à ſapientib. viris huic malo remediũ excogitatũ fuiſſet: qui arrepta occaſione legẽ obtinuerunt, ne quiſquã magiſtratus ſeu domi, ſive foris per ipſorum ditionem, à ſua ſede & officii adminiſtratione diſcederet,

priuſ-

priuſquã novus in ipſius locum ſubſtitueretur: qua lege ſublata eſt jam occaſio, ne ſenatorum multitudo, ex aliqua cauſa incitata, remorari queat ea, quæ ſine damno publici boni ceſſare in Republica nequeunt.

CAPUT LI.

Si quid in Republica aut Imperio tuo facere cogeris: ſimulandum eſſe, ſponte tua id facere te, quod neceſſitas facere cogit.

SAPIENTES Viri gratiam ſibi comparant etiam ex iis rebus, quas neceſſitate inducti præſtant: quæ res à patribus Romæ eleganter obſervata, magnam benevolentiam illis apud plebem conciliavit: in eo præſertim negotio, quo decreverunt militibus ex publico ærario ſtipendia, qui prius cogebantur propriis ſumptibus militare. Nam cum diuturna bella ante oculos poſita cernerent, & oportere etiam exercitus ſuos ad ea conficienda procul à patria duci: facile intelligebant, niſi ex publico ſtipendia ſolverentur, nihil horum effici poſſe. Itaque neceſſitate urgente Senatus ſtipendia militibus ex publico decrevit: ſed id tanta induſtria fecit, ut ex eo, quod neceſſitas facere cogebat, magnam ſibi benevolentiam compararit: nam id præſtitit, antequam vel à tribunis, vel à plebe ulla ejus rei mentio facta eſſet. Itaque nihil acceptũ unquam à plebe tanto gaudio traditur: cõcurſum enim ad curiam eſſe, prehẽſasq; exe-

untium

untium manus, & patres vere appellatos: effectumque eſſe, ut nemo, pro tam munifica patria, donec quicquam virium ſupereſſet, corpori aut ſanguini ſuo parceret. Sed tribuni plebis, communis ordinum lætitiæ concordięque ſoli expertes negare tam id lætum ac proſperũ conſilium fore, quam ipſi crederent: id enim ſpecie jam melius eſſe quam uſu appariturum: unde enim eam pecuniam confici poſſe, niſi tributo populo indicto? ex alieno igitur patres eſſe largitos querebantur. Sed quicquid illi dicerent, Plebi id gratiſſimum fuit: quod ut patres perſeveranter tueri poſſent: cum ex cenſu ſumma fide contuliſſent, de ſuo primi contribuerunt, poſt quos, primores plebis, nobilium amici, ex compoſito conferre incipiunt: quos ut & à patribus collaudari, & à militari ætate tanquam bonos cives conſpici vulgus hominum vidit, repente ſpreto tribunitio auxilio, certatim in militaria ſtipendia conferre cœperunt.

Caput LII.

Eam unicam eſſe totam rationem reprimendæ nimiæ civis alicujus potentiæ, atque inſolentiæ in Repub. ſi via illi præcludatur, ne ad eam potentiam pervenire queat.

EX ſuperiori diſputatione licet obſervare, quantam benevolentiam patres ſibi apud plebem cõciliarint, cum ex decreto de militari ſti-

ri ſtipendio, tum modo contribuendi in publicum ut ſtipendium ſolvi poſſet. Itaque ſi deinceps eandem beneficentiam declaraſſent populo in cæteris rebus, dubium non eſt, quin eum ſibi tantopere devinxiſſent, ut omnium tumultuum ac ſeditionum tribunitiarum cauſas ſuſtuliſſent: quod in patres potius quam tribunos ſalutis ſuæ ſpem poſu ſſet: ſublataqu tribunorum apud plebem autoritate, ſublata ſimul fuiſſet eorum adverſus patres potentia: ut tot tantaſq; procellas excitare amplius nequiviſſent. Neq; enim ulla tutior meliorq; ratio eſt, opprimendæ nimiæ civis alicuius potentiæ atque ambitionis, quam ſi impedimētum obiicias rationibus & inſtrumentis, quib. ille ad eam potentiam pervenire conatur: idque maxime tunc faciendum, cum mores hominum in Republica corrupti fuerint. Quam viam ſi ingreſſi fuiſſent, adverſus Coſmum Mediceum Florentini, qui illi adverſabantur: longe plus præſtitiſſent: quam dum illum urbe per vim expulerunt. Oportebat enim populi favorem, quo ille nitebatur, beneficiis ad ſeſe convertere, qua ſola ratione ex illius manibus potētiam eripuiſſent, ſine tumultu, & abſq; armis. Petrus Soderinus per idem fere tempus collatis in plebē beneficiis, magnam ſibi apud populum autoritatem conciliaverat: ut ab omnibus undique publicæ libertatis defenſor, protectorq; haberetur. Qui igitur illi invidebant cives Florentini, tutius longe ſe illi oppoſuiſſent, ſi eadem, qua

illic

ille utebatur, ratione plebem beneficiis ſibi conciliaſſent, quam quod ſuum ſtudium atque operam Mediceo, Soderini adverſario, conferentes, in cauſa fuerunt, ut Reſpubli. tota everteretur. Nam ſi populi favorem in ſeſe cõvertiſſent beneficentia aliqua, potentiam, cui ille nitebatur, ſine ſtrepitu, & abſque armis minuiſſent. & in Senatu deinde aperte ejus ſententiis contradicere, & abſq; ullo populi metu reſiſtere potuiſſent. Quod ſi quærat hic aliquis, num eadem ratione Soderinus ipſe, adverſariorũ invidię obviam ire potuerit, impedimenta obiiciendo inſtrumentis, quibus ab ipſis oppugnabatur? Ad id ego reſpondeo: potuiſſe illum quidem id tentare: ſed neque honeſtum nec facile factu fuiſſe. Nam qui Soderino adverſabantur, utebantur Mediceorum opera. quorum auxilio eum tandem oppreſſerunt. Non licebat igitur illi, qui publicæ libertati conſervandæ præfectus eſſet: derelicta publicæ libertatis defenſione, ad Mediceorum partes tranſire. Quibus accedit, quod neque Mediceorum favorem ſibi tam ſub to & clanculum conciliare potuiſſet, quin populus ejus rei certior factus, benevolẽtiam, qua eum proſequebatur, in odiũ convertiſſet: atque ita adverſariorum impetum minus ſuſtinere potuiſſet. Nam quicunque ſe Mediceis favere quocunque modo oſtendiſſet: is ſtatim in odium plebis incidebat. Neceſſe erit igitur in rerum gerendarũ deliberatione occaſio-

nes

nes rerum conſiderare, & diligenter perpendere:quantum una quæque periculi, aut utilitatis ſecum afferat:& ea conſilia vitare, quæ plus periculi, quam utilitatis continere videntur: quamvis ad ſcopum nobis propoſitum facere videantur: ne idem tibi contingat quod Marco Tullio accidit: qui eo ipſo auxit M. Antonii vires quo illas frangere conabatur, Nam cum ab Senatu Antonius hoſtis Reipublicæ judicatus fuiſſet: & magnas copias tamen ſecum haberet ex iis militibus, qui Cæſaris caſtra ſecuti fuerant: ſuaſit Cicero, ut Octavium cum novo exercitu ipſis Conſulibus comitatum adverſus Antonium mitterent: ſic enim fore, ut quã primum Antonii milites Octavii nomen audirent, ad ipſum, qui Cæſaris nepos eſſet, & jam ſe Cęſarem nuncupabat, deficerent: & Antonium inermem facile opprimi poſſe. Sed ea res illi præter ſpem evenit: nam Antonius cognito rei periculo Octavium in ſuas partes pertraxit, relictisque Tullio & Senatu, conjunctisq; viribus Rembulicam oppreſſerunt. Optimatum vero potentiam plane ſuſtulerunt. Quam rem à principio conjecturis apprehendere oportebat aut Cæſarem ipſum, qui tanta virtute hoſtes ſuos expugnaverat, & principatum in urbe occupaverat, aut ejus agnatorũ quemquam pro publica libertate aliquid præclari geſturum fuiſſe.

Ca-

Caput LIII.

Perſæpe accidere, ut populus vana quadam ſpe deceptus, ſuam ipſius ruinam atque interitum appetat: eum enim magnis promiſſionibus facillime moveri.

EXpugnata urbe Vejorum, cœptum eſt Romæ agitari ſermones, de traducenda eo parte una populi Romani. Cenſebantque partim Senatui partim plebi habitandos Vejos, duaſque urbes communes Reipublicæ incoli à Romano populo poſſe: cũ pulcherrima Urbs Veii, agerq; Vejentanus in conſpectu poſitus, uberior ampliorque Romano agro eſſet: Urbem quoq; cum privatorum tum publicorum tectorum magnificentia ac ſitu cum Romano conferendam aut anteponendã. Quæ res optimatib. ita diſplicebat; ut morituros ſe potius in conſpectu populi Romani dicerent, quam paſſuros ut quicquam earum rerũ decerneretur: Nihilominus tamen hæc tanto ardore & tam fœdis certaminibus inter patres & plebem acta ſunt: ut nulla res alia manibus temperare plebẽ cogeret, quam quod ubi rixę committendę cauſa clamor ortus eſſet, principes ſenatus primi turbæ offerentes, ſe peti, feriri atque occidi juberent: Ab horum ætatibus dignitatibuſque & honoribus violandis dum abſtinebatur, ad reliquos quoque ſimiles conatus: verecundia iræ obſtabat. Quo loco obſervare debemus, Populum ſæpe decipi falſa quadam boni ſpe-

cie,

cie, & ſuum ipſius appetere interitum: eamque rem, cauſam exiſtere poſſe multorum malorum in Repub. niſi plebs ab aliquo, cui ipſe confidat, erudiatur, & ab errore ſuo revocetur ad ſanum judicium. Quod ſi quando plebs prius aut iiſdem rebus. aut hominibus decepta, bene in præſenti caſu monentibus confidere non auſit, aut nolit: tum fato quaſi in perniciem ſuam trahitur: ex quo accidit illi, veluti Dãtes de Monarchia loquitur, ut perſæpe interitum ſuum clara voce expetat: ſalutem abhorreat. Hinc perſæpe etiam accidit ut Reipublicæ in deliberationibus, ſaniora conſilia contemnant: ſicuti Venetis accidit, cum, ut ante docuimus, à tot hoſtibus ſimul impeterentur: Nam tunc nunquã auſi ſunt tentare, ſi quempiam ex hoſtib. in ſuas partes pertrahere poſſent, reſtituendo illa, quæ aliis per fas & nefas ademiſſent & quorum cauſa bellum illis eſſet indictum, antequam ab illis opprimerentur. Quod ſi rationes intelligere cupis, quibus, ſuaderi ne aliquid populo poſſit an non, cognoſcere queas: in id oculos intentos habere oportet, ut obſerves: id quod ſuaſurus es, ſit ne utile an non: deinde videatur ne honeſtatẽ quandam atq; animi magnitudinem præ ſe ferre? an vero turpitudinem? Nam ſi populo proponas rem, quæ prima fronte utilitatem & lucrum præſens videatur continere, itemq; animi magnitudinem quandam, facile illam perſuadebis, quamvis re ipſa, & penitus introſpecta, nec utilis nec honeſta ſit.

Contra

Contra autem, ſi quid revera Reipublicæ utile & ſalutare ſit: tamen ſi id non ita evidens ſit, ut omnibus manifeſte appareat: nunquam ſine ſumma difficultate plebi perſuadebitur. Hæc plurimis exemplis probare poſſem, cum antiquis, tum recentibus, domeſticis & peregrinis. Hinc Romæ tot olim de Fabio Maximo ſuſpiciones, qui populo Romano perſuadere non poterat, ſatius eſſe cunctando ſenſimque progrediendo Annibalem diſtinere, quam ut ſubito univerſus exercitus periculum fortunæ ſubiret. Quæ quidem propterea illi accidebant, quod pop. Romanus turpes exiſtimaret eſſe illas cunctationes: nec quam utiles Reipub. forent, recta ratione metiretur. Sed neque Fabio argumenta ſuppetebant, quibus conſilia ſua populo perſuadere poſſet. Uſque adeo enim cæci quandoque ſunt homines, cum laudis atque gloriæ præmia propoſita eſſe videntur: ut tunc pop. Romanus Magiſtro Equitũ poteſtatem fecerit, contra Dictatoris imperium, dimicandi: qua occaſione prælium ſemel committens, in ſummum diſcrimen rem Romanã adduxiſſet, niſi Dictatoris prudentia malo cõſilio remedium inveniſſet. Atqui Varronis conſulis exemplo eos edoceri oportebat, qui cum undique per plateas publicis locis promitteret, ſe Annibalem victurum, ſi ei poteſtas fieret cum illo dimicandi: tandem autor fuit cladis ad Cãnas acceptæ, qua Romanum Imperium propemodũ interiit. Huic exemplo ſimile eſt & illud

M. Cente-

M. Centenii Penulæ Centurionis, qui poſtquã Annibal decem jam annos in Italia bellũ gerens, tot Romanorum ſtrages edidiſſet: in Senatum venit & à patribus petiit, ut ſibi quinque millia militum darentur, ſe peritum & hoſtis & regionum, brevi tempore operæprecium facturum: & quibus artibus Romani duces & exercitus ab Annibale capti & cæſi eſſent, iis ſe adverſus eum, qui illas inveniſſet, uſurum. Quod etſi ſtolide ab eo promitti ſenatus intelligeret: metuebat tamen, ne, ſi hoc illi fuiſſet denegatum, populus infenſus ſibi redderetur: ſatius ergo eſſe periculo committere illos, qui eum vel ſponte ſequerentur, quam ut novam aliquam diſſenſionum inter plebem & Senatum cauſam præberent. Itaque pro quinque octo millia conceſſit, quibus ex agris acceſſerunt & alii voluntarii; collecto ergo eo exercitu M. Centenius, qui magna ex parte tumultuarius ac ſemiermis erat, Annibalem ſecutus eſt, eumq; ſtatim adortus prælium cõmiſit, & cum omnibus ſuis interiit. Apud Athenienſes Nicias vir graviſſimus ac prudẽtiſſimus, diſſuadere populo non potuit, quin Siciliã invaderent: itaque ſuſcepta eſt illa expeditio contra ſapientum virorum conſilium: & ſimul Athenienſium interitus cauſa fuit. Scipio quoque cum Affricã Conſul ſibi deſignari à patribus peteret, Carthaginemq; deleturũ ſe eſſe promitteret, nec ei Senatus, Fabii maximi ſententia permotus vellet aſſentiri, minatus ſe id populo propoſiturũ: quem *Livius lib. 25.*

ſciebat

ſciebat hujuſmodi magnis auſis gaviſurum. Poſſumus etiam exempla adducere ex noſtra Florentinorum urbe in eandem ſententiam: cujuſmodi illud eſt Herculis Brentivoli, qui eum eſſet exercitus noſtri imperator, & ab Antonio Iacomino adjutus Bartolomeum Alvianum ad S. Vincentium ſuperaſſet: perſuaſit militi ſe Piſas quoque occupaturum, adeamque obſidendam ſe accinxit, contra quam multi ſapientes cives illi ſuaderent: populus enim magnis illius promiſſionibus occæcatus, quin illi aſſentiretur, impediri non potuit. Atq; hinc facile videmus, eam unicam eſſe ac facilem viam augendæ Reipub. ſi quis populum ejus, qui liber ſit & alicujus virtutis, in re militari perpetuo exerceat, facile enim parebit cum illi aliqua gloriæ, & utilitatis ſpes propoſita fuerit: nec cõtrarium ſuadenti obtẽperabit. Quod ſi autem in hujuſmodi rebus gerendis fortuna adverſetur, ut Reipub. ruina ſequatur: tunc vel imprimis periclitantur illi, qui ſuaſores hujuſmodi expeditionum, aut duces militares fuerunt: neque enim tunc cum res male ſucceſſit, in fortunæ adverſitatem cauſa refertur, ſed in imperatorum ignorantiam malitiamque: quo ſit, ut eos ut plurimum, vel in vincula conjiciant, vel necent: vel in exilium expellant: quod multis egregiis Carthaginenſium ducib. accidiſſe videmus. Nec ſolet in hujuſmodi caſib. ratio haberi earum rerum, quæ prius bene præclareque geſtæ, gratiam meruiſſe videntur. Sicuti vidimus

Anthonio

Anthonio Iacomino accidiſſe, qui cum, ut ſe facturum perſuaſerat populo, Piſas expugnare nequiviſſet: in tantum populi odium incidit, ut non ſuis meritis prioribus, ſed gratia quorundam, qui pro illo interceſſerunt, vitam conſervarit.

CAPUT LIIII.

Quanta eſſe ſoleat viri alicujus gravis autoritas in ſedandis tumultibus.

EX eadem hac P. Romani diſputatione & concertatione, qua quærebatur, num eſſet tranſmigrandum ad Vejos: dignum obſervatione eſt quantum viri gravis autoritas apud populum valeat ad tumultus ſedandos: ut non immerito Virgilius cecinerit.

Tum pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſq; auribus aſtant.

Suaſerim autem ei, qui meritis ac virtute excellens, forte ad hujuſmodi tumultus ſedandos accedendum ſibi eſſe videbit, ſive domi, ſive militiæ fuerit, ut habitu ipſo corporis etiam atque inſignibus membris, ſe quam maxime poterit reverendum efficiat. Erat ante paucos annos Florentia univerſa in binas factiones diviſa: quarum una à Monacho Monialis, altera à Rabie, qua furere videbatur, Rabioſa vocabatur: ventum eſt ad arma & Moniales victi, inter quos erat Paulus Antonius Soderinus, vir iis temporibus ſummæ autoritatis: ad ejus ædes

I diri-

diripiendas cum miles contenderet: forte domi habuit fratrem ſuum Franciſcum Volateranum Epiſcopum, qui nunc eſt Eccleſiæ Romanæ Cardinalis. Is audito tumultu, Epiſcopali habitu indutus, ipſamque Pontificiam mitram in capite geſtans, armato militi obviam ivit, & cum vultus ſui reverentia, tum gravitate atque eloquentia eum continuit, ne domum fratris diriperet, non ſine magna totius urbis admiratione. Nihil enim eſt ad ſedandos tumultus accommodatius utiliuſque, quam gravis alicujus viri authoritas: idque tum maxime apparuit, cum plebs Romana furore concitata, Vejos tranſmigrare conabatur: & adverſus Senatum, qui recta ratione metiebatur detrimentum, quod inde Reipublicæ naſci poterat, permota, arma capere volebat. Nulla enim res tunc alia plebem à manibus temperare coegit, quam quod ubi rixæ committendæ clamor oriretur: ſolerent principes Senatus, primos ſeſe turbæ offerre, ſeque peti, occidi ac feriri jubentes: à quorum ætatibus dignitatibuſque & honoribus violandis dum abſtinebatur, ad reliquos quoque ſimiles conatus verecundia iræ obſtabat, atque ſedabatur tumultus

CAPUT LV.

Facile adminiſtrari poſſe Reſpub. in quibus mores hominum probati atque integri fuerint: neque Monarchiam introduci poſſe, quando æquabilitas quædam inter cives exiſtit: nec Ariſtocratiam, ubi nulla eſt æqualitas.

SUPRA à nobis diſputatum eſt, quid de corruptis civium moribus ſperari in civitate queat, cui diſputationi adjungendum puto Furii Camilli inſtitutum, quo poſt expugnationem Vejorum decretū eſt, ut decima pars prædæ Vejentanæ Apollini ſacra eſſet. Eſt enim in ea re admodum memorabile, quod cum populus illam prædam jam haberet, & de ea unuſquiſque tantum, quantum inter diripiendum cuiq; fortuna attuliſſet: audebat tamen ſenatus decernere, ut unuſquiſq; decimam partem eorum quæ fuiſſet prædatus, in medium conferret. Nam etſi Senatus poſtmodum evitandi odii plebejorum cauſa, aliā rationem invenerit, qua ſe religione exolveret: debemus tamen exiſtimare eum, non ob aliam cauſam id decreviſſe, quam quod certo confideret religioni civium, quos ſperaret omnino decimam partem omnium eorum quæ cuique contigiſſent, collaturos in medium. Sed neque huic edicto cives fraude obviam ire decreverunt: quum poſſent tanto minus conferre, ne ipſis illa contributio oneroſa foret: ſed aperte indignati, Principes *Livius lib. 5.*

cipes ipſos & Camillum præ cæteris, Vejentanã prædam publicando ſacrandoque ad nihilum redegiſſe querebantur. Hoc igitur exemplum una cum aliis jam ante à nobis adductis, eo pertinent, ut intelligamus, quam integri fuerint civitatis mores iis temporibus, quam religioſi homines & quanta de ipſis ſpes jam tum concipi poſſet. Neque eſt quod in provinciis, quæ noſtro tempore tantam habent morum corruptelam, quicquam tale quis, ut jam tum de pop. Romano, ſperare aut expectare debeat. Summa corruptela morum eſt ætate noſtra in Italia & in Gallia. Item & Hiſpania, quæ Italiæ proximæ ſunt: nec tam hominum bonitate (quæ apud ipſos prope nulla eſt) quam regum ſuorum imperio & antiquis eorum regnorum legibus continentur, quo minus tot tamque inſignia turpitudinis ac ſcelerũ exempla committant, ut in Italia committi atque patrari quotidie videmus. In ſola Germania extant adhuc antiquæ illius Romanorum virtutis atque bonitatis inſignia quædam exempla, quo fit ut multæ in ea urbes libertate fruantur: bonarum legum enim tam ſtudioſi ſunt, ut ea res ſola illos conſervet, ne ſervitute opprimantur. Quod ſi argumentum aliquod inſigne habere cupias de probitate, quę etiãnum apud Germanos viget: exemplum adducam, ſimile ei Romanorum decreto, de quo paulo ante diſſeruimus. Si quando enim pecunia opus habent ad uſus publicos: tunc tributum indicunt: jubentque

unum

unum quemque prout ditior aut minus dives eſt, plus aut minus ſolvere, videlicet centeſimã unam, aut duas ſuorum bonorum partes. Quare per magiſtratus ita conſtituta: vocantur ſinguli & juramento primum aſtricti, ſe tantum ſoluturos, quantum ſe debere intelligant, pro quantitatis ſuarum opum ratione, in arcam illud conjiciunt quod ſe debere putant, nec quiſquam teſtis adhibetur ad probandum, quod juſte ſolverit tantum, quantum ejus opes requirant, cum cujuſquam conſcientia: ex quo facile eſt cognoſcere, quantum in hiſce hominibus antiquæ pietatis, & morum bonitatis adhuc inſit. Neque enim dubium eſt, quin ſinguli juſtam portionem ſolvant: quod alioquin totam ſummam contributę pecuniæ minorem fore oporteret, quam alias eſſe ſoleret: atque illinc patefacta fraus, aliam indicendi colligendiq; tributi rationem ſuaſiſſet. Atq; hęc morum integritas tanto magis admirationi eſſe debet, quod noſtra ætate in ſola Germania ſupereſſe videatur. Idq; ei regioni contigiſſe propterea cenſeo, quod à commerciis & negotiationibus abſtinuerit: nec converſati ſint ejus incolæ cum vicinis regionibus corruptiſſimis ſive Gallis, ſive Italicis aut Hiſpanicis: ſed domi manſere, contenti iis cum cibis, tum veſtimentis, quæ illorum terra ſuppeditat, nec peregrinos mores didicere. Præterea quæ ipſorum urbes libertate fruuntur, in iis eſt civium æquabilitas quædam: nec tulere eos nobiles, qui nobilium Italo-

rum more vitam degunt, ex redditibus ſuis faſtum pompamque præ ſe ferentes, nullis utilibus negotiis occupati. Nam qui in Germania tales ſunt, ii ab omnibus odio habentur, tanquam principes omnis corruptelæ morum, ob quas cauſas perſæpe in liberis civitatibus è medio tolluntur. Vocamus enim nobiles in Italia eos homines, qui otioſi ſunt & ex ſuis proventibus victum ſufficientem habent: neque ullis negotiis utilibus, ſive mercaturæ, ſive agriculturæ ſive aliis operã navant: cujuſmodi Reipublicæ plane inutiles ſunt : & inter reliquos omnium maxime pernicioſi iis, qui non modo proventus illos ſufficientes habent, verum etiam ſubditos quoſdam obtinent & arces atque vicos poſſident, quibus pro animi libidine imperant. Plurimi autem hujuſmodi nobiles habitant per regnum Neapolitanum, Latium, Æmiliam, Flaminiam atque Inſubriam: quo factum eſt, ut in iis regionibus nulla Reſpublica cum quadam æqualitate juris inſtitui unquam potuerit: tantum ſe licet adverſantur hujuſmodi homines politicis vivendi rationibus: nec ullus modus exiſtit in regionibus jam cõmemoratis legitimam politiæ rationem inſtituendi, quã ſi ſub unius Monarchæ imperium omnes redigantur. Nam cum tantopere corrupti ſunt mores hominum, ut ad eos frenãdos leges non ſufficiant: neceſſe eſt vim quandam adhibere & regia poteſtate potentiorum hominum libidinem & ambitionem coercere & in-

in officio continere. Hæc vero, quæ jam diximus ita ſe habere, vel Hætturiæ exemplo quis diſcere queat, in qua regione minime ampla, tres ampliſſimæ Reſpub. Florentia, Sena & Luca libertatem diutiſſime conſervarunt, & cæteræ ejus civitates etſi imperio pareant aliarum, homines tamen habent qui toto animo & libertatem amant, & legibus itidem inſtructæ ſunt, quæ eodem ſpectant. Quæ omnia ob eam cauſam huic provinciæ contigerũt, quod in ea pauciſſimi nobiles ſint, & ex eorum numero nulli, qui arces & ſubditos poſſideant: ſed magna incolarum æqualitas, uſque adeo, ut ſi illis ſapiens aliquis vir contingeret, qui ſingulari rerum antiquarum & juris cognitione polleret, facile eos ad veram politiæ rationem reducere poſſet, & ad libertatem conſervandam inſtituere: Hactenus tam fortunati certe non fuerunt ut talem quempiam virum habere, aut ex ſeſe producere potuerint. Nobiles vero ex tota hac diſputatione hoc colligere licet: quod ſi quis liberam Rempublicam illic inſtituere velit, ubi permulti potentes nobiles habitant: ei neceſſe eſt ut omnes hoſce opprimat, priuſquam quicquam operæprecium præſtare poſſit: Sed neque Monarchiam introducere licet eo loco, ubi eſt magna æqualitas civium: itaque neceſſe tunc fuerit ambitioſos homines ex æqualitate illa ad altiorem gradum evehere, eoſque opibus potius quam nomine ipſo nobilitate & potentia augere ut Monarcha illis ſti-

patus tutus eſſe, & ipſi ſub Monarchæ tutela ambitionis & libidinis ſuæ habenas laxare: Cæteri vero deinde illud ſervitutis jugum ferre cogantur, quod vis & potentia principis impoſuit: atq; hæc gubernationis forma eo uſque durare ſolet, donec juſta proportio Imperantium potentiæ cum ſubditorum tolerantia fuerit ſublata. Difficile autem eſt, liberam Reipub. formam introducere in eam gentem, quæ ſub unius Monarchæ imperio vivere conſuevit: ſicuti etiam econtra, illam gentem quæ ſuis legibus vixit, liberaq; fuit, ſub unius imperium reducere: Et opus eſt ad id præſtandum, ſingularis ingenii atque autoritatis viro: quo fit, ut multi id tentarint, ſed pauci ad fœlicem finem perducere potuerunt: ſed ipſa operis magnitudine aut oppreſſi aut terrefacti, in ipſis principiis deſtitere. Sed ad id ꝙ pronuntiavimus hoc loco: non poſſe liberam Reipublicæ formam conſtitui in iis locis, ubi multi nobiles habitant objici poſſe videtur Reſpublica Venetorum, in qua honores & magiſtratus ſolis nobilibus conceduntur. Verum ſi recte conſideres, nihil id diſputationi noſtræ repugnare comperies: quod Veneti, nobiles ſint nomine potius quam re ipſa: cum rebus arces ſinguli, neq; ſubditos, nec juriſdictionem ullam habeant, ſed proventus colligant ex mercatura & rebus mobilibus, in quibus ſitæ ſunt ſummæ illorum opes. Eſt enim Nobilitas apud Venetos honoris & dignitatis appellatio, ſed quæ nulli earum rerum

rerum inſiſtit, propter quas in reliquis civitatibus nobiles viri nuncupantur. Nam ut in cæteris urbibus, cives diſtingui in quoſdam ordines cernimus: ita tota Venetorum civitas diviſa eſt in Nobiles & plebejos: quorum illi apti ſunt ad Reipublicæ adminiſtrationem, & ad honores quoslibet adeundos, plebei ad nulla munera publica adhibentur. Id vero Rempublicam nullo modo perturbat, propter cauſas ſupra à nobis commemoratas. Itaque cum hæc ita ſe habeant, neceſſe eſt eo ſpectare Politicum hominem, vt liberam Rempublicam iis locis inſtituat, quibus eſt magna æqualitas incolarum: Monarchiam vero in quibus multi ſunt præpotentes, & reliquis longe ſuperiores: quod ſi contrariam viam ſequatur, Reipublicę formam inſtituet minime durabilem.

CAPUT LVI.

Magnos motus prædici ſolere, cum in urbibus, tum provinciis idq; ſignis quibuſdam, aut hominum præſagiis denuntiari.

VT, cauſam facile confitebor me ignorare: ita rem ipſam cum ex antiquis tum novis exemplis agnoſcere oportet, & confiteri omnes magnos motus, quicunq; aut urbi alicui aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqua, prodigiis aut cœleſtibus ſignis prædici ac prænuntiari ſolere. Et ne procul petitis exemplis hoc demonſtrare velle vi-

deat: domeſticis utar. Novimus omnes Florentiæ Caroli VIII. Galliæ regis adventum in Italiam, ab Hieronymo Savonarola longe ante prædictum fuiſſe: & eundem per Hetruriam multis aliis ſignis præſagitum, & inter cætera, ſupra Aretium viſos eſſe exercitus præliũ committentes. Quid deinde notius eſt, quam paulo ante obitum Laurentii Medicei, qui ſapientia ſua Italiam in pace conſervabat, tactam eſſe cœleſti igni, ſupremam partẽ ſummi templi & maximum ei ædificio detrimentum inde ortum. Quis ignorat præterea antequam Petrus Soderinus Florentini populi ſignifer loco moveretur, & urbe pelleretur: prætorium igni cœleſti percuſſum eſſe. Poſſem huiuſmodi rerum plurima alia exempla adducere: ſed unum ex veteribus tantum adiiciam Narrat Livius ante Gallorum in Italiam adventum, à M. Cæditio homine plebeio nuntiatum tribunis, ſe in nova via, per noctis ſilentium, audiviſſe vocem clariorem humana, quæ magiſtratibus dici juberet, Gallos adventare Hujuſmodi rerum cauſas ab iis explicari poſſe credo, qui rerum naturalium ac ſupra naturalium cognitione inſignes ſunt: à qua me alienum eſſe fateor: niſi forte cum philoſophis quibuſdam pronuntiandum cenſeamus, aerem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe, quæ res futuras prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuntient, ut ſe adverſus eas tempeſtivius præparare & com-

communire queant. Utut ſe res habeat, experientia certe compertum habemus, talia ſigna ſequi ſolere magnos aliquos motus.

CAPUT LVII.

Plebem univerſam ſimul fortem ferocemq; eſſe: ſingulos plebeios eſſe debiles & timidos.

POST cladem à Gallis acceptam, conceſſerant multi Romanorum Vejos, ad habitandum contra edictum magiſtratuum : Senatus itaque publico mandato juſſit eos omnes intra certum dierum ſpatium redire Romam, ne urbs deſerta foret. Sed illi primum magiſtratus juſſa contemnere : poſtquam vero conſtituta dies adeſſet, obedire omnes magiſtratui voluerunt: & ut Livius eo loco inquit , ex ferocibus univerſis, ſinguli metu ſuo obedientes fuere. Quo loco percommode licet plebis naturam obſervare : quæ univerſa ſimul ac primo impetu audax eſt, uſque adeo ut etiam principum decretis contradicere auſit : ſed poſtmodum cum ante oculos poſitas pœnas vident , non fidunt ſinguli ſingulis, ſed dilabuntur, & principum mandatis obedire metu ipſo coguntur. Habenda ergo ratio eſt eorum, quæ à plebe jactantur, quando, quomodo, & quo tempore dicantur? & utrum pro te an adverſus te faciant: Et ſi pro te faciunt, eodem favore, ut porro te proſequantur providendum : ſin tibi adverſentur, cavendum à primo impetu, ne obruaris. Idque vel in primis conſiderandum eſt in iis

motibus, quos populus excitat, vel dolore amiſſæ libertatis, vel amore pulſi principis ſui, quem unice diligere ſoleret: nam hi motus præ cæteris omnibus maxime formidabiles ſunt, nec ſine magnis remediis ſedari queant. Reliqui populi tumultus non magnopere metuendi ſunt præſertim ſi plebs nullum ducem habeat. Nam etſi nil prope horribilius eſſe videatur, plebe ſine certo duce concitata: tamē idem ille furor exiguas vires habet, & facile evitari poteſt, ſi modo facultas detur primum ejus impetum effugiendi. Poſtquam enim primus iracundiæ furor ille deferbuit: cogitare ſolent, ſinguli, de ſalute ſua ſuiſque fortunis cōſervandis: itaque paciſci cum hoſte cogitant aliqui, nonnulli dilabuntur, alii alio aliquo modo ſibi conſulunt. Quod ſi quis populus ergo neceſſitate aliqua excitatus, operæpretium quippiam præſtare velit: ei providendum ab initio ſtatim fuerit, ut ducem aliquem habeat, cujus ductū ſequatur, & in officio contineatur: id enim niſi præſtiterit, perinde ei accidet atq; Romanis iis qui Vejos contra magiſtratus edictum tranſmigraverant, quos Livius inquit primo impetu feroces fuiſſe: ſed paulo poſt ex ferocibus univerſis, ſingulos metu pœnæ obedientes fuiſſe. Id autem præclare animadvertit plebs poſtea, cum Virginiæ cæde excitata Sacrum montem occupaſſet: ibi enim vel Virginio ipſo monente ſtatim viginti tribunos militum creavit, penes quos ſumma rerum eſſet.

CA-

CAPUT LVIII.

Populum conſtantem magis eſſe magisque prudentem, quam principes eſſe ſoleant.

INCONSTANTEM, variam, ac mutabilem eſſe populi multitudinem, cum Livius multis in locis, tum cæteri ſcriptores teſtantur uno fere ore. Nam ex rerum geſtarum narratione conſtat, perſæpe accidiſſe, ut qui à plebe cōcitata damnatus & morti traditus fuit, paulo poſt ab eadem ſummopere deſideretur & expetatur: quod populo Romano accidit in M. Manlii Capitolini cauſa: quem ob affectatū regnum damnavit & de Saxo Tarpeio dejecit: Sed eundem populum, brevi poſteaquā ab eo nullum periculum erat, deſiderium ejus tenuit. In ſequentibus libris deinde cum motus enarrat Syracuſis ortos, ob cædem Hieronymi Regis, qui Hieronis nepos eſſet: inter cætera de inconſtantia vulgi: Hæc inquit, natura multitudinis eſt: aut humiliter ſervit, aut ſuperbe dominatur. Quæ ita cum ſe habeant, neſcio an operæpretium facturus ſim, quod hoc loco contrariam, quaſi partem defendendā ſuſceperim: ſed cum id rationibus, non vi præſtare conſtituerim: vitio mihi non debere verti exiſtimo. Itaque quod hac de re ſentio eſt: Varietatis ejus & inconſtantiæ, cujus vulgus hominum ubiq; accuſatur: omnes ſinguloſque homines accuſandos eſſe, & viros principes imprimis: quod horum unuſquiſque, ſi legib. ſolutus ſit, ex iiſ-

dem cauſis permotus, eadem horum vitiorum exempla edet, uti ſtulta populi multitudo. Quod ut planum facere queam, hinc exordiar. Ex eorum principum numero, qui legib. ſoluti fuerunt, plurimi mali, boni autem perpauci extitere. Id ut intelligas: diſtinguere oportet principes legibus ſolutos, ab iis, quibus ab initio imperii, leges adminiſtrationis formam præſcripſerunt & frenum eorum cupiditati injecerunt. Hujuſmodi erant antiquiſſimi reges Ægyptiorum & Spartanorum, qui ex receptarum jam confirmatarumque legum præſcripto adminiſtrabant regnũ. noſtra ætate ſimile quiddam in regibus Galliæ cernere licet, quod id regnum antiquas eaſque bonas leges, præ cæteris habere videatur. Qui igitur reges & principes ſub hujuſmodi legibus naſcuntur, & ex eorum præſcripto vivere coguntur: ii non conferendi ſunt cum multitudine legibus ſoluta & concitata: ut ita expendas, in quibus inconſtantia major dominetur. Sed conferendi ſunt cum populo juſtis itidem legibus ſtatutiſq; inſtructo: qualis erat populus Romanus ante ruinam Reipub. quem facile comperies, neque ſervire humiliter conſueviſſe, neq; ſuperbe dominari: ſed cum quadam ſeveritate gradum dignitatemq; ſuam magiſtratuum ſuorum opera tueri voluiſſe. Si quando neceſſitas poſtulabat, adverſus optimatis alicujus nimiam potentiam: inſurgebat, eamq; frenabat: quod Manlio, Decemviris, & aliis quibuſdam accidiſſe novimus,

qui

qui opprimere libertatem publicam conabantur: Interim tamen, prout decebat, Conſulibus atque dictatoribus ſuis, pro ſalute publica bene conſulentibus, parere rite noverant. Nec mirum videri debet, quod Manlii deſiderio, poſtquam condemnatus fuiſſet, tenerentur. Id enim ejus virtus merebatur, quam tantam aliis in rebus declaraverat, ut ob eam homines illi merito condolere deberent. Idemq; accidere potuit vel optimo principi: quando, ex omnium ſcriptorum ſententia, virtus in hoſte quoque laudabilis ſit. Quod ſi tunc, cum maxime deſiderio ejus Romani tenebantur, Manlius à mortuis reſurgere potuiſſet: veriſimile eſt, à populo eodem modo fuiſſe acceptum, ut prius cum vinctum eum ex carcere liberaverat: nam liberatum ex vinculis, cum affectati regni convinceretur, de Saxo Tarpejo dejecerunt. Nec defuerunt etiam ſapientes principes, qui eorum ſummo deſiderio caperentur, quos vel ipſi interfeciſſent, ut Alexandro ex Cliti cæde, & Herodi ex morte Mariamnis accidit. Non igitur eam multitudinem Livius, aut ſervire humiliter aut ſuperbe dominari aſſerit, quæ legibus inſtructa eſt, ut populus Romanus: ſed illam quæ ſoluta eſt legibus & effrenata, veluti Syracuſana in iis tumultibus, qui morte Hieronymi excitati fuiſſent: in quibus perinde ſe geſſit, ut ſolent homines quoque cæteri, quando iracundia & furiis concitantur: ut de Alexandro & Herode paulo ante docuimus. Non igitur accu-

ſanda multitudinis magis, quam principum inconſtantla aut furor: quando utriſque ex æquo errare ac furere etiã contingit, præſertim cum nullus pœnæ metus ſubeſt. Cujus rei tot extant exempla apud Imperatores Romanorum, reliquos principes atq; tyrannos, ut eos majoris inconſtantię & morum varietatis accuſare poſſis quam ullam plebejorum multitudinem. Quamobrem aſſero ego, contra communem ſcriptorum ſententiam, populum concitatum & pœnas nullas metuentem, eſſe quidem varium, inconſtantem atque ingratum: ſed eadem hæc vitia, in principibus adhuc magis regnare. Quod ſi quis, ex æquo, & principes & populi multitudinem hujuſmodi vitiorum cauſa accuſet: is non procul aberret: ſed qui principes alienos ab his vitiis putat, is vehementer decipitur, Populus enim gubernationi rerum præfectus, ſi recte legibus inſtitutus ſit conſtans erit, prudens & minime ingratus: perinde ut quiſquam vel ſapientiſſimus princeps eſſe queat, & ſapientiſſimos etiam ſuperat. Quod ſi econtra princeps quiſpiam legibus ſolutus ſit: eum non minus inconſtantem imprudentem ingratumqne deprehendes, quam vel leviſſimam plebem. Etſi quæ diverſitas eſt harum rerum in principibus ac populo: ea non ex diverſa utrorumque natura dependet, cum ex æquo omnes ſint hiſce cum vitiis, tum virrutib. obnoxii, niſi quod populus ſemper aliquanto melior eſt principibus: ſed prout magis aut mi-

nus

nus hi aut illi obſervantes fuerint legum earum, ex quarum præſcripto viuendum fuerit. populum Romanum certe ſi recte conſideres: deprehendes quadringentos integros annos tyrannidis adeoque etiam Regiæ potentiæ, hoſtem fuiſſe: gloriæ vero atq; laudis cupidiſſimũ: boni publici ſtudioſiſſimum: idq; ab illo quam plurimis exemplis eſſe demonſtratum. Quod ſi objicias mihi ingratitudinem erga Scipionem declaratam: ad eam reſpondeo idipſum, quod ſupra copioſe de principum atq; Rerumpublicarum erga benemeritos ingratitudine cap.29. diſſeruimus; quo loco oſtendimus principes ſæpius eo vitio laborare, quam populum. Is enim per ſe conſideratus prudentior magiſque conſtans eſt, quam Princeps: ut non immerito populi bene inſtituti vox, Divinæ voci ſimilis videatur: quod ſingulari quadam virtute, cum res futuras, cum fauſtas, tum infauſtas præſagire ſibi ſæpe intelligamus. In pronuntianda de rebus dubiis ſententia, raro comperies populum errare, ſi binos de eadem re in contrariam partem diſſerentes audiat, qui æquales ſint in diſputãdo: eſt enim capax veritatis, quã explicari audit. Quod ſi in iis rebus ſuſcipiendis quandoq; errat, in quibus laus quædam fortitudinis propoſita eſſe videtur, aut præmiũ: errant etiam principes cum in hiſce, tum aliis rebus, ob varias animorum perturbationes, quib. magis obnoxii ſunt, quam populus. In eligendo autẽ dexterior eſt populus, quã prin-

princeps. Neq; enim unquam perſuadebis populo, ut ad ſingularem honoris gradum, evehat hominem infamem, & quem conſtet corruptis moribus eſſe: cum id principi vel mille modis perſuadere queas. Quod ſi quampiam rem populus vehementer odio proſequatur, eadem in ſententia diutiſſime durabit: ſed princeps ſententiam facile mutat. Quibus omnibus rebus argumento eſſe poteſt populus Romanus: qui tot ſeculis, vix quater in creandis conſulibus aut tribunis tantopere aberravit, ut illum facti pœniteret: Regium autẽ nomen tanto odio ſemper eſt proſecutus, ut nulla virtus, nullaq; merita Reipublicæ declarata, eum à debitis pœnis liberare potuerit, qui quocunque modo regnum affectaſſet. Hiſce accedit, quod ex hiſtoriarum lectione cognoſcere licet, eas urbes, quæ libertatem habuerunt, majus incrementum accepiſſe & imperium acquiſiviſſe, quam quæ principis imperio paruerunt, Id enim vel Romanæ urbis exemplo apparebit, ſi conferas ejus incrementũ poſt expulſos Reges, cum illo quod ſub Regum imperio habuit. Idemq; Athenienſibus contigiſſe videbis, poſtquam Piſiſtrati tyrannide liberi fuerunt. Quæ omnia inde oriri oportet, quod melior ſit adminiſtrationis Reipub. ratio, quæ à libero populo inſtituitur, quam illa, quæ ab unius principis poteſtate ac voluntate dependet. Nec poteſt Livii oratio, paulo ante, de Syracuſanorum levitate adducta, hanc noſtram ſen-

entiam impugnare. Nam ſi quis omnes perſcrutat populi errores, quoſcunq; fecit unquam aut facere ſolet: iiſq; deinde principum virorũ delicta ex adverſo opponat & conferat: longe vehementius errare principes quam populos comperiet: & ſi econtra, præclare geſtas res à liberis populis conferas cum iis, quas principes viri geſſerunt, majorẽ rurſus eſſe illorum quam horum gloriam laudemq; intelliges. Quod ſi magis induſtria eſſe videtur principum quam populorum opera, in Rebuſpublicis recte inſtituendis, & legibus, quæ ad civilem vitam ſpectent condendis, populus deinde, in conſervandis iis, quæ ſemel recte ſunt inſtituta, principes ſuperat longo intervallo. Præterea cum & Monarchias invenias, & liberas Reſpublicas quæ longo tempore durarunt: neceſſe fuit ſicuti illas, ita haſce, bonos quoſdam legum conditores habuiſſe: nam & princeps vir legibus ſolutus perſæpe ineptit: & populus diſſolutus nullam legum rationem habens, non raro parum ſapit. Si conferantur igitur principes ex præſcripto legum imperantes, cum populis certis legibus inſtitutis: plus in his quam illis virtutis deprehendes: Sin utroque legibus ſolutos inter ſe comparare voles: inferiora longe minoraque comperies populi, quam Principum delicta. Quibus accedit hoc etiã, quod ad ſanandos morbos tumultuſq; illos populares faciliora magiſque prompta ſemper remedia ſuppetunt, quam ad principũ furores ſedandos. Cum

ſciant

ſciamus populi ſeditiones vel unius gravis atq; eloquentis viri oratione, ſæpe eſſe compoſitas: ſed iracundus princeps neminem audit, ſolo ferro iram extinguere ſolet. Ex qua re non levè argumentum ſumere licet: cum de populi tum principum malitia & bonitate: cum illius iras ſola ſedare queat oratio, horum excandeſcentia non niſi ferrum poſtulet. Majores ergo ſunt illi morbi, qui vehementioribus remediis egent. Præterea concitato ac tumultuante populo, non tantopere formidoloſi eſſe ſolent ejus, quos per ſeditionem committit, errores: de ipſo eventu tantum ſoliciti eſſe ſolemus: ne inde quis occaſionẽ captans, tyrannidem occupet. Contrarium accidit in principe, qui corruptos pravoſq; mores habeat: cujus præſentiam omnes horrent formidantq;: de futuro tempore omnes meliora ſperant, exiſtimantque fore, ut aliquando ſublato eo libertas recuperetur: ut ipſo quoq; præſentium futurarumq; rerum diſcrimine, bonitas malitiaque cum principum tum populi diſtinguantur. Solet populi multitudo etiam, non niſi in eos crudelitatẽ exercere, quos ipſa metuit, quique bona publica invadunt: ſed principes in eos, à quibus ipſi metuũtur: & quibus id, quod illorum privatũ bonum eſt, adimunt. Sed quod de populi multitudine tam multa variaq; jactantur, in cauſa eſt, quod liberius ſit ejus vitia quam principum patefacere. De principibus enim nemo niſi cũ metu quodam dicere audet quicquam: Sed jam hęc à nobis

nobis ſatis copioſe explicata eſſe videntur. Supereſt hoc unũ nunc, ut occaſione ex ſuperiori diſputatione ſumpta, porro diſſeramus de fœderib. quæ fiunt vel cum liberis populis ac Rebuſp. vel cum principibus: & quæramus ex hiſce quænam magis aut minus tuta ſint.

CAPUT LIX.

Quibus fœderibus magis confidere auſis, iis ne, quæ cum Repub. libera, an cum principe inita fuerint?

QVONIAM perſæpe accidit ut & principes cum principibus & Reſpub. liberæ inter ſeſe & cum principibus fœdera percutiant & contrahant amicitiam: non ab re fore putavi, ſi hoc loco diſquiramus, quorũ fides eſſe firmior ſoleat, principum ne an Rerumpub. & utris magis confidere queas? Quam rem dum mecum ipſe diligenter conſidero: videor cernere multis in rebus, ſimiliter cum à principib. tum Rebuſpub. ſervari frangique fidem: in quibuſdam aliquod eſſe diſcrimen. Primum enim quæ ſi cogente promittuntur, ea neutris ſervantur. Quando etiam imminet periculum amittendi imperii, ſi pacta initaque fœdera ſerventur: tunc nec principib. nec Rebuſpub. confidere tute queas, quod utriq; & fidem frangere & ingrati erga benemeritos eſſe ſoleant. Demetrius Poliorcetes Athenienſes infinitis beneficiis affecerat; ſed poſtquam victus ab hoſtibus, ad eos tanquam amicos & confœderatos

con-

confugiſſet: repulſus eſt nec in civitatem admiſſus: ex qua re majorem ſenſit dolorem, quam ex ea fortunæ adverſitate, qua imperium ſuum amiſiſſet. Pompejus autem à C. Cæſare in Theſſalia victus, ad Ptolomæum Ægypti Regem confugit, quem longo tempore prius in regnum reſtituerat: ſed ab eodem interfectus eſt. In binis hiſce exemplis videtur utrobique eadem ingratitudinis cauſa: vehementius tamen princeps Ptolomæus, quam Athenienſium Reſpublica in benemeritum peccavit: utut ſit, cum periculum imminet, neutri fidem ſervant. Quod ſi quis princeps aut Reſpublica etiam cum interitus ſui periculo, fidem aliquando ſervare conetur: idipſum quoque iiſdem de cauſis facere ſolent. Accidit enim quandoque ut princeps potentioris alicujus & amici Monarchæ partes ſequatur, quamvis videat eum in præſentia defendi non poſſe ac imperio ſuo pulſum iri: ſed id facit, partim quod ſperet eum, poſtmodum reſtitutum iri: partim quod exiſtimet ſe, cum illius hoſte redire in gratiam non poſſe. Tale quiddam accidit omnibus Neapolitani regni principibus, qui Gallicas partes ſequuti ſunt. Et inter Reſpublicas aliquid his principibus ſimile perpeſſæ ſunt olim Saguntus in Hiſpania, cujus cives ultimum interitum ſubire maluerunt, quam à fide Romanorum deficere, & anno Servatoris noſtri M. D. XII. idem propemodum paſſa eſt Reſpublica Florenti-

rentinorum, ut in fide Gallorum permaneret. Quæ omnia ſi mecum paulo altius repeto, & cogito quid facturæ ſint cum Reſpublicæ, tum Principes, ſi fidem ſervantibus periculum impendere videatur: id unum diſcrimen comperio, quod Reſpublicæ paulo firmiores ſint, atque conſtantiores, vel ob motus tarditatem. Nam magis lente progrediuntur, & diutius deliberant, atque ita mora quædam interjicitur, antequam fidem frangant. Quando autem ſolius utilitatis cauſa fœdera frangunt, tunc Reſpublicæ in fide ſervanda longe conſtantiores ſunt, quam principes. Quarum rerum exempla non deſunt: nam conſtat quandoque principem exigui lucri cauſa fidem fregiſſe: Rempublicam vero à fide diſcedere noluiſſe vel maximo præmio propoſito. Themiſtocles, cum aliquando in Concione ſe conſilium dare poſſe Athenienſibus utiliſſimum diceret: ſed id non poſſe palam proponi, ne cognito eo, rei gerendæ occaſio tolleretur: ii Ariſtidem elegerunt, cui conſilium aperiretur: ut prout illi videretur, de ea re conſultarent. Themiſtocles ergo Ariſtidi oſtendit, totius Græciæ claſſem eo loco eſſe conſtitutam, ut facile ab Athenienſibus opprimi poſſet, atque inde Græciæ imperium comparari. Sed cum eadem Græciæ claſſis ſe prius in fidem Athenienſium commiſiſſet: viſum eſt hoc conſilium Ariſtidi utile eſſe, honeſtum

autem

autem nequaquam. Itaq; cum Athenienſibus id retuliſſet: noluerunt illi utilitatem honeſtati præferre. At ſi eadem occaſio Philippo Macedoni ſeſe obtuliſſet, aut aliis quibuſdam principibus: nequaquam tantam habuiſſent curam honeſtatis, ut paſſi fuiſſent: rei tam bene gerendæ occaſionem è manibus ſuis elabi: Nam conſueverunt ii, & Philippus præ cæteris, fidem fallendo, rerum gerendarum occaſiones captare. Hæc de propoſita quæſtione à nobis diſputata ſufficiant: nam de fœderibus quæ fictis de cauſis renunciantur (ut cum à confœderatorum aliquo pacta non obſervata fuerint) hoc loco nihil diſſerere conſtituimus: ſed de iis tantum, in quibus fides data fallitur: qua in re principes viros magis errare, quam populum arbitramur.

Caput LX.

Ad Conſulatum cæteroſq; magiſtratus evehi ſolitos cives Romanos, nulla habita ratione ætatis.

NOVIMUS ex hiſtoria Romanorum poſtquam conſulatus imperium conſequendi, plebeis quoque poteſtas facta fuiſſet: evectos eſſe ad id munus, cæteroſque magiſtratus, cives Romanos, nulla habita ætatis ratione, aut generis: ſed unius virtutis reſpectu, ſive illa in juvenibus ſive eſſet in ſenibus. Idque in Valerio Corvino apparuit, qui annũ agens viceſimum terti-

tertium, Conſul creatus eſt: ob quam cauſam militem alloquens, dixit, Conſulatum præmium eſſe virtutis, non ſanguinis. Sed utrum id ab iis recte factum, ambigere quis poteſt. Generis atque Nobilitatis familiæ, non habendam eſſe rationem, in evehendis ad tantos honores hominibus: neceſſitas ipſa perſuaſit Romanis: idemque obſervari oportet, ubicunque propoſitum fuerit augere Rempublicam ut illi fecerunt: qua de re prius quoq; eſt à nobis diſputatum. Neque enim ad certum quendam ſcopum contendunt homines, niſi illis præmium proponatur: & ſublata ſpe conſequendi præmii, non ad ſcopum tanto conatu amplius contendũt. Æquum ergo erat, ut plebeis quoque hominibus ſpes proponeretur, conſularis imperii conſequendi: qua ſpe longo tempore nutriti, tandem rem ipſam quoque eos habere oportuit. In qua enim Republica plebs ad nullas actiones adhibetur, quæ aliqua ſingulari laude dignæ ſint, in ea facilius compeſcitur & damnatur illa, ut in principio hujus libri diſputatum eſt: ſed Reſpublica quæ imperium augere cupit: Romanorum exemplum imitari debet & plebi habenas aliquanto laxare. Temporis quoque non habendam eſſe rationem aut ætatis hinc conſtat. Nam ut ad inſignem magiſtratum quempiam eligatur juvenis: neceſſe eſt eum inſigni aliquo virtutis ſpecimine populo innotuiſſe: quo in juvenili homine ſenilem prudentiam demonſtrarit. Qua re ita conſtitu-

ta,& conceſſo eo, quod juvenis cum ſit, tamen ſingulari virtute excellat: perniciosum eſſet inſtitutum, ſi ob ætatem non liceret ei, virtutem ſuam in Reipublicæ uſus conferre: ſed expectandum foret, donec animi vigor ille conſeneſceret cum ipſo corpore: nec Reipublicæ in ea ætate prodeſſe poſſet, qua Valerium Corvinum, P. Scipionem & C. Pompejum patriæ tantopere profuiſſe novimus, ut triumphos ſumma cum laude meruerint.

Finis libri primi, diſputationum Machiavelli de Republica.

NICO-

NICOLAI

MACHIAVELLI DISPUTATIONUM, DE REPUBLICA ROMANORUM,

ex prima Decade T. Livii,

LIBER II.

Ad Zanobium Bondemontium & Coſmum Rucelajum.

PRÆFATIO.

LAUDANT *homines antiquitatem ſemper: præſentia tempora accuſant: at non ubique juſtis de cauſis, uti mihi quidem videtur. Vſq; adeo enim rerum antiquarũ ſtudioſi ſunt, ut non ſolum, eas res, quæ literarum monumentis celebrantur, ſed illas quoq; laudibus efferant, quas ipſi jam ſenes, olim in juventute viderunt. Ego vero hanc illorum opinionem perſæpe falſam eſſe exiſtimo: variisque de cauſis adduci eos, ut ita ſentiant. Primum enim abſolutam vetuſtarum rerum cognitionem aſſequi nequimus. Nam plerumque fit in rebus enarrandis, ut quæ*

turpitudinis quippiam continent, ſilentio prætereantur: quæ cum virtute conjuncta ſunt & laudem merentur, ea & diligenter enarrantur & amplificantur. Vſque adeo enim multum attribuere ſolent fortunæ Victorum Hiſtorici, ut augendæ illorum laudis gratia, non ſolum res ab ipſis præclare geſtas amplificent, ſed hoſtium quoque facta tantopere illuſtrent: ut poſteri deinde ea è longinquo intuentes, cauſam habeant antiqua illa tempora, & hominum, qui tunc vixerunt, virtutem admirandi atque amandi, Hiſce accedit quod cum aut timore aut invidia alienam virtutem odio proſequi ſoleamus: & neutrum horum in rebus antiquitus geſtis officere quicquā poſſit: duæ ſummæ cauſæ deeſſe videntur, in vetuſtate quicquam reprehendendi: cum neque amplius nocere poſſint: neque invidiæ cujuſquam obnoxiæ ſint. Contrario modo ſe habent res præſentes: nam hæ quales ſint univerſæ, cognoſcuntur: nec quicquam habent ſive boni ſive mali, quod latere poſſit. Itaque accidit, ut quoniam una cum virtute præſtantiaq; rerum quæ nunc geruntur, vitia etiam videmus: cogimur quodammodo eas antiquis illis quarum ſola virtus apparet, vitia latēt, poſtponere, quamvis perſæpe præſtantiores ſint. Neque hæc intelligi volo de artium pulcherrimarum præſtantia & perfectione, quæ tanta eſt, ut temporum mutatio parū illis aut addere aut adimere queat. De moribus hominum loquor & vita civili, in quibus non tam inſignia virtutis exempla ætate noſtra apparent, ut apud veteres fuiſſe videntur.

Non

Non injuria ergo laudatur vetuſtas: ſed neque jure vituperantur ſemper, quæ ætate noſtra geruntur, & vetuſtis illis deteriora putantur: perinde ac ſi nunquam ſuis erroribus carerent. Res humanæ omnes in perpetuo motu exiſtunt, & neceſſario aut creſcunt, aut ſenſim dilabuntur. Cernas urbem aut regionem quampiam, ſi à quo excellenti viro ſemel recte inſtituta fuerit, augeri longo tempore, virtute, opibus, & imperio. Qui igitur homines in ea provincia naſcuntur, interim dum omnia creſcunt, ſiquidem res vetuſtas ejuſdem regionis recentibus præferant, illas laudent, has vituperent: vehementer errant, & erroris ſui cauſas habent eas, quas jam commemoravimus. Qui vero in illa tempora incidunt, quibus ad interitum vergunt omnia: ii nequaquam errant, ſi antiqua laudent, & præſentia vituperent. Hæc dum mecum diligenter conſidero, Mundum univerſum exiſtimo, ſemper ſibi ſimilem fuiſſe, & tantundem olim atque nunc boni malique continuiſſe: ſed permutari & tranſire de una regione in aliam hæc bona malaque, ita ut in qua longo tempore virtus regnarit, poſtmodum virtutibus pulſis, ſequantur aliis temporibus vitia. Id ex tranſmutatione regnorum & Imperiorum evidens eſſe poteſt: quæ, prout hominum mores mutabantur, ita ipſa quoque de una provincia in aliam transferebantur. Mundus ipſe idem permanebat, ſed ejus præcipua virtus, ſemel quidem apud Aſſyrios erat: Poſtmodum transferebatur ad Medos: tum ad Perſas, denique in Italiam ad Romanos pervenit. Poſt

Romanorum imperium, ſi nullum adhuc extitit tam firmum, ut totius Mundi virtus in eo ſedem habuiſſe jure dici queat: tamen eadem virtus quæ prius in Romano imperio ſita erat, poſt ipſius interitum, ſparſa eſt in varias regiones & provincias, atque illinc natum regnum Francorum: Regnum Turcicum: Regnum Sultanicum: Imperium Germanorum: Sarracenorum item Secta, quæ olim tot regiones & provincias occupavit vaſtavitque ut oppreſſerit imperium Orientale. In hæc regna diviſa ſparſaque imperii Romanorum virtus, adhuc obtinet aliquid de antiquo illo fulgore, quod non ſine juſta cauſa, aliter apud alios laudari poteſt ac debet. Quibus ita conſtitutis, ſi quis natus in iis regionibus quibus Romani imperii vis diducta diviſaque videtur: præſentia tempora vituperet, laudet autem ejuſdem regionis vetuſtos incolas: is facile errat. At ſi quis in Italia habitet, nec Germanus, Turca, aut ex aliis Gentibus ſit, quibus aliqua Romanorum virtutis portio communicata videtur: is non immerito vetuſtatem ſummis laudibus efferre, præſentia tempora vituperare poteſt Nam in illa admirabilem quandam virtutem intuebitur: in hiſce temporibus omnis generis vitia graſſari deprehendet: nullam religionis rationem haberi: nullam militarem diſciplinam obſervari: legum juris atque juſtitiæ cultum contemni: omnia deniq; vario turpitudinis genera infecta & commaculata eſſe. Quæ omnia tanto magis vituperanda deteſtandaque ſunt, quanto magis in iis vigent, qu[æ] pr[...]

pro tribunali ſedentes, aliis imperant & ipſi adorari cupiunt.

Sed (ut eo unde digreſſi ſumus redeamus) objiciet nobis, non immerito quiſpiam, non debuiſſe ſenes viros tantopere aberrare, in conferendis præſentibus rebus, cum iis, quas in juventute geſtas viderunt: ſiquidem error ille præſentia damnandi, & vetuſtatem nimis extollendi, ex cauſa nobis paulo ante commemorata dependet. Nam Senes ex æquo intelligere potuerunt, & ea quæ juvenes olim viderunt, & illa quæ jam fieri cernunt: non autem in his quidem virtutem ſimul & vitia contemplantur, in vetuſtis id ſolum, quod cum virtute conjunctum eſt noverunt. Cui rei reſpondeo, Homines nō idem ſentire ac judicare ſemper, ne de una eademque re quidem, ſed cum ætate mutari judicium, mutari animi affectus atq; cupiditates. Itaque mutatis animi affectibus & rationali anima aliter nunc, quam prius conſtituta: aliter de rebus judicamus, quamvis tempora ipſa non mutētur: nam quomodo poſſint eadem res hominibus in juvētute & ſenili ætate placere eodem modo ac diſplicere, cum diverſiſſima ſint utriuſq; ætatis ſtudia & cupiditates Nam ut cætera omittamus quanto vires corporis ſeneſcentibus decreſcunt, tanto augetur prudentiā & ratio recte de rebus judicandi: atque hinc fit, ut quæ juvenibus tollerabilia videbantur, ſenibus diſpliceant: quapropter non tempora accuſare oportebat, ſed falſum agnoſcere judicium potius, quo res malas, tunc bonas eſſe exiſtimabant, quas nunc pru

dentiores facti malas eſſe intelligunt. His omnibus accedit hoc etiam, quod hominũ cupiditates immenſæ ſunt nec ſatiari poſſunt: & natura ipſa apti ſumus ad appetenda quamplurima, quæ fortuna poſtea ſingulis denegare ſolet, atque hinc fit poſtea, ut ſuis quiſque rebus minus ſoleat eſſe contentus, quas dum faſtidit, præſentia tempora vel abſque ulla ratione damnat, præterita laudat, de futuris optima quæque ſperat. Quæ cum ita ſint, neſcio ego ſane, an ex eorum numero forte & ipſe ſim, qui in hiſce meis diſputationibus, nimium laudem tempora illa, & antiquos Romanorum mores, noſtra autem vituperem. Enimvero ſi non eſſet virtus, quæ in iis hominibus elucebat, luce meridiana clarior: vitia autem, quæ ætate noſtra omnis generis dominantur, nobiliſſima: paulo moderatius loquerer, ne in id vitiũ incurrerem, quod in multis jam accuſavi. Sed cum hæc tam evidẽtia ſint, audacter dicam quid de noſtris & antiquis illis temporibus ſentiendum putem, ut juvenum animi hiſce noſtris ſcriptis admoniti, evitare diſcant vitia: quæ nunc graſſantur, ſeque præparare ad virtutem illam antiquorum imitandam. Vt ſi fortuna alicui occaſionem offerret, in ſua Republica ad antiquorum normã quippiam inſtituendi, ex doctrina & inſtitutione noſtra aptior ſit. Eſt enim viri boni officium, ut quæ vel fortunæ adverſitate, vel temporum invidia ipſe præſtare Reipublicæ non potuiſti: ſaltem alios doceas: ut ſi quando ex plurimis unus fœlici aliquo ſidere excitatus, id præſtare queat. Quamobrem abſolutis

Cohærentia libri primi cum ſecundo.

lutis iis, quæ ſuperiori libro diſputavimus, de Romanorum inſtitutis Vrbanis, quæque domi in pace ad Rempublicam fœliciter inſtituendam pertinebant, deinceps alium librum ſubjiciam, in eoque diſſeram de iis, quæ foris à populo Romano recte inſtituta, ad imperii augmentum conduxere.

***

CAPUT I.

Virtusne an Fortuna major cauſa extiterit, Romanis acquirendi tanti Imperii?

EXISTIMARUNT multi, & inter cæteros Plutarchus graviſſimus autor Populum Romanum in acquirendo tanto imperio majore fortunę proſperitate, quam virtute uſum eſſe, idque vel ipſiuſmet popul. Romani autoritate conſtare. Neque enim fortunæ tot templa dedicaſſet, niſi ei victorias ſuas acceptas tuliſſet. Nam Romæ nulli deorũ, dearumve tot erant poſita templa, uti fortunæ. Eidem huic ſententiæ videtur Livius quoque ſuffragari, eo quod in recitandis orationibus Imperatorum nũquam ſolius virtutis mentionem facit, ſed fortunæ auxiliũ adjungit. Ego vero contrarium ſentio, neque Plutarchi hanc opinionem defendi poſſe contẽdo. Nam ſi nulla extitit Reſp. quæ tantum imperium, uti Roma acquiſivit: cur id fortunæ potius, quam bonis ipſius legibus & inſtitutis tribuamus? Virtus exercituum, & Imperatorum ſingularis induſtria, imperium Romanum pepererc: res autẽ partas conſervarunt bona Reip. inſtitutio, rectaq; gubernandi ratio à primo legislatore conſtituta: uti deinceps copioſius diſſeremus. Objiciunt, qui contrarium ſentiunt, fortunæ fuiſſe non virtutis Romanorum, quod

nun-

nunquam geminis magnis ac difficilibus bellis, ſimul impliciti fuerint. Neq; enim cum Latinis bellum geſſerunt, donec Samnitum vires fregiſſent: neque cum Tuſcis dimicarunt, donec Latinos ſubjugum redegiſſent, Samnitesq; plane oppreſſiſſent. Quod ſi à binorum horum populorum, potentiſſimis exercitibus ſimul petiti bello fuiſſent, dubium non eſt, quin in ſummum diſcrimen Romanorum res adducta fuiſſet. Utut res ſe habeat, hoc certe conſtat, eos nunquam geminis maximis ac difficillimis bellis ſimul fuiſſe occupatos: ſed ſub finem unius alterum cœpiſſe, & principium ſecundi priori finem impoſuiſſe. Id ex ſerie conſtat bellorum ab ipſis geſtorum. Nam ut de iis nil dicamus, quæ ante captam à Gallis urbem confecerunt. Interim certe dū bellum geſſere cum Æquis & Volſcis, non habuere alios hoſtes, quamdiu horum vires firmæ fuiſſent. His perdomitis, ortum eſt bellum cum Samnitibus; quod etſi primo non plane eſſet confectum, eo uſque tamen perductum erat, cum Latini bellum moverunt, ut ad Latinos compeſcendos, auxilium Romanis tulerint. Latinis ſubjugatis redintegratum eſt bellū contra Samnites: Fractis Samnitibus, ortum eſt bellum cum Tuſcis: Rebus cum Tuſcis compoſitis, tertio redintegratum cum Samnitibus bellum, Pyrrhi in Italiam adventu. Pyrrho Italia pulſo, cœpit primum bellum Punicū: Eo confecto, Galli & qui trans Alpes & qui cis Alpes habitabant, omnes

ſimul adverſus Romanos conjurârunt: Victis iis, ac magna ſtrage inter Piſas & Popoloniam, ubi nunc eſt Turris S. Vincentii, cæſis, pacem viginti propè annis habuerunt, quibus nil ſingulare geſtum eſt: tantum Ligures & reliquiæ quædam Gallorum in Gallia Ciſalpina deletæ. Poſteà ortum eſt ſecundum bellum Punicum, quod Italiam quindecim annos afflixit. Confecto hoc bello magna cum laude, ortum eſt Macedonicum: ſubjectis Macedonibus, ortum eſt bellum Aſiaticum cum Antiocho: Victo Antiocho, nullus extabat jam amplius aut princeps aut Reſpub. quæ vel ſola vel cum aliis conjuncta, Romanorum potentiæ reſiſtere poſſet. Ante ultimam hanc victoriam certè, ſi quis ſeriem bellorum à populo Romano geſtorum diligenter intueatur, & modum progrediendi ab eo obſervatum conſideret: fortunæ proſperitati immixtam deprehendet ſingularem virtutem, & rei militaris peritiam, ex qua fœlicium ſucceſſuum cauſam potius deſumere, quam in unam fortunam omnia referre malim. Poſtquam enim Monarcha aliquis, aut libera Reſpublica, ad tantam potentiam pervenit, ut vicinorum, vel principum, vel Rerumpubl. nulla ei ſola bellum movere auſit: tunc liberum ſemper erit Monarchæ illi, ac potentiſſimæ Reipublicæ, cum quocunque volet ſuorum vicinorum bellum gerere, cæteros in amicitia continere: quod illi potentiam ejus formidantes, & blanditiis deliniri, & facilè placari queant.

Qui

Qui vero longius illinc abſunt Monarchæ, aut Reſpub. tanquàm ſi ea res ad ſe nihil pertineat, parum curant, quid iſti inter ſe agant, permanentque in eo errore, donec malum ad ipſos quoq; ſenſim perveniat. Cum incendium ad ipſos uſq; pervenit, non niſi propriis ſuis viribus reſiſtere poſſunt: atq; hæ ſi non ſufficiant, potentiæ illius reſiſtere nequeunt, & ipſi quoque opprimuntur. Nil dicam de Samnitibus nunc, quomodo paſſi ſint Volſcos & Æquos à Romanis ſuperari, tanquam ſi ea res ad ipſos nihil pertineret, ad Carthaginenſes accedam, quorum potentia magna erat eo tempore, quo populus Romanus cum Samnitibus & Tuſcis, bellum gerebat. Nam univerſam Africam jam tum poſſidebant: Siciliæ præterea, Sardiniæ, & Hiſpaniæ imperabant. Eadem hac ſua potentia decepti, & cum procul à populo Romano abeſſent, nunquam in animam induxerunt tunc de bello ei faciendo, aut ſuppetiis Samnitibus, ac Tuſcis ferendis: ſed (ut plerunq; facere ſolemus in rebus novis & ſenſim creſcentibus) favore potius & amicitia Romanos proſequebantur, nec errorem ſuum animadverterunt, donec Populus Romanus ſubjugaſſet omnes intermedios populos, & jam cum ipſis de Siciliæ & Hiſpaniæ Imperio contendere cœpiſſet. Quod Carthaginenſibus accidit, Gallis quoque evenit, Philippo Macedoni, & Antiocho. Nam horum ſinguli exiſtimabant, interim dum populus Romanus aliis bel-

lis eſſet occupatus, fore ut vinceretur: & temporis adhuc ſatis ſupereſſe, ut ſe defendere vel armis, vel aliqua amicitia poſſent. Quæ cum ita ſint: veriſimile mihi certe videtur, eandem fortunæ proſperitatem contingere poſſe cuicunq; vel principi vel Reipublicæ, quæ eadem virtute & induſtria uti noverit, qua Romanos uſos eſſe ſcimus. Atque hic non incommode etiam dicere poſſemus, de induſtria qua alienas provincias invaſerunt: niſi de ea re copioſe diſſeruiſſemus in libro de Principum inſtitutione. Hoc tamen ſilentio prætereundum non eſt, Populum Romanum ſemper operam dediſſe, ut in alienis provinciis amicum quempiam haberet, qui ad illam invadendam aditum patefaceret, & ad illam conſervandam poſtmodum auxilio eſſet. Sic Campanorum opera in Samnium ingreſſi ſunt: per Camertinos in Tuſciam: per Mamertinos in Siciliam: per Saguntinos in Hiſpaniam: per Maſſaniſſam Regem in Africam: per Ætolos in Græciam: per Eumenem & alios quoſdam principes in Aſiam: per Maſſilienſes in Galliam: & aliorum denique amicorum auxilio indicioque in alias regiones & provincias ingreſſi ſunt: & poſtquam eas occupaſſent, etiam retinuerunt. Hanc rationem, ſi diligenter obſervetur, talem eſſe comperies, quæ ſecum fortunæ proſperitatem adjunctam habeat, ut non opus ſit fortunam, illam deam, implorare. Quo autem hanc diſputationem magis illuſtrare poſſimus: & demon-

monſtrare quod longe plus poſſit virtus, quam fortuna ad Imperium comparandum, diſſeremus capite ſequenti de populorum natura, quos Romani bello ſubegere, & quam pertinaciter iidem libertatem ſuam defendere conarentur.

CAPUT II.

Cum quibus gentibus Romanis dimicandum fuerit, & quam obſtinate illi libertatem ſuam defenderint? quanti item libertas ſit facienda?

DIFFICILEM arduamq; de vicinis & aliis quibuſdam populis victoriam populo Romano fecit amor cõſervandæ libertatis, qui tunc multis gentibus inſidebat. Eam enim tanto ſtudio defendere conabantur, ut non niſi ſingulari quadã virtute vinci & ſuperari potuerint. Cujus rei argumentum habes tot periculorum exempla, quæ adire ejus defendendæ ac recuperandæ cauſa voluerunt: tot tamque horrenda ſupplicia de iis ſumpta, qui illius amittendæ cauſam præbuiſſent. Sed neq; obſcurum eſt ex lectione hiſtoriarum, quanti facienda ſit libertas, & quantum & quam difficile ſit Populo jugum ſervitutis. Ætate nõſtra unica gens ſupereſſe videtur, in qua liberæ civitates ſint: olim per omnes mundi plagas extabant populi liberrimi. In Italia certe inter Alpes, quæ Galliam Ciſalpinam à Tuſcia dividunt, & extremam Italiæ oram, multi liberi populi ha-

li habitabant, Tuſci, Romani, Samnites & alii: nec mentio fit ullorum Regum, qui tunc imperarint in Italia, præter Reges Romanorum, & Porſennam. De cuius ſtirpis excidio, etſi hiſtoriæ nihil memoriæ prodiderint: conſtat tamen Tuſciam, cui Porſenna imperauerat, liberam fuiſſe eo tempore, quo Romani aduerſus Vejos bellum ſuſceperunt, & libertate quidem tanta cum voluptate uſam, tantoq; odio Monarchiæ appellationem habuiſſe, ut cum Veji defendendi ſui cauſa Regem creaſſent, & auxilium à Tuſcis contra Romanos petiiſſent, Tuſci re diu deliberata, tandem cenſuerint non ferendas iis eſſe ſuppetias, donec regem haberent: neque enim decere, iis auxilium ferre qui patriam unius viri imperio ſubjeciſſent. Sed neque ſine cauſa inſidet populo omni libertatis amor. Teſtatur enim experientia, nullam civitatem ſuos cives ditare, niſi tempore libertatis, neque etiam imperium comparare, aut publicas opes quocunque modo augere. Admiratione ſumma dignum eſt Athenienſes Piſiſtrati tyrannide liberatos, centum annorum ſpatio, vires atque potentiam ſuam tantopere augere potuiſſe. Et longe magis ſtupendum adhuc, Romanorum Rempublicam, expulſis Regibus, ad tantum faſtigium pervenire potuiſſe. Eveniunt autem hæc omnia, quoniam nō privatorum opes, ſed quæ publica communiaque ſunt, Rempublicam augent: neque habetur ratio boni publici, niſi in liberis civitatibus, in

quibus

quibus id,quod ex æquo prodeſſe poteſt omnibus aut quam plurimis, ſemper decernitur,nec habetur ratio paucorum quorundam, quibus nocere forte poſſit id, quod univerſis prodeſt, Contra quã accidit in iis civitatibus, quæ principis alicuius imperio parent.Nam in iis plerũque fit, ut quod Principi prodeſſe poteſt, univerſis civibus noceat. Quo fit, ut ſi libera Reſpublica ſub tyrannidem alicuius redigatur, inter leviſſima detrimẽta, inde ſibi orta, hoc numerare queat, quod jam neq; opibus,neq; imperio amplius augeri queat: Sed decreſcere etiam paulatim incipiat. Nam etſi concedamus Tyrannum hunc, ſub cuius imperium redacta eſt,virum eſſe induſtrium & bellica virtute pręſtantem:tamen id,quod ille comparat,in ſuum privatum commodum, non in uſus publicos convertit: cum neq; ex ſubditis ſuis,quibus tyrannice imperat,deligere auſit excellentiſſimos ac præſtantiſſimos quosque,ut eos pręficiat rebus gerendis,metu nimirum vindictæ.Quod ſi quas præterea urbes occupabit, non certe huic tributarias faciet: cum tyranni ſcopus ſit, non augere potentiam ſubditorum: ſed ſubditam ſibi conſervari, & vires, quibus aliquando jugum excutere queant, opprimere. Qua de re multa præclare apud Xenophontem, in libro de tyrannide, leguntur. Quæ cum ita ſe habeant, nemini mirum videri debet, veteres tanto libertatis ſtudio flagraſſe, & tyrannorum nomen tanto in odio habuiſſe: ut cum nuncius

tius olim ad exercitum perveniſſet, de interfecto Hieronymo Hieronis Syracuſani nepote, ac milites omnes fremerent adverſus conjuratos: tamen cum paulo poſt nuntiaretur, proclamari libertatem publice Syracuſis: depoſita iracundia contra conjuratos, de modo conſervandæ libertatis deliberare cœperunt. Ob eaſdem cauſas ingentibus ſuppliciis perſæpe affecti ſunt ii, qui amittendæ libertatis autores eſſe voluerunt. Quorum exempla cum plurima extent, hoc loco unum tantum, idq; horrendum & memorabile adducam, quod in Corcyra accidit, tempore belli Peloponneſiaci. Nam cum tunc univerſa, Græcia in binas factiones diviſa eſſet, quarum una Athenienſium, altera Spartanorum amicitiam retinere conabatur: & in Corcyra optimates ſuperiores facti, populo libertatem ſemel eripuiſſent: factum eſt poſtea, ut Populus Athenienſium auxilio adjutus denuo optimates devicerit. Itaq; ſervitutis jugo excuſſo, optimates omnes in magnum quendam carcerem incluſerunt: ex eo deinde denos ſingillatim educentes, tanquam illos in exilium mittere vellent, variis ſuppliciis afficiebant. Cujus rei tandem certiores facti reliqui in carcere; decreverunt, quocunque modo ſe à tam fœdis ſuppliciis defendere: facto igitur impetu in eos, qui carceres ingrediebantur, illos repellebant, & aditu prohibebant. Sed ea re cognita Populus, concitato tumultu, tabulatum carcerib. impoſitũ aperuit, & ruina muro-

Pœna ereptæ libertatis.

rum

rũ univerſos ſimul ſuffocavit, Hujuſmodi crudelitatis exempla, pro defenſione libertatis tunc plura quoque alia evenerunt: majori tamen cum impetu ſolent homines ereptam libertatem vindicare: quam in eos, qui eam eripere voluerunt ferri. Sed non immerito poſſit quiſpiã hoc loco admirari cauſam, cur antiqui illi longe magis laboraſſe videantur, pro libertate publica, quam id ætate noſtra fieri videamus. Ego vero ob eandem cauſam id fieri puto propter quam iidem illi fortiores viri erant, quam noſtri; atque illam majore ex parte pendere ex ipſa educatione, & religionis illorum noſtræque diverſitate. Nam cum ex religione noſtra veritatem rerum intueamur: diſcimus ex illa ſtatim honores & pompam hujus mundi contemnere. Sed Ethnici hæc omnia magni faciebant, & in iis ſummum bonum ſitum eſſe putabant: quapropter promptiores ferocioreſque erant hujuſmodi rerum defenſores. Id ex multis eorum inſtitutis apparet: nam ſi vel eorum ſacrificia cum noſtris conferas: in illis magnificentiam quandam horrendam, in noſtris delicatam quandam molliriem cernes. In illis, Pompæ & magnificentiæ cædes multorum animalium adjungebantur, qui terribilis aſpectus homines etiam feroces reddebat, noſtra his omnibus caret Ethnicorum religio nõ reddebat homines beatos aliis rebus, quam gloria & laude virtutis, pro rebus bene fœliciterq; in bello aut pace geſtis: ex noſtræ religionis

nis inſtitutione, beatiores putantur humiles, & qui rerum divinarum contemplationi dediti ſunt, quam qui res magnas geſſerunt. Summum præterea bonum ſtatuit in humilitate & contemptu rerum hujus mundi. Ethnici omnia contrario modo ſe habere credebant: nam ſummum bonum exiſtimabant in magnitudine animi poſitum eſſe, & corporis viribus cæteriſque omnibus, quæ à fortiſſimis viris fieri ſolent. Hæc vitæ inſtitutio Chriſtianum orbem imbellem feciſſe videtur, ut ſceleratis ac perfidis principibus certa præda eſſe ſoleat. Nam plerique mortalium ſpe vitæ beatæ cogitant potius de tolerandis injuriis, quam de iiſdem vindicandis: tanquam ſi oporteret cœlum ſine armis ullis ſolo otio comparare: ſed non caret errore iſta Religionis noſtræ explicatio, & qui illam ita ſunt interpretati, abjecti homines fuere, quibus otium potius quam virtus cordi fuit. Nihil enim religioni Chriſtianæ adverſatur patriæ defenſio, imperiique ejus per legitimum modum auctio: permittitur omnibus patriam amare, in honore habere, & ad illius defenſionem ſe præparare. Sed inepta illa educationis ratio efficit, ut ſi per univerſum orbem ætate noſtra percurras, neutiquam tot populos liberos, tot liberas Reſpu. ut olim erant, invenire queas, nec homines libertatis amatores, atque ejuſdem acres defenſores. Equidem Romani imperii magnitudo non parum etiam ad id fecit, cum per univerſum orbem liberas

Reſ-

Reſpublic. ſub ſuum jugum ſubjecerit: ſed neque deſtructo imperio Romano, tamen potuere priſtinam libertatem recuperare, niſi per-paucæ quædam. Quo tempore augebatur Romanum imperium, inveniebantur in omnibus regionibus multi liberi populi, multæ liberæ Reſpublicæ præclare inſtitutæ: & libertatis defenſores acerrimi: nec proinde à populo Romano abſque ſingulari virtute vinci, ac ſuperari potuerunt. Exemplo eſſe poſſunt vel ſoli Samnites: quos Livius teſtatur tam potentes pace ac bello fuiſſe, & tam acres libertatis defenſores, ut quadraginta ſex annos bellum cum Romanis geſſerint, nec vinci omnino potuerint, ante tempora Conſulatus Papyrii Curſoris, qui Papyrii primi filius fuit, quamvis infinitas ſtrages perpeſſi fuiſſent. Quo magis miſeratione dignum eſt: ſi quis eam regionem ætate noſtra propemodum deſolatam videat, quæ olim à tot liberis hominibus incolebatur, tot liberis & præclare inſtitutis civitatibus exornata erat. Quæ omnia diverſitatis ſuæ cauſam habent ex libertate & ſervitute. Quæcunque enim civitates ac regiones libertate fruuntur, augentur opibus & imperio, & hominum multitudine. Quis enim non libentius procreet homines in iis locis, ubi matrimonia, & opes liberæ ſunt, quam ubi metus eſt ne ſi quid labore tuo ad educandos liberos comparaſti, id tibi à tyranno aliquo auferatur? Ubi libertas eſt, non modo tibi polliceri potes, liberos fore *Libertatis laus.*

non

non ſervos, quos procreas filios, ſed ſiquidem virtuti operam dent; etiam ad Reipublicæ gubernationem adhibitos iri. Augentur opes hic, non ex agricultura modo, verum etiam ex omnibus aliis honeſtis artibus, quod omnes ita affecti ſimus, ut eo loco libenter acquiramus, quo ſperemus, rebus partis tuto frui poſſe: In hujuſmodi locis omnes certatim, cum publicorum, tum privatorum commodorum rationem habent, eaque augere conantur. At ubi ſervitutis jugo oppreſſi ſunt homines, contrario modo eveniunt omnia, idque tanto magis quanto durior ſervitus fuerit, Duriſſima videtur ſervitus earum civitatum atque regionum, quæ imperio liberæ Reipublicæ parent. Primũ enim diutiſſima eſſe ſolet, ut nulla ſpes conſequendæ libertatis propoſita ſit. Deinde ſolent liberæ Reſpublicæ augendarum ſuarũ virium gratia, ſubjectarum imperio ſuo civitatum potentiam imminuere, & ſuccum omnem propemodum exugere, ſecus quam ſolent principes non omnino barbari, quales ſunt ætate noſtra orientales omnis civilis vitæ corruptores. Cæteri humanis artibus inſtituti, æquiores eſſe ſolent, & ſubditos diligere conſueverunt, permittuntque non ſolum, ut conſuetis artibus rem faciant: ſed ſtatuta antiqua & leges relinquunt integras, ut ſi ob hanc ſervitutem incrementũ amplius accipere nequeant conſervare tamen poſſint res prius à ſe partas. Et hoc quidẽ loco de principatu loquor, qui ab extero homine

mine occupatur: de tyrannide quem patriæ civis invadit, ſupra locuti ſumus. Quæ omnia ſi diligenter contempleris, haud mirum videri debet, Samnites, eo tempore, quo libertate fruebantur, ad tantam potentiam perveniſſe: amiſſa illa ad extremum fuiſſe redactos. Qua de re Livius in bello punico inquit, Samnites unica Romanorum legione apud Nolam, uſque adeo oppreſſos fuiſſe, ut legatos ad Annibalem impetrandi auxilii cauſa mittere coacti fuerint: Legatos etiam de ſua miſeria apud Pœnum cõqueſtos, ſe eſſe illos, qui propriis viribus cum populo Romano centum annos geſſerint bellum, & ſæpe binos exercitus Conſulares ſuſtinuiſſe: nunc eo miſeriæ redactos, ut unicam legionem ſuſtinere nequeant.

CAPUT III.

Romanæ urbis magnitudinem ortam eſſe partim ex ruinis vicinarum urbium, partim quod peregrinos homines ad honorum gradus in urbe facile admiſerit.

CRESCIT interea Roma Albæ ruinis, inquit Livius. Nam qui potentem urbem quampiã efficere vult, aptamq; ad imperiũ occupandũ: in id vnice debet incumbere, ut eam magno civiũ numero repleat, ſine qua re nunquam ad faſtigiũ aliquod pervenire poterit. Idipſum duobus modis præſtabit, quorum unus facilis & gratus, alter violentus eſſe videtur.

Primus

Primus eſt, ſi aditum patefecerit omnibus peregrinis, ut tuto in urbem tuam commigrare, & illic habitare, & auſint, & libenter velint. Violentus alter eſt, ſi vicinas urbes deſtruxeris. Ita enim compelles earum incolas in tuam urbem commigrare. Utrunque modum obſervarunt Romani, quamobrem tam cito crevit Reſpublica ut ſexto illorum Rege imperante, octoginta millia civiũ illic habitarent, qui ad arma ferenda apti eſſent. Violentus ille modus ſimilis eſt ei, quo agricolę in excolendis arboribus utuntur. Nam ut plantæ altius conſurgant, firmioreſq; fiant, atque fœcundiores, amputare ſolent primos ramos & ſtolones omnes, videlicet ut ſuccus in ſuperiores plantæ partes uberior feratur, & planta major fœcũndiorque fiat. Neceſſarium autem eſſe id in augenda viribus atque imperio Repub. vel Spartanorum & Athenienſium exemplum documento eſſe poteſt? quæ urbes etſi munitiſſimę eſſent, & optimis legibus inſtitutæ, non potuere tamen Romanam potentiam adæquare, quamvis Roma minus bene inſtituta videretur, ob tot patrum plebiſq; contentiones. Cujus rei ratio eſt, quod Roma utrumque modum in augendo civium numero ſervans, potuit ex ſuis civib. ingentem exercitum producere: Athenienſes & Spartani contrariam viam ingreſſi, nunquam potuere plus, quam viginti millia civiũ ſuorũ ſinguli proferre. Neque enim attribui debet id diverſitati ſitus locorum, ſolive fœcunditati,

ſed

ſed cauſis jam expoſitis Lycurgus enim, Spartanorum legiſlator, nulla re facilius abrogari poſſe leges ſuas exiſtimavit, quam peregrinorum hominum adventu. Itaque omnia in Republica eo direxit, ne civibus ſuis occaſio eſſet, cum exteris hominibus converſandi, aut negotiandi. Ob quas cauſas ne peregrini reciperentur interdixit, & matrimonia, quæ cum exteris contraherentur, prohibuit: denique ne occaſio exteris mercatoribus daretur, merces ſuas eo comportandi, mandavit, ut moneta ex corio uterentur, quibus omnibus de cauſis nunquam potuit Spartanorum civium numerus vehementer augeri. Sed cum res humanæ, quæcunque aliquid artificii continent, naturam imitari debeant, nec fieri poſſit, ut planta tenuis ponderoſos ac magnos ramos ſuſtineat: nequaquã exiſtimare debemus, Remp. exiguo civium numero conſtantẽ, poſſe occupare, aut ſi quando occupavit, cõſervare, urbes majores & frequentiores, quam ipſa ſit. Nam ſi quando tale quiddam ei contigerit, ex levi aliquo motu rurſus omnia perdet, perinde ut tenuis planta, ponderoſiores ramos habens, ex levi vento cõfringitur. Quamobrẽ Spartani, etſi Græciæ totius imperium occupaſſent, tam inepti fuerunt ad id conſervandũ: ut deficientibus Thebis, reliquæ civitates ſimul omnes defecerint: amiſſoq; univerſo imperio, perinde affecti erant, ut planta ſine ramis. At id Romanis non contigit: quoniã domi plantam habebant firmam, quæ

validos illos ramos facile ſuſtineret. Hæc præcipua cauſa fuit magnitudinis Romani imperii, quam Livius, ut ante diximus, præclare expreſſit, inquiens: creſcit interea Roma Albæ ruinis. De cæteris, quæ etiam eo faciebant, inferius dicemus.

CAPUT IV.

Reſpublicas tribus modis ſolere imperium comparare.

RERUM antiquarum hiſtoriam obſervanti, tres modi apparent, quibus Reſpubl. in univerſum uſæ depræhenduntur, ad imperium comparandum. Ex iis primus eſt, quem Tuſci olim obſervarunt, qui inito fœdere inter ſeſe: quo æquali dignitate eorum civitates comprehenderentur, ſubinde plures in ſuam ſocietatē, ditionemq; pelliciebant, perinde ut faciunt ætate noſtra Helvetii, & olim in Græcia Achæi, atq; Ætoli: Quia autem multum negotii fuit olim pop. Romano cum Tuſcis, hoc modo inter ſe confœderatis: explicanda eſt aliquanto copioſius hoc loco illorum Reip. ratio, de qua etſi hiſtoriarum monumentis nil ſingulare proditum ſit: novimus tamen, quod ante tempora Romanorum Tuſci potentiſſimi fuerint terra marique. Quorum potentiæ argumentum eſt, quod in mare ſuperum Atriam, Coloniā nobiliſs. deduxerunt, ex quo Mari Adriatico poſtea nomen ex ipſa impoſitum remanſit: unius tantum literę mutatione intercedente. Eorum im-

perii

perii limites erãt ab ima parte, Tyberis fluvius, ab altera, ſummæ Alpes, quę Italiam à Germania dividunt. Sed 200. annis tamen, antequam creſcere inciperent Romani imperii vires accepere Tuſci à Gallis magnam cladem, qui Belloveſo duce, ſive neceſſitate quęrendarum ſedum coacti, ſive loci fertilitate moti, ſuperatis alpib. eam Italiæ partem occuparunt, quam vocamus, Longobardiam, & à ſuo nomine eã Galliam Ciſalpinam nũcuparunt, expulſiſq; prioribus incolis, multas in ea civitates extruxerũt, quas poſſederunt eo uſque, donec ipſi quoque poſtea Romana potentia domiti, pellerentur. Hæc erat Tuſcorum imperandi ratio, comprehenſis æquali fœdere eorum civitatibus, quæ duodecim numero erant, & Cluſium, Veii, Feſulæ, Aretium, Volaterra, inter eas præcipuæ. Sed non potuere tamen illius ope, Italiæ limites excedere: neque Italiam univerſam occupare, propter cauſas, quas poſtea commemorabimus. Alter imperandi & acquirendi imperii modus eſt, ſi civitati tuæ plurimas civitates ſocias adjungas, ita tamen, ut tibi imperii nomen, & poteſtas remaneat, cum ad ſuſcipienda bella, tum in eos, quos ſociorum auxilio deinceps occupare, & ſubigere potueris. Quæ ratio à populo Romano obſervata eſt. Tertius eſt, quo uſi ſunt Spartani & Athenienſes, ii enim non ſocios ſibi ullos adjunxerunt: ſed quoſcunque occuparunt, omnes ſibi ſubditos fecere. Quæ imperandi & acquirendi imperii ratio,
 omni-

omnium imbecillima eſt, ut in iiſdem hiſce binis præſtantibus Rebuſp. apparuit. Neq; enim tam cito, ob ullam aliam cauſam deſtructę fuerunt, quam quod Imperiũ, ſuis viribus majus, comparaſſent. Eſt enim res per ſe ardua, atque difficilis imperare per vim, & iis præſertim, qui prius liberi eſſe conſueverunt. Quod ſi ergo, neq; maximum habeas civium numerum, neq; ſocios adjungas, quorum auxilio imperii pondus ſuſtinere poſſis, vix domare imperio tuo ſubditos poteris. Cum autem Athenienſes & Spartani neutrũ horum fecerint, nemini mirũ videri debet, ſi ineptã eſſe diximus eorum imperandi rationem. Romani utrunque fecerunt: nec extare puto memoriam ullius Reipub. quæ tali modo imperandi uſa fuerit. Quamobrem crevit etiam illorum potentia, plus quam ullius unquam Reip. Multos illi ſibi per univerſam Italiam ſocios adjunxerant, qui iiſdem legibus, ut ipſi viverent: exceptis imperii inſignibus, quorum ſedes Romæ collocata erat: ſed ita fiebat, ut iidem ſocii ſenſim ſuisque laboribus, ſemet ipſos magis magiſq; pop. Romano ſubiicerent. Nam poſtquam idem populus Italia egreſſus, regna in provincias reduceret: neque ii, qui victi eſſent difficulter parerent, cum alias ſub Regibus vivere conſueviſſent: neq; præterea à ſociis, ſed ipſomet populo Romano ſuperatos ſe eſſe putarent: nullum præter pop. Romani dominium agnoſcebant. Quo factum eſt, ut omnes ſocii, quicunq; in Italia eſſent, à

tot

tot Romanorum provinciis, quæ ſe eorum imperio plane ſubjecerant, & urbe munitiſſima ac potentiſſima oppreſſi: errorem ſuum tarde nimis agnoverint, quod nulla jam ratio eſſet, eorum potentiæ reſiſtendi. Nam ſi qui illorum adverſus Romanos conjurarent, brevi tempore opprimebantur, & ex ſociis ſubditi fiebant. Hunc adminiſtrandi acquirendique imperii modum ſolus Pop. Romanus obſervavit, nec ullus eo præſtantior inveniri poteſt, vel ipſa experientia atteſtante. Poſt hunc ſecundum locum obtinet is, quem à Tuſcis, Achivis, atque Ætholis obſervatũ olim docuimus, & ab Helvetiis etiamnum obſervari Nam etſi non magnum imperium facile ſit conſequi per hunc: quod Reſp. disjuncta in plures civitates eodem fœdere comprehenſas; non tam facile de rebus gerẽdis conſultare queat, nec tam cupidos habeat cives acquirendi imperii, quod in tot partes poſtmodum dividi oporteat: tamen ob has ipſas cauſas duplici nomine prodeſſe ſolet. Primum enim, ſi quid ſemel eſt occupatum, illud diutiſſime retinere ſolent: deinde non facile bellis ſeſe immiſcent, & pace fœlicius utuntur: diutius enim de omnibus iis, quæ occurrunt conſultare coguntur, & lentius moventur, quam ubi unis in mœnibus omnes compræhenduntur. Solet præterea hæc imperandi ratio certos ſui incrementi limites habere, quos non facile excedit. Nam poſtquam duodecim, aut quatuordecim urbes ſeſe eodẽ fœdere conjunxerunt:

non ſolent plures recipere in ſocietatem, quod ſatis ſe eſſe, atque ſufficere exiſtiment ad ſui defenſionem: neque magnopere quærunt, ut aliis imperent, cum parum ſingulis imperium illud prodeſſe queat: plurium vero ſociorum multitudo, confuſionem potius quam defenſionis auxilium allatura eſſe videatur. Itaque cum eo uſque accreverit fœderis eorum ſocietas, ut tuti eſſe videantur ab exterorum incurſionibus, & ſufficientes ad ſui defenſionem: binos ſcopos ſibi proponunt. Nam aut vicinas civitates & regiones in ſuam clientelam recipiunt, certo ſtipendio dato, quod inter ipſos facile dividunt: aut modo huic, modo illi principi operam navant in bello. Idque cum ab Helvetiis nunc, tum olim ab aliis factitatum eſſe novimus. Quamobrem narrat Livius, cum aliquando Philippus Macedoniæ Rex, præſente Ætolorum prætore, cum Tito Quintio Flamminio differeret, objecta eſſe illi prætori Ætolorum avaritiam, à Philippo: quod non eos puderet militem ſuppeditare utrique hoſtium, ut in contrariis caſtris ſæpe Ætolorum ſigna cernerentur. Quamobrem vel ex hoc exemplo, videtur iſta adminiſtrandi, acquirendique imperii ratio, ſemper ſibi ſimilis fuiſſe. Alteram vero, qua ſubditi ſolummodo parantur, ut olim incommodam minimeque firmam fuiſſe conſtat: Ita noſtra quoque ętate Italicis civitatibus parum ſalutaris fuit. Sola Romanorum illa admirabilis fuit, cujus exemplum neque antea ab ullo

ullo populo, neque poſt uſurpatum eſſe novimus, Tuſcorum, Ætolorumque Remp. imitantur ætate noſtra ſoli Helvetii, & Suevorum confœderatio. Quæ cum ita ſint, ac tam multa pop. Romanus domi, militiæque præclare inſtituerit, & ad augendam, & ad conſervandam Remp. ſalutaria, quæ à noſtris hominibus nec conſiderantur, nec ad imitandum proponuntur: mirum nemini videri debet, ſi eo res noſtræ in Italia redierunt, ut præda ſimus cuicunque qui nos invadit. Nam, ut de cæteris taceamus, Tuſcos certe noſtros deceret, ſi non Romanorum illam diſciplinam militarem, & augendi imperii rationem imitari ſe poſſe confiderent: eam ſaltem imitarentur, quam antiquiſſimi illi Tuſci excogitarunt: qua ſi non magnum & Romanorum ſimile imperium compararunt: tamen in Italia potentiam acquiſiverunt, quantam illa adminiſtrandæ Reip. ratio permittit: eamque cum ſumma laude, & æterna ſui nominis memoria, poſſederunt longo tempore: donec ea primum à Gallis labefactata, & denique à Populo Romano oppreſſa deletaq; funditus caderet, uſqueadeo, ut ætate noſtra tanti illorum imperii vix ulla extent veſtigia. Atque hæc ipſa ratio fuit, ut ſequenti capite diſputare conſtituerim de cauſis, propter quas tantarum rerum memoria aboleri poſſit.

CAPUT V.

Mutationem religionis, linguarumq́; Diluvia item atq; peſtilentiam efficere, ut magnarum rerum memoria aboleatur.

PHiloſophis iis, qui Mundum æternum eſſe contendebant, non incommode obiici poſſe credo, obliteratam rerum antiquiſſimarum memoriam. Neque enim veriſimile eſt, ſi Mundus ab æterno fuit, nos plane ignoraturos fuiſſe illa omnia, quæ ante quinque annorum millia geſta fuerunt. Sed non deſunt tamen etiam cauſæ, quibus maximarum rerum memoria aboleri potuit, quas dum mecum conſidero, partim ab ipſa hominum natura, partim ex cœlorum influxu dependere cenſeo. Ex hominum natura aboletur rerum magnarū memoria, ob mutationem religionis & linguarū. Nam qui novum religionis cultum inſtituere vult, imprimis operam dat, ut, quæ prior religio continebat, omnia deleantur, utq; ſuæ religioni fidem conciliet. Quod ſi illi igitur, qui hanc novam religionem inſtituunt, etiam novam linguam introducant: facile illis eſt omnes res antiquas abolere, & eorum omnem delere memoriam. Id ità ſe habere intelliges ex Chriſtianæ religionis inſtitutione: cujus primi autores in id unice incumbebant, ut omnes Ethnicorum ceremoniæ ſtatutaque everterentur & delerentur. Quod autem remanſit tamen aliqua memoria Ethnicorum religio-

nis & veterum inſtitutorum : id factum eſt ob linguam non mutatam : nam Chriſtianam noſtram religionem Latina lingua explicarunt: quod ſi illam cum nova aliqua lingua introducere potuiſſent: facile aboleri potuiſſet omnis Ethnicorum divini cultus memoria. Uſque adeo enim diligentes aſſiduique erant primi illi Chriſtianæ Religionis inſtitutores & moderatores, in extirpandis Ethnicorum ſuperſtitionibus, ut & Poetas & Hiſtoricos quibus aliquid tale contineretur, comburendos jurarent, idola deiicerent, & quicquid ſuperſtitiones illas aliquo modo redoleret, id omne in univerſum tollere conarentur. Cui illorum diligentiæ ſi nova penitus lingua acceſſiſſet, facile potuiſſent antiquæ illæ res in oblivionem omnes tranſire. Quod igitur feciſſe novimus Chriſtianæ religionis patres in ea conſtituenda adverſus Ethnicorum ſuperſtitiones: idipſum veriſimile eſt ab iis factum qui Gentiliſmum inſtituerunt, contra antiquorũ aliquã religionem. Et quoniam quinque aut ſex annorum millibus, fieri poteſt, ut religio bis aut ter plane immutetur: non mirum eſt, ſi cum illa mutatione, rerum quoq; antiquarũ memoria aboleatur, uſq, adeo, ut ſi quid earũ ad poſteros pervenit, pro fabula habeatur: perinde ut accidit Diodori Siculi hiſtoriis, quę pollicentur narrationem rerum ante quadraginta annorum millia geſtarum, & proinde non injuria pro fabulis habentur. Ex cœlorum influxu perit

rerum antiquarum memoria, ipſo humani generis interitu; qui propter peſtes aut diluvia, aut famem evenire ſolet. Maxima autem eſt vis diluviorum, nam qui ex iis conſervantur, fere eſſe ſolent homines montani hiſtoriarum & omnis antiquitatis imperiti: nec proinde poſteris ſuis ullam earum cognitionem relinquere poſſunt: Quod, ſi quis conſervatur literatus & peritus antiquitatis: ut ſibi nomen & autoritatem apud poſteros relinquat, ex animi ſui ſententia potius, quam ut res vere ſeſe habuerint, ſcribere ſolet. Neque vero dubitandum cenſeo quin ſtatis temporibus hujuſmodi peſtes, fames atque diluvia per orbem terræ graſſentur, cum earum mentionis pleni omnes ſint libri hiſtoriarum: tum etiam quod abolitam rerum antiquarum, memoriam, tãquam certum corũ effectum intelligamus. His accedit quod rationi cõſentaneum ſit, univerſum mundum quandoque expurgari oportere, perinde ut ſinguli homines expurgantur. Nam in his quoq;, auctis omnibus humoribus ſupra modũ, natura ſi fortis fuerit, excretionem eorum molitur, ſine qua interire hominem oporteret. Idẽ cenſendum de ipſo univerſo: nam cum omnes regiones terræ, incolis plenæ ſunt, nec uſquam novus habitandi locus ſupereſſe poteſt: aucta inſuper fuerit ſupra modum malitia hominum: neceſſe eſt purgari mundũ aliqua magna clade: ut homines numero primum imminuti, deinde præſentis cladis intuitu conſternati, melio-

meliores reddantur. Quæ cum ita ſint, non mirum eſt, ſi Tuſcorũ res, olim tam belli quam pacis gloria celebres, à Romana potẽtia opprimi potuerint, & uſque adeo aboleri, ut vix ulla amplius extent illarum veſtigia.

CAPUT VI.

Ratio progrediendi in bellis gerendis à populo Romano uſurpata.

SUPERIORI capite diſputavimus de modo acquirendi, adminiſtrandique imperii quem populus Romanus obſervabat: deinceps diſſeremus de ratione gerendorum bellorum: ut intelligatur quantum prudentia cæteros homines ſuperarint, utq; methodo ſemper uſi ſint quadam ad tantam imperii molem comparandam. Qui bellum gerit pro animi arbitrio, nulla coactus neceſſitate, propoſitum finẽ procul dubio habet, comparare imperium, & partum conſervare, non amittere: ditare patriam non ad paupertatem reducere. Ex quo ſequitur, rationem habendam eſſe ſumptuum, ne nimis magni fiant: omnium horum naturam populus Romanus uno quaſi faſce comprehendit, dum bella gerenda eſſe ſtatuiſſet magnis viribus, ut brevi temporis ſpatio conficerentur. Itaque magnis copiis in campum prodibant, & hoſti obviam profecti ſtatim dimicabant. Victis leges & pacis conditiones permittebant, aut eo Coloniam, quæ eſſet Romanorum finium cuſtodia, deducebant: ex quo fi-

ebat, ut brevi temporis ſpatio bella conficerē-tur,& abſq; magno etiam ſumptu. Nam interim dum aperte bellum indiceretur, ſufficiebant Coloniæ ad fines eorum imperii tutandas: bello publice indicto, magnis cum copiis prodibant, pugnabāt, & victis graviores, quam prius, conditiones præſcribebant: atque ita ſenſim eorum potentia augebatur, & hoſtium vires imminuebantur. Hunc gerendorum bellorum modum ſervarunt, donec perventum eſſet ad Vejorum obſidionem: tunc enim aucta Republica ſtipendium ex ærario militibus conſtituerunt, ut diutius bellum protrahere poſſent, quæ res ante neceſſaria non erat, cum bella cum vicinis proximis gererentur, eademque breviſſime conficerentur. Id autem ſolvendorū ſtipendiorum inſtitutum, etſi eo pertineret, ut bella, quæ procul ab urbe gerebantur, melius confici poſſent, & exercitus diutius ſufficeret ad illa conficienda, non tamen deſierunt in id maxime eniti: ut illa quoque quam fieri poſſet, citiſſme abſolverentur, & ut victis hoſtibus eo Coloniæ deducerentur. Nam præter communem populi Romani conſuetudinem efficiebat etiam conſulum ambitio, ut quam citiſſime bella abſolverentur: quoniam annuus erat eorum magiſtratus, nec triumphū ducere poterant, ni prius confectum bellum fuiſſet. Ut deducendarum Coloniarum ratio conſervaretur, efficiebat utilitas, quæ ex illis ad cives Romanos dimanabat. Hæc progredi-

gredicendi ratio igitur à populo Romano perpetuo obſervata eſt in bellis gerendis, nec quicquam immutatum, præterquam in præda diſtribuenda, in qua liberaliores à principio fuerunt, quam poſtea, idque ob eam cauſam fecere, quod cum ſtipendia militibus ſolverentur, magis ærarii publici, quam privatorum utilitatis rationem habendã putarent. Ut ſi ærarium diteſceret, ſtipendia ſolvi poſſent, tributo civibus non indicto. Itaque hiſce rationibus factum eſt, ut Romanus populus ex bellis ditatus fuerit, non ad paupertatẽ redactus: cæteri principes & Reſpublica quæ populum Romanum imitari neſciunt, non raro plura amittũt quam acquirunt. Tanta erat autem Romæ ditandi ærarii apud omnes cupiditas, ut eo redacta fuerit res, ne cuiquam Conſuli ducere liceret triumphum, ni ſimul magnam auri, argentique vim, & aliam prædam multiplicem ærario inferret. Univerſum igitur populi Romani inſtitutum eo ſpectabat, ut bellum brevi tempore conficeret, hoſtem aut vinceret, aut excurſionibus & præliis fatigaret & ad conditiones pacis petendas impelleret, ipſe vero ſubinde magis magiſq; diteſceret.

CAPUT VII.

Quantum agri diſtribuere ſolerent Romani ſingulis, qui in Colonias deducebantur.

QUANTUM agri populus Romanus ſingulis

gulis Colonis dividere ſoleret : vix memoriæ proditum eſſe credo : veriſimile eſt autem aliquando plus, & aliquando minus cuique aſſignaſſe : prout locus magis aut minus fertilis eſſet, in quem Colonia deducebatur : nec tamen unquam id valde liberaliter ab eo factum: cum Reipublicæ intereſſet : ut multi in ſingulas Colonias deduci poſſent, qui adverſus hoſtium incurſus, tutandis finib. Romani imperii præſidio eſſent. Deinde cum tenuiter viverent ii cives, qui Romæ habitabant : veriſimile eſt eos noluiſſe, ut qui in Colonias deducerentur, vehementer opulenti forent. Exemplo poteſt eſſe Colonia Veji, qua poſt captos Vejos deducta, diſtributa fuere ſingulis Colonis terna jugera & ſeptē unciæ agri, Livio teſte. Exiſtimabant enim non tam magnitudinem agri, quam bonam ipſius culturam ad victum ſuppeditandum cōducere. Paſcua certe & ſilvas eos habuiſſe opotuit, cum ad pecora nutrienda, tum ad ligna ignibus & ædificiis ſuppeditanda : ſine quibus Colonia recte inſtitui non potuit.

CAPUT VIII.

Quibus de cauſis populi quidam, relicto ſolo patrio, alias regiones invadere ſoleant.

EX præcedenti diſputatione de modo acquirendi conſervandique imperii, & de Tuſcorū antiquiſſimorum Repu. à Gallis everſa, ſequi videtur, ut deinceps oſtēdamus, bello-

rum

rum duplex eſſe genus. Alterum enim ex principum ac Rerumpublicarum libidine ſive ambitione pendet, quod ii augendi imperii gratia, cum vicinis bella ſuſcipere ſoleant. Hujuſmodi fuerunt bella, quæ & ab Alexandro Magno & à populo Romano etiam geſta ſunt, & alia item quæ etiam ætate noſtra principes & Reſpublica inter ſe gerere ſolent. Periculoſa illa quidem ſed hujuſmodi tamen, ut omnes incolas ex regione bello devaſtata expellere non ſoleant. Victori enim ſufficit, ut victos in ſuam poteſtatem redigat, & cogat imperio ſuo parere: quod ubi obtinuerit, non gravatur, ſi maxime antiquis legibus porro utantur. Longe difficilius magiſque periculoſum eſt alterum belli genus, quod inferri ſolet, à gentibus exteris, quæ univerſæ, cum liberis & conjugibus, ſive bello ſive fame coactæ, priores ſedes deſerunt, & alienas regiones invadunt, non ut imperent iis, qui jam illic habitant, ſed ut illis aut interfectis, aut expulſis, ipſi eas poſſideant. Horrendum eſt autem hujuſmodi bellum, ut Saluſtius ſub finē belli Jugurthini præclare oſtendit. Narrat enim illic, quod victo Jugurtha, Galli in Italiam tranſire voluerint: ac cum cæteris gentibus à populo Romano de imperio tantum fuiſſe dimicatum: cum Gallis de ſingulorum hominū ſalute pugnatū eſſe. In cæteris enim bellis victori ſufficit eos removiſſe aut ſuſtuliſſe, qui imperabant: in hiſce agitur de ſingulorum hominum ſalute. Nam quę gentes alienas pro-

vincias invadunt, veteres Colonos omnes expellere & interficere conantur, ut ipſæ eorum bonis fruantur. Hujuſmodi bella habuit populus Romanus terna. Primum à Gallis illatum eſt, qui urbem occuparunt, & Thuſcis jam ante Galliam Ciſalpinam ademerant. Id ex binis cauſis ortum teſtatur Livius. Nam fama ac dulcedine frugum, maximeque vini nova tum voluptate, captam eam gentem, Alpes tranſiiſſe agroſq; ab Hetruſcis ante cultos poſſediſſe. Deinde ut idipſum auderent, effeciſſe abundantē hominum multitudinem, quæ vix regi poſſe videretur. Quamobrem eorum Rex Ambigatus, exonerare regnum prægravatum turba hominum cupiens, Belloveſum ac Sigoveſum ſororis filios, miſſurum ſe in quas dii dediſſent auguriis ſedes oſtendit: quantum ipſi vellent numerum excirent, ne, quæ gens advenientes arcere poſſet. Tum Sigoveſo ſortibus dati Hercinii ſaltus, Belloveſo latior in Italiam via à diis data, qui ſuperatis Alpibus Imbrium agrum, haud procul à Ticino flumine, occupavit, univerſamque eam regionem, quæ ætate noſtra Longobardia appellatur. Atque inde ſucceſſu temporis ab iiſdem Gallis ortum eſt bellum Romanis primum. Alterum cum Gallis ejuſdem generis habuere Romani, poſt primum bellum Punicum, in eoque ducenta millia Gallorum, inter Piſas & Plombinum commiſſo prælio interfecerunt. Tertium intulerunt Germani ex Cimbria Cherſoneſo, qui Italiam ingreſſi,

greſſi, Populi Romani exercitus ſæpe fuderunt, ſed à Mario tandem victi, deletiq; fuere. Quo loco obſervare licet antiquam populi Romani virtutem, quæ tria hæc tam periculoſa bella confecit & hoſtes delevit. At poſtquam antiqua illa virtus abolita fuiſſet, non potuere eiuſmodi gentibus, quæ Italiam invaſerant, reſiſtere. Nam cum Vandali & Gothi adveniſſent, univerſum Occidentis Imperium occuparunt, nec quiſquam eis reſiſtere potuit. Cauſæ autem, quæ hujuſmodi gentes excitare ſolent, ut relictis ſedibus ſuis, alienas invadant, partim à fame partim à bello pendent, quibus in patria oppreſſi, diſcedere coguntur, ut novas ſedes quærant. Quod ſi igitur ingenti hominum numero ſuſcipiant hujuſmodi expeditiones: alienas regiones invadunt magno cum impetu, incolas priores expellunt & interficiunt: opes illorum diripiunt, novum regnum condunt, regioni, quam occuparunt, nomen novum imponunt, quemadmodum jam olim à Moſe, & poſtea ab iis populis factum novimus, qui Romanum imperium deſtruxerunt. Neque enim aliunde ſunt novæ illæ Italicarum regionum appellationes, quam ab iis populis inditæ, à quibus illa oppreſſa, ac devaſtata eſt, veluti hodierna die eſt Longobardia, quæ olim Gallia Ciſalpina vocabatur: Francia à Francis qui illam occuparunt, quæ prius Gallia Tranſalpina dicebatur, Schlavonia, quæ Illyria prius appellabatur: Vngaria, quæ prius erat Paunonia: Anglia,

glia, quæ fuit olim Britannia, & Moyſes Judæam appellavit illam Syriæ partem, quam cum populo Iſraelis occupavit: & multæ aliæ eodem modo, ut hæ, novis ſubinde nominibus inſignitæ fuerunt: quas recenſere omnes nimis laborioſum foret. Cæterum eorum populorum, qui bello è ſuis ſedibus pulſi, alienas regiones invadere coguntur, & earum incolas rurſus expellere, exemplum eſſe poſſunt Mauruſii Syriæ populi, nam cum hi de Hebræorum adventu certiores facti fuiſſent, nec exiſtimarent ſe eorum viribus reſiſtere poſſe: ſatius eſſe putarunt, relicta regione, ſe ſuasque res mobiles, quantas ſecum auferre poſſent conſervare, quam omnia periculo committere. Itaque relicta patria in Africam tranſierunt, & pulſis quibuſdam populis, ſedes ſuas illic poſuerunt. Nec caret admiratione, eos, qui patriam defendere non potuerunt, alienas regiones potuiſſe expugnare. Procopius in hiſtoria belli contra Vandalos à Beliſario in Africa geſti, ſcribit ſe in columnis quibuſdam legiſſe, iis locis quibus Mauruſii iſti conſederant, hæc verba: Nos Mauruſii ſumus, qui fugimus à facie Jeſu Latronis filii Nave. Videlicet ut appareret cauſa eorum ex patria diſceſſus. Cum igitur extremâ neceſſitate pulſi cogãtur hujuſmodi populi ſedes relinquere, horrendus eſt illorũ adventus: nec niſi ab excellenti virtute ſuſtinentur, ſi magnis viribus veniant. Sin exiguus ſit illorũ numerus, non tantam vim inferre poſſunt. Itaque

arte quadam tunc ſolent locum quempiam occupare, & contracto cum vicinis fœdere, illum conſervare: ut feciſſe legimus Æneam, Didonem, Maſſilienſes, & alios, qui vicinorum auxilio & amicitia ea, quæ occupaſſent loca conſervarunt. Qui populi autem è ſuis ſedibus maximo hominum numero egreſſi ſunt, fuere Syri, deſerta frigidaque ejus Regionis loca incolentes: qui cum aucti eſſent numero tantopere, ut victū non haberent, coacti ſunt ſæpe loca mutare. Intra quingentos annos non audivimus aliquem populum hoc modo migraſſe, videlicet quod illæ regiones unde diſcedere ſolent, vehementer ſint evacuatæ tunc, quando illorum adventu oppreſſum fuit Romanum imperium. Deinde excultæ ſunt nunc illæ Germaniæ magnæ & Angliæ regiones, ex quibus olim migrare ſolebant, ita ut commode illic habitari queat, nec opus ſit illinc migrare. Quibus accedit, quod qui in extrema Germania habitāt, Poloni, Cimbri & alii viri fortiſſimi perpetuas habent dimicationes cum Scythis ac Tartaris Barbariſſimis hominibus, eoſque prohibent ne tranſeant, & in Italiam venire queant, qua de re non immerito etiam gloriantur, quod niſi ipſi reſiſterent, ſæpe foret, ut Romana Eccleſia ab illis nationibus peteretur.

Caput IX.

Quibus ex cauſis potiſſimum ſoleant inter principes oriri bella?

PRIMA inter Sabinos & populum Romanum belli cauſa, eadem fuit, quæ alios etiam principes & magiſtratus irritare conſuevit, ſive illa caſu, ſive ex inſtituto pendeat ejus, qui bellum movere cupit. Samnitii belli cauſa fortuita fuit, neq; enim cõſtituerant Samnites cum Sidicinis bellum moviſſent, etiam ad Campanos venire, & ex Campanis bellum Romam transferre, ut cum populo Romano, cum quo amicitia & ſocietas vetus intercedebat, dimicarent. Sed accidit præter expectationem cum Romanorum tum Samnitũm, ut Campanus populus à Samnitibus oppreſſus auxiliũ à Populo Romano peteret, & cum id adverſus Samnites veteri fœdere vinctos aliter impetrare non poſſet, ſeſe in populi Romani ditionem poteſtatemque dederet. Iniquum eſſe viſum eſt populo Romano tunc, Campanis ut ſociis auxilia ferre, eoſque adverſus Samnites vetuſtiori amicitia vinctos armis defendere: ſed poſtquã ſe dedidiſſent, turpe etiam videbatur, ſi deditios ſuos non defenderent, aut ſi occaſionem darent aliis, qui forte eodem modo, ſe eſſent in ipſorum poteſtatem dedituri, dubitandi de fide ipſorum. Id enim ei ſcopo magnopere repugnabat, qui pop. Romano à primo urbis initio propoſitus fuit, ad gloriam & Imperii magnitudi-

tudinem perveniendi. Eadem cauſa fere etiam primum bellum Punicum excitavit, quod adverſus Carthaginenſes Romani forte Meſſanenſes in Sicilia defendiſſent. Sed non fortuita fuit ſecunda eiuſdem belli occaſio: quod Annibal Carthaginenſium Imperator de induſtria Saguntinis populi Romani ſociis in Hiſpania bellum moviſſet: ut exciti ad illorum defenſionem Romani, occaſionem Pœno darent in Italiam trajiciendi. Eſtque uſitata admodum iſta ratio arripiendarum belli occaſionum. Nam ut fides non violata eſſe videatur, quæ certis pactis diu firma fuit, non bellum movent adverſus confœderatum ipſum, ſed ipſius amicum, aut clientem: certo fore ſperantes, ut ad ipſius defenſionem ſeſe accingens, ipſis quoque cum illo dimicandi occaſionem præbeat: aut ſi clientem & amicum non defenderit, manifeſte reprehendi queat perfidiæ, atq; hac quoque ratione, facilem ad oppugnandum ſe hoſtibus aditum exhibeat. Singulare autem eſt & præ cæteris illuſtre exemplum Campanorum, cum ad belli ſuſcipiendi occaſiones intuendas & conſiderandas, tum ad cognoſcenda arripiendaque extrema defenſionis remedia: ut cum manifeſte cernis, te hoſti in prædam ceſſurum, in alterius potentis principis poteſtatem te dedas, à quo defendi queas, ut Campani fecerunt. Quorum exemplum Florentini imitati, cum Caſtrucii Senenſis impetum ipſi ſuſtinere nequiviſſent, neq; eos ut amicos defendere vel-

let Robertus Neapolitanorum Rex : in ipſius ditionem ſeſe dediderunt, ut ab illo tanquam domino defenderentur.

Caput X.

Pecuniam non eſſe nervum belli.

Quia facile eſt cuique bellum movere: at non quiſq; conficere poteſt id, quod movit: idcirco decet, ut vires noſtras recta ratione metiamur, antequam expeditionem aliquam ſuſcipiamus. Sed opus eſt hic prudentia quadam, ne aut ſubditorum benevolentia, aut ſitus locorum, aut quæ hiſce ſimilia ſunt, id tibi perſuadeant, quod armorum tuorum robore efficere nequeas. Proſunt illa quidem omnia, ſi cum ſtrenuorum militum virtute conjuncta fuerint: at ſeorſim vires tuas parum augent. Sine ſtrenuorum militum virtute nil proſunt theſauri ingentes, nec ſitus regionis natura loci munitus: benevolentia ſubditorum non diutius durat, quam illos defendere potes. Omnes montes, omnia maria, omnia loca munitiſſima pervia fiunt, niſi viris fortibus defendantur, Pecuniæ magna vis, non modo nequit te ſola defendere, ſed majori periculo adhuc te exponet: falſaque eſt ea ſententia, quæ dicit, *Pecuniam eſſe nervum belli.* Pronuntiavit eam primo Q. Curtius, in bello Antipatri Macedonis, contra Regem Spartanorum, videlicet quod Spartani pecuniæ inopia dimicare coacti fuerint, eoque prælio fracti: quod ſi protrahere bellum

bellum potuiſſent, futurum erat, ut nuntiata paulo poſt Alexandri morte in Græcia, victoriam ſine ſanguine obtinuiſſent. Sed quia pecunia deerat, metuebantque Spartani ne miles difflueret, ob idque prælium committere coacti, ſuccubuerunt: idcirco dicit Pecuniam eſſe nervum belli. Quam ſententiam ætate noſtra omnes principes in ore habent: at non uti mihi quidem videtur ſapienter. Nam huic veluti fundamento innixi, exiſtimant theſauros ſufficere ad ſui defenſionem, nec animadvertunt, quod ſi theſauri ſufficerent ad hoſtes vincendos, Darius potuiſſet Alexandrum ſuperare: Romani à Græcis vinci: & noſtra memoria Helvetii à Carolo Burgundico ſuperari. Et ante paucos dies, Pontifex cum ſuis, tum Florentinorum viribus, non tanta difficultate apud Urbinum debellaſſet Franciſcum Mariam Julii II. Pontificis nepotem. Sed omnes ii, quos jam commemoravimus, ab iis victi ſunt, qui in fortitudine militum potius, quam pecunia præſidium poſuere. Crœſus Lydorum Rex Soloni Athenienſi monſtravit ingentem theſaurum, quæſivitque quid de tanta potentia ſentiret? Cui ille, bella geri & prælia committi ferro ſolere, non auro, reſpondit: ac fieri poſſe, ut is theſaurus ei ferro eriperetur. Poſt Alexandri Magni interitum, trajecit in Græciam Gallorum exercitus quidam, & ex Græcia poſtmodum etiam in Aſiam, tandem miſſis ad Macedoniæ Regem Legatis, cum illo de pace

agere

agere cœpit. Rex ut illos terreret, & potentiam ſuam demonſtraret, theſauros ſuos oſtendit: quos cum Galli conſpexiſſent, magno deſiderio eorum flagrantes nil amplius de pace agere voluerunt: & tandem eo ventum, ut per ea ipſa in quibus præſidium omne defenſionis ponebat, victus iiſque ſpoliatus fuerit. Et Veneti, ante paucos annos, cum ingentes theſauros cumulaſſent, ſtatim univerſam ditionem perdiderunt, nil adjuvante vel auro vel argento. Contra communem ergo vulgi opinionem pronuntio: nõ pecuniam ſed militum virtutem eſſe nervum belli. Neque aurum ſufficere ad ſtrenuos milites comparandos: ſed per hos aurum & argentum comparari poſſe. Quod ſi populus Romanus non ferro magis, quam auro bellum geſſiſſet: tam magna ac difficilia bella, ne univerſis quidem mundi theſauris cõfeciſſet. Sed cum ferro non auro dimicaret, ne auro quidem caruit: quod illud in caſtra uſque afferretur ab iis, qui Romanorum arma metuerent. Quod ſi Spartanorum rex, ob deficientẽ pecuniam fortunæ periculũ ſubire & infœliciter pugnare coactus fuit: acciderũt illi ob pecuniæ defectum, quæ ex aliis etiam cauſis contingere potuiſſent cum illi, tum aliis. Sæpe enim accidit, ut deficiente commeatu, aut pugnandum ſit, aut fame moriendum: & ſolent in hujuſmodi caſibus prudentes Imperatores, in eam partem inclinare, quæ honeſtior eſt, & ubi aliquantũm ſpei vel in fortuna ipſa poſitũ eſſe

queat

queat. Accidit nonnunquam: ut cum Imperator intelligit, hoſtibus ſuppetias allatas iri, deliberet, ſatius ne ſit, jam fortunam pugnando experiri, quam ſi auctus viribus hoſtis fuerit, majus periculum expectare. Contingit aliquando etiam, uti Aſdrubali in Picœno, contra Claudium Neronem & alterum Conſulem Romanum bellum gerenti, ut aut fugiendum ſit aut dimicandum: & tutius in hoc quoque caſu exiſtimat, cum periculo pugnam ſubire quam fugiendo omnia certo perdere. Quæ cum ita ſint, multas eſſe videmus cauſas, quæ Imperatorem incommodam pugnam ſubire cogunt, inter quas ſi quando pecuniæ defectus reperitur, nō eſt quod propterea exiſtimemus, Pecuniam eſſe nervum belli, magis quam reliquas res, quibus idem efficitur. Non eſt igitur pecunia nervus belli, ſed ſtrenuorum militum virtus. Requiruntur quidem ad bellum pecuniæ, ſed non ut primum inſtrumentum: eſtque earum indigentia talis, quam ſtrenui milites ſæpe vicerunt: nec ſolent niſi raro, deeſſe ſtrenuis militibus pecuniæ, quod ipſi eas ſponte inveniant & comparent. Hæc ita ſe habere, teſtantur mille in locis hiſtoriæ. Pericles Athenienſibus ſuaſerat, ut cum univerſa Pelopōneſo bellum gererent, idque ipſos induſtria ſua potius, quam aut viribus aut pecunia conficere poſſe. Quam expeditionem ii ſuſcipientes, induſtria illa ſua aliquandiu proſpere rem geſſerunt: ſed tandem apparuit, plus valere Sparta-

norum militum virtutem, quam induſtriam aut pecuniam Athenienſium. T. Livius nobis hanc quæſtionem pulcherrime omnium decidit, in ea ducum comparatione, qua ſciſcitatur, ſi cum Alexandro Magno bellatum foret, qui eventus Romanis rebus futurus fuerit? Plurimum, inquit, in bello pollere videntur militum copia & virtus: ingenia Imperatorum: fortuna per omnia humana, & maxime in res bellicas potens. Utrum igitur in horum ſingulis Populus Romanus, an Alexander plus potuerit, conſiderat: & ex ea conſideratione propoſitã quæſtionem ſolvit: Pecuniæ ne mentionem quidem ullam facit. Credibile autem eſt Populum Campanum, de quo priori capite diximus, cũ Sidicinis adverſus Samnites ſuppetias ferret, vires ſuas pecuniæ multitudine potius: quam militum virtute metitum eſſe: ſed eidem accidit, ut re duplici prælio male geſta, ſeſe in Populi Romani ditionem poteſtatemque reddere cogeretur.

Caput XI.

Non fieri prudenter ab iis, qui fœdus ineunt cum principibus quorum potentia minor ſit, quam eſſe putetur.

Erraꝛunt Sidicini vehementer, quod adverſus Samnites Campanorum auxilium imploraſſent: qui ob domeſticum luxum imbelles eſſent, & ad illos juvandos inepti. Vehementior adhuc fuit error Campanorum, qui imbel-

imbelles ſe eſſe non intelligerent, & putarent ſe Sidicinos defendere poſſe. Utrumque errorem Livius his verbis exprimit. Campani magis nomen in auxilium Sidicinorum, quam vires ad præſidium attulerunt. Nos vero hoc loco fœderum ineundorum rationem obſervare debemus: nam quæ amicitiæ contrahuntur feriunturque fœdera cum iis principibus: qui aut ob locorum diſtantiam, aut exiguas vires, aut alias hujuſmodi cauſas, ſuccurrere nequeunt, plus habent exiſtimationis & nominis, quam præſidii. Idque reipſa comperti ſunt etiam Florentini noſtri, Anno Salutis 1489. cum eos Pontifex & Rex Neapolitanus invaderent. Nam etſi eſſent tunc Galliæ Regi confœderati: tamen ex ea amicitia plus nominis quam virium præſidiique habuerunt. Idem contingere queat aliis quoque Italiæ principibus, ſi vel cũ Maximiliano Imperatore, vel aliis Monarchis procul hinc diſtantibus amicitias contraxerint: nam omnes hæ, neceſſitate urgente, perinde ut Campani Sidicinis, plus nominis quam virium præſidiique afferre ſolent. Quemadmodum igitur erraſſe novimus Campanos, quod cum ne ſeipſos quidem defendere poſſent, non dubitabant tamẽ Sidicinorum tutelam defenſionemque ſuſcipere: ita etiam eos omnes errare exiſtimandum eſt, qui Campanorum exẽplum imitantur. Hujuſmodi fuerunt etiam Tarentini, qui auſi ſunt ſe interponere inter Samnites & Romanos, ut pacem inter utrumque

populum conſervarent. Nam cum oppugnaret Samnites magno exercitu Populus Romanus: miſere Tarentini Legatos ad Conſulem qui Senatus Tarentini nomine indicarent: Tarentinos velle pacem habere inter Samnitium & Romanum populum & arma adverſus illum ſumpturos, qui primus pacem violaſſet. Sed ad ea Conſul re potius, quam verbis reſpondens, juſſit claſſicum ſonare, ut & præſentibus legatis prælium iniretur & oſtenderetur quo loco habenda eſſent Tarentinorum poſtulata.

Caput XII.

Cum metuis ne bello petaris: ſatius ne ſit prævenire, ita, ut tu prius hoſtem adoriaris, quam ille te?

SUPERIORI capite diſputatum eſt de iis quæ recte aut ſiniſtre fiant in ſuſcipienda amicorum ac ſociorum defenſione: nunc diſſeremus de modo, quem in defendendis nobis ipſis uſurpare conveniat. Ea de re ego perſæpe viros rei militaris peritiſſimos, diſſerentes audivi: eratque totius diſputationis caput hoc: Si bini ſint principes viribus æquales, quorum unus alteri bellum indixerit: Utrum ſatius ſit ei, cui bellum indictum eſt, hoſtem domi expectare, an ipſius fines ingredi, & veluti præveniendo prius illum domi ſuæ adoriri? Argumenta ſunt in utramque partem. Et illi, qui exiſtimant ſatius eſſe prævenire, & hoſtium fines ingredi quam

quam domi illos expectare, Crœſi conſilium adducunt, Cyro Regi Perſarum datum, cum Maſſagetarum, gentem invaderet. Nam cum Thamyris Maſſagetarum regina, audito Cyri adventu, ei ſignificaret, optionem ſe illi dare, mallet ne in regnum ſuum ingredi, an ſe foris expectare; Si enim venire mallet, paratam ſe eſſe domi ejus impetum ſuſtinere: ſi non veniret, ſe prodituram illi obviam. Qua de re cum in Cyri caſtris diſputaretur, ſuaſit Crœſus contra aliorum ſententiam, ipſam Reginam invadendam. Nam ſi illa procul à ſuo regno vinceretur: poſſe nihilominus regnum ipſi conſervari, & exercitus novos comparari. At ſi intra regni ſui fines id fieret: neque fugæ neque novarum copiarum ullam ſupereſſe rationem, atque ita regnum exui poſſe. In eandem ſententiam ajunt Annibalem Antiocho ſuaſiſſe, ſi populum Romanum ſubigere vellet, bellum in Italiā transferret: neque enim aliter eum vinci poſſe quam erepta Italia, in qua novorum præſidiorum penum quendam haberet perpetuum, quamdiu extra Italiam eſſet ac bella gereret. Oportere igitur primo omnium Romam invadere, deinde Italiam, poſtmodum ad reliquas eorū provincias veniendum. Agathoclem etiam, cum Carthaginēſium impetum domi ſuſtinere non potuiſſet; bellum in ipſorum fines tranſtuliſſe, & illos ad petendam pacem compuliſſe, Scipionem eadem prudentia mi itari, bellum ex Italia in Africam tranſtuliſſe. Sed qui contra-

riam ſententiam tuentur, ajunt nõ poſſe commodius labefactari exercitus vires, quam ſi procul à patria abducatur, idque vel Athenienſium exemplo notum eſſe poſſe, qui, quamdiu domi hoſtes expectarunt, ſemper vicerunt: at poſtquam procul à patria bellum gerere cœpiſſent, & exercitus in Siciliam transferre, & libertatem & cætera omnia amiſerunt. Huc pertinere etiam Antæi Libyci Regis fabulam. Antæum enim ab Hercule Ægyptio petitum, tandiu fuiſſe ſuperiorem: quamdiu ejus impetus domi ſuſtineret: at poſtquam Herculis aſtutia extra regni fines prodiiſſet, ſuccubuit: vitamq; cum regno amiſit. Id enim ſibi velle, quod Poetæ de eo fabulantur: quod cum eſſet Terræ filius, quamdiu terræ hæreret, amiſſas vires inter dimicandum ex matre reſumeret: ſed cum ab Hercule in altum projectus fuiſſet, ne matrem contingeret: victum eſſe. Exempla præterea rerum, quæ patrum noſtrorum noſtraque etiam memoria geſtæ ſunt, idem arguere. Novimus omnes, quanta fuerit Ferrandi Neapolitani Regis prudentia, cum in bello, tum in pace. At idem cum biennio ante obitum cognoviſſet Carolum VIII. Galliæ Regem adventare, & multos apparatus feciſſet: in morbum incidens, ante obitum Alfonſo filio, qui in regnum ſucceſſit, in mandatis dedit, ut hoſtem intra regni fines expectaret cum omnibus ſuis viribus, nec uſquam prodiret cum ullis copiis. Sed ab Alfonſo poſtea cum non eſſet obſerva-

ſervatum patris præceptum, ut qui in Inſubriam exercitum hoſti obviam præmiſiſſet: accidit ut univerſum regnum ſub eo & abſque ulla dimicatione amiſerit. Præter hæc, quæ utrinque adducuntur argumenta; objici ſolet hoc etiam, quod qui hoſtem invadit audacior fortiorque eſſe ſolet, quam qui eum expectat domi: quo fit ut qui exercitus in eum finem producitur, majores vires habeat. His accedit, quod is qui hoſtis ſui agrum invadit, multis eum incommodis afficiat, quæ ipſi non evenirent, ſi illum domi expectaret. Nam cum agri devaſtantur, bona ſubditorum diripiuntur: nec eorum opera tuto uti queas, nec tributum indicere abſq; magna difficultate poſſis: atque ita exiccatur fons ille, ut Annibal dicebat: unde belli præſidia manant. Præterea, ſi tuos milites in alia regione habueris: magis urgebuntur pugnandi neceſſitate, & proinde fortiores audacioreſque eſſe cogentur. Sed hiſce rurſus reſponderi ſolet: hoſtem commodius domi expectari poſſe, quam ubi ſit inveſtigari: cum & commeatu & omnibus rebus neceſſariis iſthic te poſſis ſine periculo munire. Præterea, cum ſitus locorum peritiam habeas: ejus conſilia facile impedire & impedimenta ſuis locis objicere licet. Deinde cum omnibus viribus tuis, ſimul & ſemel illi progredi obviam, & cum illo pugnare: quod certe extra fines tuos facere nunquam licebit. In prælio etiam, ſi res minus proſpere gereretur: plures ſibi fu-

bi fuga conſulere poſſent, atque inde facilius eſſet vires reſtaurare, quam ſi omnes aut plurimi periiſſent: utq; res omnis ſummatim comprehendatur. Si domi hoſtem expectes, ita cum eo poteris dimicare: ut etſi omnes vires tuas ſimul in periculum adducas, non tamen periculo fortunæ omnia tua committas: cum ex infœlici quoque pugna, quamplurimi conſervari queant in patria. At ſi foris pugnandum ſit, non licebit id facere omnibus viribus, quamvis fortunæ periculo ſimul omnia tua commiſeris. Ego vero, his omnibus diligenter conſideratis, non puto eandem eſſe rationem ubique, hoſtem aut domi expectandi: aut foras ei obviam progrediendi. Sunt enim quædam regiones munitiſſimæ, cum natura locorum tum robore virorum, & urbium: quemadmodum erat olim Italia, & Roma præſertim, ætate noſtra autem Helvetiorum & omnium cæterorum, qui eodem fœdere continentur ditio. Quædam econtra, nec locorum natura nec robore vallorum ac multo minus virorum fortiſſimorum copia munitæ ſunt: cujuſmodi erat olim Carthaginenſium regio, & noſtra ætate Italia & Gallia fere univerſa. Quod ſi igitur regio tua talis ſit, ut neque virtuti ſubditorum neque locorum munitionibus confidere auſis; ſed neceſſe ſit belli fundamentum ex pecunia deſumi, quæ ex indictis tributis colligitur: procul à patria arcere hoſtem oportet: alias enim omnem conficiendæ pecuniæ modum amittes, & ſta-

& ſtatim opprimeris. Exemplo ſint Carthaginenſes, qui ex redditibus, indictisque tributis ſufficientes ſumptus colligebant, ut extra patriam bellum cum Romanis gerere poſſent. At cum bellum domi haberent, ne Agathoclem quidem ſuſtinere potuerunt. Florentini noſtri, cum domi bellum illis faceret Caſtrucius Lucenſis, non potuere illius impetum ſuſtinere, ſed in clientelam ac deditionem Roberti Neapolitani regis ſubmittere ſeſe coacti ſunt, ut adverſus illum defenderentur. At Caſtrucio vita functo, auſi fuerunt iidem, Mediolanenſium duci bellum movere, & de eripiendo illius imperio agere: uſque adeo ſcilicet in domeſticis bellis abjecti fuerunt: & in longinquis virorum fortium ſpecimina ediderunt. At ſi quæ regiones aut urbes munitiſſimæ fuerint, ut olim Roma erat, & ætate noſtra Confœderatorum regio: tunc tanto difficilius vincuntur eorum incolæ, quanto fuerint patriæ propinquiores: quod hoc modo vires conjungere, & vel maximos impetus ſuſtinere queant: quos certe extra patriam hoſtes invadendo, illis inferre non poſſent. Nec me movet hic Annibalis autoritas, qui Antiocho ſuadebat, ut Italiam primum invaderet. Id enim utilitatis ſuæ ſuorumque Carthaginenſium cauſa potius dicebat, quã quod Antiocho id utile futurum eſſet, nam ſi populus Romanus ternas illas clades, quas ab Annibale accepit in Italia, eodem temporis ſpatio extra Italiam accepiſſet, ſive in

Gallia, ſive alibi: periiſſet eorum res univerſa. Neque enim potuiſſet cæſi exercitus reliquias colligere: vires reſtaurare, & ad bellum denuo ſe præparare, & tantis rurſus viribus ſe hoſti opponere. Non exiſtimo extare exemplum exercitus pop. Romani, ad occupandam provinciam extra Italiam miſſi, cujus numerus quinquaginta hominum millia excederet: ſed ad defendendam patriam armarunt in Italia contra Gallos 118000. Neque eodem tanto ac tam magno exercitu, eum hoſtem quem in Hetruria vicerunt, in Gallia Ciſalpina vincere potuiſſent, quod tantæ vires procul à patria educi nequeant. Cimbri copias Romanorum in Germania ſuperarunt: ſed poſtquam in Italiam veniſſent, rurſus cæſi deletique fuerunt: quod iis magnis copiis in patria ſe poſſent Romani opponere. Helvetios extra patriam vincere queas: quod nequeant plus, quam triginta aut quadraginta hominum millia producere. Domi invicti ſunt quod iſthic centum millia armare queant. Itaque cum res ita ſe habeant, de propoſita quæſtione ſic pronuntio, ut cenſeam eum Principem, qui fortibus viris abundat, & regionem munitam habet: ſapienter facere, ſi in difficili & periculoſo bello hoſtem domi expectet non ei obviam progrediatur. Quod ſi & regio minus munita ſit, & homines inermes & belli inſueti: tutiſſimum eſt, ut hoſtem à tuis finibus arcendo te defende.

xx concris.

CAPUT XIII.

Ex tenui fortuna, ad magnum faſtigium evehi homines ſolere, fraude magis, quam per vim.

VERUM eſſe comperio, quod aut nunquam aut certe rariſſime ſoleant homines, ex humili fortuna, ad altum faſtigium conſcendere, abſque vi aut fraude: dummodo non vel jure hæreditario, vel donatione aliqua partum imperium fuerit. Et vim ſolam ad id ſufficere, vix comperies: fraudem ſolam plurimum profuiſſe deprehendes, ſi vel Philippi Macedonis, vel Agathoclis Siculi vitam inſpexeris: pręterea aliorum multorum, qui ex humili loco, ad magnum imperium aſcenderũt. Hanc fraudis neceſſitatem explicat Xenophon in vita Cyri, & in prima præſertim ejus expeditione, quam adverſus Armeniæ Regem ſuſcepit, fraude & dolo plenam: qua ratione potius, quam viribus, ei regnũ extorſit: ex quibus omnibus, id mihi ſignificare videtur Xenophon, quod neceſſaria ſit ars quædam decipiendi, ſi altum faſtigium aſcendere, & inſignes aliquos progreſſus efficere velis: neque etiam Cyrũ ad tantam imperii magnitudinem potuiſſe pervenire, niſi per hoc decipiendi artificium, quo & alios & Medorum Regem Avunculũ ſuum imprimis fefellit Non exiſtimo etiam fuiſſe quenquam, qui per ſolam ingenuamque vim, ex humili loco ad magnum imperium pervenerit:

ſed ſola fraude, eripuit Ioannes Galeatius Mediolanenſe Imperium Bernardo Patruo ſuo. Quemadmodum autem fraude uti videmus viros principes, in imperiorum ſuorum initiis confirmandis. Ita faciunt etiam Reſpublic. & quidem neceſſitate ipſa cogente: donec res ſuas tantopere confirmarint, ut apertam ingenuamque vim inferre queant. Romæ habita ratio eſt omnium eorum, quæ poſſent ad Imperii magnitudinem comparandam ſpectare: ſive id fortuito, ſive ex civili quadam prudentia ei urbi contigerit. Itaque neque hæc decipiendi ars à populo Romano neglecta fuit. An non enim inſigni dolo conſtabat ea acquirendi imperii ratio, quam uſurparunt, & de qua c.4. hujus libri docuimus; Nam quos æquo fœdere in ſocietatem admiſiſſent, eos ſenſim ſub imperium ſuum redigebant, iis id non advertentibus, donec ſervitute plane oppreſſi eſſent. Hujuſmodi fuerunt Latini & alii vicini populi, quorum armis & auxilio pop. Romanus hoſtes ſuos ſubegit, qui circum habitarent: quibus ſubactis, aucta eſt Romanorum potentia tantopere, ut ſocios jam non, ut confœderatos, ſed ut dedititios tractarent. Neq; animadvertere potuere Latini, ſe falſo ſocietatis nomine, ſenſim in populi Romani ditionem redigi: donec vidiſſent Samnites duplici prælio cæſos ad pacem petendam coactos eſſe: quæ victoria ut inſignis fuit, ita etiam populi Romani gloriam apud exteros Reges & principes vehemen-

menter auxit,&illuſtravit. Ex ea re Latini cęteriq; ſocii invidia, ac metu etiam eius, quod ipſis impendere cernebant, commoti una cum quibuſdam Coloniis Latinis & Campanis etiam qui non longe prius in Romanorum ditionem ſe dediderant conjurarunt, & bellum Populo Romano inferre decreverunt. Id vero movere conjurati ſecundum artes illas, quas cap 9. explicavi: neq; enim bellum directe indixerunt: ſed Sidicinis adverſus Samnites auxilia tulerunt, cum quibus illi permiſſu & voluntate populi Romani bellum gerebant. Neq; vero ulla alia de cauſa tunc adverſus Romanos conjurarunt ſocii illi, quam quod inciperent jam dolũ ſubolfacere, & intelligere, ſe paulatim, falſo ſocietatis nomine, in ſervitutem redigi. Quod quidem Annius Setinus prætor Latinus habita ad ſuos oratione, his verbis præclare expreſſit. *Livius lib. 8.* Nam ſi etiam nunc ſub umbra fœderis æqui, ſervitutẽ pati poſſumus: quid obeſt quin proditis Sidicinis, non Romanorum ſolum, ſed Samnitium quoq; dicto pareamus? Quæ cum ita ſe habeant, manifeſte cernimus populum Romanum in primis Imperii incrementis, eadem fraude uſum eſſe, quam neceſſariam eſſe putamus omnibus, quicunq; ex parvis initiis creſcere, & ad magnum quoddã faſtigium conſcendere conantur: quæ tanto minus turpis eſt, quanto quis magis illam poterit occultare, & honeſto aliquo prætextu tegere.

M 7 Ca-

CAPUT XIIII.

Multi decipiuntur, dum ſub quadam humilitatis umbra, ſuperbiam evitare conantur.

SÆPE fit, ut modeſtia atque humilitas, non modo nil profit, ſi tibi agendum ſit cum inſolentibus hominibus, & qui te invidia atq; odio proſequantur, verum etiam noceat plurimum. Cui rei argumento eſſe poteſt eadē conſultatio Romanorum, de conſervandis in pace Latinis, à quibus bellum illatum iri ſibi metuebant. Nam cum quererentur Samnites in Senatu, ſe à Latinis bello peti: Senatus ne ipſos jam ſua ſponte ad bellum commotos, magis irritaret, & ab ſe alienaret: reſpondet in fœdere Latino nil eſſe, quo bellare, cum quibus ipſi velint, prohibeantur. Ex quo reſponſo Latini non modo reconciliati non ſunt, ſed ferociores facti: ut per ſpeciem belli adverſus Samnites parandi, crebris conſultationibus bellum Romanum meditarentur, & paulo poſt manifeſte ſe hoſtes eſſe profiterentur. In quam ſententiam idem Annius prætor apud ipſos ſic loquutus eſt: Tentaſtis patientiam Populi Romani, negando militem. Quis dubitat exarſiſſe eos? Pertulerunt tamen tunc dolorem. Exercitus nos parare adverſus Samnites fœderatos ſuos audierunt, nec moverunt ſe ab urbe. Unde hæc tanta modeſtia, niſi ex conſcientia virium & noſtrarum & ſuarum? Hæc Livius.

Ut

Ut hinc manifeſte cernere poſſis, ea populi Romani modeſtia & patientia, auctam fuiſſe Latinorum arrogantiam. Quamobrem rationem honoris & dignitatis ſuæ debent habere principes omnes, nec facile quicquam adverſario permittere, ex quo inſimulari queas abjecti animi, atque timidi. Satius eſt etiam bello aperto aliquid amittere, quam ut metu belli id condonaſſe videaris. Nam perſæpe accidit ut multa condonantes avertendi belli cauſa, id potius adverſus nos excitemus, quam arceamus, ob malitiam adverſariorum videlicet, qui ubi intellexerunt te meticuloſum abjectumque eſſe, ſubinde alia atque alia poſtulabunt. Quibus accedit quod neque amici quidem prompti erunt ad te juvandum, ubi te tam timidum eſſe cognoverint. At ſi cognita adverſarii tui iniqua petitione, ſtatim te ad defenſionem præparare coneris: non ita audacter te invadet: quanvis potentior ſit quam tu: promptioreſq; amicos, atque defenſores ſemper habebis. Et quidem ita intelligi debent, ſi quidem unicum hoſtem habeas qui à te poſtulet quippiam: ſi plures fuerint, qui te invadere volent, prudentiſſime facies, ſi multa condonando & promittendo, ex eorum ſocietate aliquem disjungere, & abſtrahere coneris.

CAPUT XV.

Reſpublicas infirmas, & principes minus potentes dubios eſſe ſolere in captandis conſiliis: tardas autem conſultationes eſſe minime ſalutares.

EX iiſdem hiſce, belli inter Populum Romanum & Latinos orti, principiis & conſultationibus, obſervare debemus, cum de reb. dubiis diſſerimus: tutiſſimum eſſe, ſi ſtatim de ea ipſa agatur, in qua totius cõtroverſiæ cardo vertitur: nec ſuſpenſa tenere ſuffragia oportere, ſed decernere quid faciendum ſit citiſſime. Cui rei documento eſſe poteſt, eorundem Latinorum conſilium, tunc temporis captum, cum de ſuſcipiendo adverſus Romanos bello ageretur. Nam cum Romani de ſociorum defectione ſubinde magis magiſque ſuſpicarentur, eo quod adverſus Samnites fœderatos ſuos bellũ gererent: tamen tanquam de Samnitibus, non de ſe curam agerent, decem principes Latinorum Romã evocaverunt, ut cum iis agerent de pace cõſervanda, ut ſi quę ratio eſſet, illos abſq; armis in amicitia retineret. Latini haud dubii ſuper qua re evocarentur, concilio habito, quid actum iri ſecum credant, quid ad ea reſponderi placeat, referunt, & cum alii aliud cenſerent: tum Annius eorum prætor inter cætera hæc dixit: Ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror, ut cogitetis magis quid agendum nobis, quam quid dicendum? facile erit:

Livius lib. 8.

erit explicatis conſiliis accommodare rebus verba. Hæc vera eſt conſultandi ratio, ut ad ſumma rerum capita ſpectemus & de iis ſtatim decernamus, & propoſita eſſe deberet hæc Annii ſententia, omnibus qui magnas res tractāt. Neq; enim convenit diſputare de verbis, quibus agendum ſit & adverſariis reſpondendum. Sed quid facere velis aut debeas, hoc conſtituere oportet: quo facto non poſſunt verba deeſſe. Exiſtimavi autem hæc Annii verba huc tranſferenda, propter tot errores, quos commiſſos eſſe novi, ob Conſilii ambiguitatem & ſuſpenſa nimis diu de rebus judicia, non ſine magno damno, cum aliarum, tum noſtræ imprimis Florentinorum Reipublicæ. Eſt enim iſtud peculiare vitium cum Rerumpu. tum principum omnium, quicunq; parum prudentia, viribus, conſilioq; valent, ut in conſultando nimis tardi eſſe ſoleant: quæ res tunc imprimis periculoſa eſt, quando agitur de ſuppetiis ferendis aut denegandis iis, qui aut ut amici aut ut hoſtes tractandi ſunt. Sive ſuſpendātur hujuſmodi rerum deliberationes inopia conſilii & virium: ſive odio eorum, quibus auxilia decernenda ſint. Et qui boni patriæ cives eſſe volent: neq; eas deliberationes debent impedire, quibus videant auxilia decerni iis, quos odio privato proſequantur: ſemper enim publica privatis anteponenda. Cum interfecto Hieronymo Syracuſanorum tyranno, bellum eſſet inter Carthaginenſes & Populum Romanum: diver-

diverſæ erant Syracuſanorum factiones: quod alii in Romanorum amicitia permanere, alii ſe Carthaginenſibus adjungere vellent: jamq; civitas diverſis ſtudiis diviſa, nil certi decernebat. Sed Apollonides principum Syracuſanorum unus, oſtendit illam conſilii ambiguitatẽ perniciẽ civitati accelerare: ſive igitur ad Romanos, ſive ad Carthaginẽſes inclinent omnes, gratum fortunatumque fore: ſin alius alio trahat res, nec certi quicquam conſtituant, bellum, quod inter Pœnos, & Romanos eſſet, ad Syracuſanos rediturum, & oppreſſam iri civitatem. Idem periculum, quod ex ambiguitate conſilii Syracuſanis impendiſſe Livius hoc exemplo oſtendit: etiam quibuſdam Latinorum ſociis Laviniis præſertim accidit. Nam cum Latini in bello adverſus Romanos, auxilia ab iis petiiſſent: Lavinii tandiu deliberarunt, ut non prius decernerent auxilia, quam Latini cæderenur. Itaque cum jam extra portas Milonius eorum prætor cum auxiliario milite proficiſceretur: ac nuntiaretur Latinos jam cæſos eſſe: reſpondit exiguum illud itineris quod cõfeciſſent, ut ſociis ſuppetias ferrent, à populo Romano magno pretio redimendum fore: Quæ quidem illis accidebant ob nimis diu ſuſpenſam deliberationem: nam ſive auxilia illis ſuppeditare, ſive denegare vellent: cito decernere oportebat: atque ita ſi negaſſent, populũ Romanum non offendiſſent: ſi decreviſſent, adjumento eſſe potuiſſent, ne cæderentur, diſſe-

differendo periculum evitare non potuerunt, quicunque tandem eſſet rerum eventus. Hoc præceptum, cito de rebus hujuſmodi decernendi, ſi ſequuti eſſent Florentini noſtri: nunquam tot clades accepiſſent, ex Ludovici duodecimi Galliæ regis adventu. Nam cum is adverſus Ludovicum Mediolani ducem expeditionem ſuſcepiſſet: cum eorum oratoribus egit, ne ipſi huic bello ſeſe immiſcerēt: ita enim velle ſe eos in clientelam ſuſcipere, & à periculis defendere. Hæc pacta regis cum oratoribus ſuis, Florentini menſis unius ſpatio aut approbare rataque jubere, aut iis renuntiare debebant. Sed illi, ob quorundam in Ludovicum ſtudia, tandiu ſuſpenderunt judicium ſuper illa re, donec Rex victoriam prope jam comparaſſet: Et cum pacta illa tunc approbare vellent, & à rege ſibi confirmari ea cuperent: Rex qui intelligeret illos neceſſitate compulſos, in ejus amicitiam venire pacta rejecit, & Florentinos ingenti pecunia mulctavit: idque non ſemel tantum, ſed aliquoties iis accidit. Tanto deterior autem fuit illa conſilii ambiguitas, quod dum ſuſpenderent judicium, neque Ludovico duci Mediolanenſi ſuppetias ferre potuerunt, quas, ſi forte eorum auxilio viciſſet, longe melius quam Rex remuneraturus fuiſſet. De hac tarditate & ambiguitate conſilii, primo quoque libro hujus operis diſputavimus, capite 38. ſed cum ſe hic rurſus illius occaſio offerret: repetere non piguit id, quod in omni Repub. obſervatione digniſſimum eſt.

Caput XVI.

Quanta ſit diverſitas militum noſtri temporis, ab illis qui olim militabant.

ID prælium quod Populus Romanus cum Latinis commiſit, T. Manlio Torquato & Decio Coſſ. maximum atq; difficillimum fuit omnium eorum, quæ ullo in bello commiſſa fuerint. Nam ita ſe res tunc habebant, ut ſicuti Latinis ex eo ſervitus, Romanis dominiũ comparatum eſt: ita ſi Romani non viciſſent, ipſi ſervi facti, & Latini illorum comparaſſent imperium. Nobiſcum ſentit Livius, qui inquit, nihil apud Latinos ab Romana Repub. diſſonum fuiſſe: ſive militum virtutem, vincendi deſiderium, ſive modum etiam ſpectes inſtituendi aciem: ſolos duces feciſſe diſcrimen. quod in caſtris Romanorum præſtantiores fuerint. Ita, ut inter omnes Latinos Romanoſq; qui ejus pugnæ memoriam poſteris tradiderunt, facile convenerit: utrius partis T. Manlius dux fuiſſet, ejus futuram haud dubie fuiſſe victoriam. Id vero pugna ſupra modum memorabile fuit, ex binis Conſulibus, alterum conſervandæ militaris diſciplinæ cauſa, filium, quod extra ordinem pugnaſſet, ſecuri percuſſiſſe, quanvis de hoſte victoriam obtinuiſſet. Alterum ſe pro populo Romano devoviſſe & in voluntariam mortem tradidiſſe. Nam bellandum erat adverſus Latinos, qui, ut Livius inquit, lingua, moribus, armorum genere, & inſtitutis militari-

Livius lib. 8.

taribus ipſis congruebant. Milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis, compares collegæq; iiſdem præſidiis, ſæpeque iiſdem manipulis comm xti erant. Quæ cum ita ſeſe haberent, & in cæteris omnibus convenirent: neceſſe erat aliud quippiam eſſe, quo animi militum ferociores, pertinaceſq; magis fierent ad vincendum hoſtem, ex qua ſola ſive conſtantia, ſive pertinacia poſſet victoria comparari. Nam quandiu illa dimicantium pectoribus ineſt: nunquam de fuga cogitant: ſed ad victoriam ante oculos obverſantem contendunt. Ut autem tunc firmius Romanorum quam Latinorum pectoribus inhæſerit, effecit partim fortuna, partim virtus Conſulum: quæ tanta fuit, ut ex iis Manlius conſervandæ diſciplinæ militaris cauſa, filium morti tradiderit. Decius pro populo Romano ſemetipſum devoverit: tantus ſcilicet erat ardor ille comparandæ victoriæ. Eodem pertinebant ſtudia rerum bene adminiſtrandarum: & ordo præſertim ad inſtituendam aciem obſervatus, in utroque exercitu ſimilis: de quo non ab re fuerit diſputare, & quid in ea, à noſtris hominibus peccetur, inquirere. Quantum igitur ex Livio colligere licet, hic erat inſtruendi aciem modus. Univerſus exercitus in tres ordines dividebatur: primus in fronte erat ex pubeſcentium juvenum flore conſtitutus, qui certis manipulis diviſi, & intervallis diſtantes, haſtas gerebant, & ex eo haſtati appellabantur. Alter

Acies ut à Romanis inſtrui ſoleret.

ter deinde ordo totidem continebat ut prior, & in totidem manipulos diviſus erat, qui juſtis, ſed majoribus quam primi intervallis diſtabant, qui ex robuſtiori ætate, & robore virorum conſtituti, vocabantur principes. Tertius ordo omnium maximus, totidem fere habebat, quot ambo priores. Cujus maior pars conſtabat ex veteranis ſpectatę fidei militibus, qui Triarii dicebantur. Diſtabant hi quoque certis, ſed adhuc majoribus intervallis quam in prioribus binis ordinibus. Singulis quoque his tribus ordinibus certus equitum numerus addebatur, qui ad dextrum ſiniſtrumq; latus conſtitutus, alarum ſpeciem præbebat, ut ex eo nomen deductum ſit, unde Alæ equitum dicebantur Hi tres ordines directe ſe mutuo & præcedebant & ſequebantur: ſed qui in primo collocati erant Haſtati, anguſtioribus ſpatiis à ſe invicem diſtabant, ut primam pugnam ineuntes, hoſtem melius ſuſtinere poſſent. Qui eos à tergo ſequebantur principes, majoribus intervallis à ſe invicem aberant: ut ſi haſtati rem minus bene gererent, aut cedere cogerentur: in intervalla hujus ordinis recipi poſſent, acie integra & ordinibus nullo modo perturbatis. Maxima denique erant Triariorum, tertii ordinis intervalla, ut in ea recipi poſſent, cum haſtati, tum principes, ſi iis eſſet cedendum. Ubi his ordinibus exercitus inſtructus eſſet, haſtati omnium primi pugnam inibant. Si haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede

preſſo

preſſo eos retrocedētes, in intervalla ordinum Principes recipiebant: tum principum pugna erat, haſtati ſequebantur, & principum ordinibus permixti una cum ipſis dimicabant. Si apud principes quoque haud ſatis proſpere eſſet pugnatum: à prima acie ad Triarios ſenſim referebantur: unde rem ad Triarios rediiſſe, cum laboratur, provebio increbuit. Triarii conſurgentes, ubi in intervalla ordinum ſuorū Principes & haſtatos recepiſſent, extemplo compreſſis ordinibus velut claudebant vias, unoque continente agmine, nulla ſpe poſt relicta, in hoſtem incedebant. Id formidoloſiſſimum hoſtibus erat, cum velut victos inſequuti, novam repente aciem exurgentem, auctam numero cernebant. Hæc veterum Romanorum eſt inſtruendi ad pugnam exercitus ratio, quam plane negligunt noſtra ætate, ſicuti cætera quoque veterum inſtituta militaria. Plurimum autem intereſt, ut recte inſtruatur ad pugnandum acies. Nam cui dubium eſſe poteſt, quin longe melius ſit, eam ita eſſe inſtructam, ut terreſici vires exercitus queant, & toties fortunam experiri liceat, quam ut in primo conflictu omnia periclitentur? Quicunq; in prima velitatione univerſum exercitum fortunæ periculo committit (ut ætate noſtra in orbē Chriſtiano fieri cernimus) vehementer periclitatur: quod ex levi aliquo caſu aut perturbata acies, aut aliquid aliud interveniens, aut mediocris hoſtium impetus, amittendæ victoriæ occaſionem

ſionem præbere poteſt. Nec ulla alia ratio eſt, cur noſtris ducibus neceſſe ſit hoc periculum ſubire quam quod neglexerint veterum illum inſtruendæ aciei modum, ita inſtitutum, ut qui in prima acie dimicant, in intervalla ſe ſervatis ordinibus recipere queant eorum, qui loco poſteriori ſunt. Etenim qui ita inſtruit aciem, ut ſolent ætate noſtra, præter conſuetudinem veterum, facere: ei ex duobus his incommodis, alterum evenire neceſſum eſt. Vel enim in utrumque latus extendere oportebit plurimum ordinatorum militum ſeries: quod ſi acciderit, infirmior erit acies, cum à fronte uſque ad poſtremam aciem tanto minus ſpatii ſit, ordinato ad pugnam milite repleti, & ab hoſte facilius perfringi poteſt. Sin exercitum minus ad utrumq; latus extendas, firmiorem habebis aciem, cum denſius futurum ſit agmen, difficiliuſq; ab hoſte penetrari queat: ſed cum jam non ita conſtitutæ ſint ordinatorum militum ſeries, ut anteriores recipere ſe poſſint in intervalla poſteriorum: facile accidit, ut vel levi aliquo impetu pulſus primus ordo, ſecundum impellat, & ſecundus tertium, nec poſſint in ſubita ordinum perturbatione, qui poſteriori loco ſunt, progredi, & cum hoſte dimicare, ex qua ordinum perturbatione accidit, ut alii aliis implicati, ſe mutuo obruant. In prælio quod ad Ravennam commiſſum eſt, & in quo Foiſſeus Princeps Gallicarum copiarum ductor occubuit: ita ad pugnam inſtructi erant

cum

cum Gallici, tum Hiſpanici exercitus, ut (ſicuti temporum noſtrorum conſuetudo fert) non male eſſet in utrumque latus plurimum exporrecta acies, quod campi illic latiſſime paterent: idque in utroque exercitu, ob eam, quam jam commemoravimus, cauſam fiebat, ne retroducendo ordines perturbarentur. Sed cum locus anguſtior eſt, in id periculum ſemper incidunt, quod jam oſtendimus: nec quiſquam eſt qui cogitet de modo, quo huic malo remedium adhiberi queat. At tanto magis debebat cordi eſſe harum rerum conſideratio, quod eadem pericula quæ in conflictu oriri poſſe docuimus, in cōficiendis itineribus quoque & excurſionibus contingere ſoleant. In bello quod Florentini noſtri cum Piſanis, poſt Caroli Galliæ regis adventum, geſſerunt, ob ipſorum rebellionem, pugnatum eſt ad S. Regulum, & aliis in locis: victique fuere Florentini, quod equitatus noſter in prima acie conſtitutus poſtquā Piſanorum vim ſuſtinere non potuiſſet, & retrocedere cœpiſſet, peditum ordines, qui à tergo erant, perturbavit, fregit, & in fugam conjecit: ut Ciriacus Borgeus peditatus noſtri ductor conſtanter mihi confirmarit, copias noſtras pedeſtres non niſi à noſtris equitibus fractas eſſe. Helvetii id animadverterunt, uti cætera quoque præ cæteris diligenter obſervant, quæ ad diſciplinam militarem faciunt. Itaque ſi in Gallorum caſtris militant, ſemper ad alterutrum latus collocari volunt, ne ſi e-

quitibus cedendum ſit, ab iis perturbentur & ſrangantur.

Hæc facile intelliguntur, nec uſque adeo videntur eſſe difficilia: cum tamen ex noſtris ducibus nullus ſit, qui illa obſervare, antiquã conſuetudinem imitari, & errores noſtrorum hominum emendare conetur. Nam etſi univerſo exercitui præcurſores quoſdam præmittant, ſpeculandi cauſa, & quoſdam à tergo relinquant: id tamen, non niſi ad loca commoda capienda pro metandis caſtris conducit, ad dimicãdum cum univerſis viribus nil prodeſt. Non deſunt qui contendant tormentorum bellicorum vim obſtare, quo minus veteres hiſce in rebus imitari queamus: ſed quia id mihi non ita ſe habere videtur: de eadem hac quæſtione ſequenti capite diſputabo.

Caput XVII.

Quanti facere oporteat in exercitibus bellicas noſtri temporis machinas, & utrum tantam vim habeant, quantam vulgo putantur habere.

DUM mecum repeto, quot quantaque pręlia populus Romanus, toto eo tempore commiſerit, quo imperium comparavit: non ab re facere videor, ſi hoc loco paulo diligẽtius conſiderem id, quod vulgo putatur, popul. Romanum nequaquam tantas tamque præclaras res gerere potuiſſe, ſi tunc tormenta bellica in uſu fuiſſent, quæ ætate noſtra uſurpantur. His enim

enim impedimentum objici virtuti hominum, ne ut olim ea vires ſuas exercere queat: quod per illa prælia dirimantur, & prohibeantur homines cominus pugnare: ut veriſimile ſit, futurum temporis ſucceſſu, ut univerſa belli ratio ex tormentorum bellicorum uſu pendeat. Id utrum ita ſe habeat deinceps inquiremus, initio ſumpto à prima illa quæſtione, qua quæritur uſque adeo ne ducum militarium virtus tormentis bellicis impediatur, ut populo Romano ad acquirendum imperium obſtaculo eſſe potuerint? Qui bella gerunt, aut defendendi ſui cauſa, aut lædendi alterius gratia id faciunt. Utris horum tormenta bellica magis prodeſſe queant, diſputari poteſt: nec deſunt in utramque partem argumenta: ſed mihi tamen longe magis prodeſſe videntur ad offendendũ, quam defendendum. Nam qui ſe tormẽtis bellicis defendit, aut in urbe eſt, aut alio aliquo loco munito. Urbs eſſe poteſt vel magna vel anguſta: ſolent autem cum arces tum propugnacula alia, etiam in magnis urbibus anguſta eſſe. Difficilimum autem eſt, ex anguſto loco ſe adverſus tormenta bellica defendere, quod nullus murus tam craſſus ſit, quin paucis diebus à tormentorum impetu diruatur. Eo diruto ſi deſit intrinſecus ſpatium, ut cedendo vel foſſis vel novis aggeribus reparare propugnacula nequeas: ſtatim ab hoſte victus eris, neq; ullo modo illius impetum ſuſtinere, aut tormentis tuis, quo minus per loca diruta ingrediatur

in tua propugnacula, prohibere poteris. Certum enim eſt hoc, & experientia ipſa confirmatum, eos impetus, qui denſato agmine magnaque cum violentia ac celeritate fiunt: tormentis bellicis prohiberi non poſſe: quo fit ut in Italia, qui defenſioni urbium præficiuntur, Germanorum illos inſultus tam violentos ferre nequeant: Italorum oppugnationes utique ſuſtinent, quod non denſato agmine tantoque impetu nitantur: ſed levibus præliis dimicare conſueverint: nec poſſint tormentorum vim ferre. Sed qui ita ruunt denſato agmine, ut poſteriores impellant priores magno cum impetu: ii omnia loca diruta penetrant, niſi aut foſſis aut novis aggeribus prohibeantur. Ex tormentis pereunt aliqui: ſed non tot, ut de victoria periclitentur. Hoc ita ſe habere comprobat experientia: idque vidimus nos in Italia, cum in aliis locis, tum in expugnatione Brixienſis urbis. Nam cum illa à Gallis ad Venetos defeciſſet: & arx ipſa ſolum adhuc à Gallis teneretur: Veneti adverſus impetum, qui ex arce à Gallis in urbem irrumpere poſſet, locum circumjacentem undequaque tormentis bellicis muniverant. Sed Foiſſeus princeps hæc omnia parvi faciens, dēſato agmine ex arce in urbem per media tormenta bellica deſcendit & urbem occupavit: nec memorabile detrimentum aliquod ſenſit, quod ex tormentis accepiſſet. Quo fit ut pronuntiare oporteat, eum qui ſe adverſus tormenta bellica in loco anguſto defendit, ut

fractis

fractis muris, ſpatium deſit recedendi, & novis foſſis aut aggeribus propugnacula reparandi, ſuis tormentis hoſtem ſuſtinere nullo modo queat. Si magnam ac ſpatioſam urbem defendas, in qua ſubinde retrocedendo liceat propugnacula diruta ab hoſtibus reparare, cum foſſis tum aggeribus: tunc proſunt nihilominus longe magis tormenta ei, qui foris urbem oppugnat, quam tibi, qui illam intus defendis. Nam ſi hoſti tormentis tuis detrimentum afferre velis: neceſſe habes ea alto loco collocare, ex humili enim ſi tela conjicias in hoſtem, facile adverſus illa ſe communire poterit. In altum locum neque multa, neque tam vehementia, attollere poteris, atque is utitur, qui foris te oppugnat: cum hujuſmodi alta loca aggeres eſſe ſoleant minores, quam ut in iis tantæ machinæ tractari queant. Et ſi quæ in tam alta loca tollantur, difficulter conſervari poſſunt: cũ hoſtis, qui te foris oppugnat, ampliſſimum locum habeat, & providere facile poſſit omnibus iis, quæ in urbe ex loci anguſtia difficultatem pariunt. Itaque ſi hoſtis qui te foris oppugnat, tormentis bellicis abundet: neque in alta loca machinas tuas attollere permittet, neque ſublatas conſervare. Unicum hoc ergo ſupereſt, ut urbes virtute militum defendantur, quemadmodum olim fieri ſolebat. Cui rei etſi parvorum minutorumque tormentorum uſus nonnihil conferat: tamen ęquare non poſſunt damnum illud, quod à magnis tormentis

ab hoſte in urbem contortis, accipitur. Ea enim mœnia quatiunt, diruunt, foſſaſque replent: ut cum ferro poſtmodum res gerenda eſt, longe majus damnum ex hoſtium machinis ſenſerint in urbe, quam foris hoſtes, ab urbanis. Ex quo ſequitur verum eſſe id, quod ante pronuntiavimus, machinas bellicas longe plus iis prodeſſe, qui foris urbes obſident oppugnantque quam iis, qui illam intus defendũt. Quod ſi non in urbe, aut propugnaculo aliquo te defendas, ſed locum quempiam occupaveris, natura aut arte munitum, ex eoque hoſtem tormentis bellicis ſuſtinere cupias, ne citius quam ex uſu eſſe videatur, manus conſerere cogaris: tunc quoque non multo plus proderunt tibi ad defenſionem tormenta, quam in urbe. Nam ſi hoſtis tormentis ſuis locum altiorem occupaverit, aut alias te adortus fuerit priuſquam caſtra aggeribus & vallis muniveris: facile te coget illinc diſcedere, & manus cõſerere. Id enim Hiſpanis accid.ſſe novimus, antequam prælium juxta Ravennam committeretur. Nam et ſi juxta Roneum fluvium, qui olim Bideſus dicebatur, caſtra muniviſſent: tamen quia aggeres non tam altos, ut oportebat conſtruxerant, & Galli altioris collis opportunitatem nacti erant: tormentis Gallorum pulſi, caſtr. deſerere, & ad prælium committendum in aciem deſcendere coacti fuerunt. Quod ſi locum caſtris etiam maxime opportunum occupaveris: eumq; optime muniveris, ut hoſtis t

adori

adoriri non auſit: tamen non deerunt illi eædem illæ rationes te ad pugnam provocandi, & cogendi, quæ apud veteres in uſu fuerunt, antequam tormentorum bellicorum uſus ullus extaret: cum excurſionibus agros tuos vaſtare, prædas agere, commeatum intercipere, & multis aliis incommodis, damniſque te afficere poſſit: ad quæ omnia avertenda quam minime proderunt tormenta. Quibus ita conſtitutis, expende porro bella populi Romani, utrum defenſionis potius cauſa, quam lædendi eripiendique aliorum imperii gratia ſuſcepta videantur. Nam ſi conſtat, eos occupandi orbis cauſa bella geſſiſſe: longe commodius faciliuſque, id igneis hiſce fulminibus adjuti, præſtitiſſent: quam iiſdem deſtituti. Ad id quod multi objiciunt, ſublatam eſſe hiſce machinis viri virtutem: reſpondeo magis equidem periclitari militem nunc, quam olim: ſi urbs quæpiam invadenda, expugnanda, admotiſque ſcalis, aliisve hujuſmodi machinis, conſcendenda fuerint mœnia: Duces quoq; militares, nunc in longe majori periculo verſari concedo: cũ tormenti ictu peti queant, quocunque loco fuerint: nec quicquam proſit quod egregiis militibus ſtipati, hoc aut illo loco collocati ſint. Sed idem ego contẽdo, ex hujuſmodi periculis, hactenus nullũ memorabile damnũ exercitibus eveniſſe. Nam & in capiendis urbibus obſidione lõga veterum more potius, quam expugnatione uti conſueverunt: & ſi quæ expugnantur,

Objectio. Rf.

non tamen multo majori periculo id fieri videmus, quam olim fieret. Habebant enim veteres quoque ſua tela, quibus utebantur in defendendis urbibus: quæ ſi non erãt tam violenta, ut tormenta noſtra, ita tamen in hoſtẽ torquebantur, cum mœnibus appropinquaret, ut non minorem hominum ſtragem ederẽt quam ſoleant igneæ Machinæ. Ex ducibus militaribus certe, pauciores interiiſſe credo viginti quatuor hiſce annis, quibus Italia tot tamque difficilibus bellis afflicta fuit: quam, antequam eſſent inventa tormenta, vel decennio ſolo interirent. Vnus Ludovicus Mirandulæ comes, Ferrariæ, cum eam Veneti ante paucos annos invaſiſſent, ignei tormenti ictu periit, & præter eum Nemauſii dux ad Ciriniolam: his exceptis neminem hoc mortis genere interiiſſe novimus. Nam Foiſſeus princeps, apud Ravennam, non ictu tormentorum, ſed gladiorũ vulneribus occubuit. Quæ cum ita ſint, non tam ob tormentorum uſum impediri virtutem militum pronuntiamus, quam ob militarem diſciplinam, in exercitibus minus recte inſtitutã, conſervatamque: quod ſi in univerſo exercitu antiqua virtus ineſſet, non utique latere poſſet vel ob uſum tormentorum, vel ob aliarũ quarumcunque rerum impedimenta. Nam quod ajunt quidam, impedimento eſſe eaſdem haſce machinas, quo minus pugnare, ac manus conſerere queant, futurumque tandem, ut univerſa belli ratio ab iis ſolis dependeat: id nequaquam verum

verum eſſe, confitebuntur omnes, quicunque de antiqua militari diſciplina, vel paululum quippiam deguſtarunt. Neque enim firmum exercitum habebis ullum, præter eum, qui cōgredi cum hoſtibus conſuevit, qui gladiis uti novit, & lacertorum robore: ob quas cauſas peditatui longe magis etiam, quam equitatui confidere queas. Nam ſi pedites habeas expeditos, & ſpectatæ virtutis, minori periculo hoſtem tormentis bellicis inſtructum invadere poteris, quam olim potuiſſes, cum Elephanti, & currus falcati in uſu eſſent. Quod ſi ergo populus Romanus adverſus tanta impedimēta remedium invenire potuit: adverſus tormenta profecto etiam inveniſſet, & quidem tāto facilius, quanto minus diu durare poſſunt fulmina tormentorum, quam Elephanti & falcati currus durabant. Hæc enim ubi pugna acerrima erat, mediam aciem penetrabant & ordines perturbabant: tormenta ante initium pugnæ fulmina emittunt: eaq; à peditibus vitari poſſunt, partim ſi loci natura aliquo modo tegātur: partim ſi ſe interim dum illa emittuntur, humi proſternat, quibus accedit, quod magna tormenta facile aut nimis in altum torqueantur, & neminem tangant: aut dum humilia, & terræ ſuperficiei vicina emittuntur, in terram cadant. Poſtquam cominus pugnare cœptum fuerit, deſinit omnis tormentorum uſus. Nam ſi ante primam aciem collocentur, capientur ſtatim in primo congreſſu: ſi à tergo

relinquantur, non emitti poterunt in hoſtem, quin prius ſuos proprios milites contingant: ſi ad latera collocētur, rurſus capi poſſunt. Hujus rei ſi exemplū cupias, id tibi ſufficiet, quod anno Servatoris noſtri M. D. XIII. ab Helvetiis patratum eſt. Ii enim Gallorum exercitum tormentis bellicis, & equitatu, munitiſſimum, abſq; tormentis, & equitibus, juxta Novariam invaſerunt, & caſtris exuerūt, nec à tormentorum fulminibus ullum memorabile damnum acceperunt. Indigent enim tormenta bellica ſingulari quadam cuſtodia: neceſſumque habent foſſis, muris valliſque communiri, alioquin hoſtibus in prædam cedunt: nec ullus eſt eorum uſus. Ut autem ad utrumque inſtructi exercitus cornu adhibeatur, non poteſt etiam alio modo fieri, quā apud veteres uſurpabantur fundæ & alia tela: quæ extra aciem collocabantur, ut ſeorſim & extra ordines hoſtes læderent: quod ſi vel ab equitatu vel alio aliquo impetu turbarentur: recedebant retro legiones, ut ab iis protegerentur. Hic tormentorum unicus uſus eſſe poteſt, inter dimicandum: qui iis aliter uti vult, plus iis confidit, quam re ipſa poſtmodum experiatur fuiſſe confidendum. Turca certe tormentorum bellicorum ope, de Sopho & Sultano victoriam aliquoties obtinuit: ſed id illi magis accidit, propter metum equitibus eorum, ex inuſitato ſonitu incuſſum, quam quod tormentis ullam ſtragem ediderit. Tunc demum igitur ſingulare quiddam in

Helvetiorū memorabile factū.

exer-

exercitu præſtant tormenta bellica, cum in eodem milites fuerint ſpectatæ virtutis: quod ſi machinæ illæ in manus illorum incidunt, qui timidi ineptique ſint, adverſus potentem exercitum nihil ſingulare præſtare poſſunt.

CAPUT XVIII.

Cum populi Romani autoritate, tum exemplis ab antiqua, diſciplina militari petitis probari poſſe, pedites in bello pluris eſſe faciendos, quam Equites.

PERMULTIS argumentis exempliſque oſtendere poſſumus, Populum Romanum non modo pluris æſtimaſſe equitibus peditatum: ſed in omni expeditione, roboris bellici fundamentum in eodem conſtituiſſe. Exemplo eſſe poteſt, inter cætera prælium cum Latinis ad Regillum lacum commiſſum, in quo cedente jam exercitu: juſſere equites ad pedes deſcendere, ut feſſis ſuccurrerent, quo modo redintegrata pugna, victoriam obtinuerunt; hinc apparet quanto plus peditibus quã equitatu tribuerint. Hoc eodem ſtratagemate multis aliis in locis uſi ſunt Romani, ceu ſalutari remedio, in maximis periculis. Nec eſt quod nobis hic quiſquam objiciat authoritatem Annibalis, qui in pugna Cannenſi, cum intellexiſſet, Conſules eodem hoc remedio uti, ut ſuis laborantibus ſubvenirent, dixiſſe fertur, *ſe hoc malle audire, quam vinctos ſibi tradi ipſos.* Nam ſi Annibal ſummus Imperator fuerit: nõ debet

tamen illius autoritas pluris æſtimari, quam tot Romanorum Imperatorum virtute bellica excellentium ſententiæ, ipſa experientia toties comprobatæ. Sed neque deſunt rationes, quibus idem comprobari poteſt. Pedes enim multa loca penetrat, ad quæ eques nequit pervenire: præterea & ordinem ſervare, & eo perturbato, rurſus in ordinem redire novit: Equites non niſi difficilime ſervare ordines poſſunt, & cum ii ſemel perturbati fuerint, redire in certas ſtationes atque ordines plane neſciunt. Præterea ut magna eſt inter homines diverſitas, ita & inter equos, quod alii generoſi, audacesque ſint, alii utiles, & timidi: perſæpe vero accidit, ut audaci equo timidus vir inſideat, & vir fortis equo timido: ex qua re multa incommode atque inordinate fiunt. Pedites in aciem rite diſtributi, longe facilius equitum ordines perturbant ac frangunt, quam ipſi ab equitibus perturbari ac frangi queant. Quod non modo experientia ipſa, & exempla quotidiana comprobant, verum etiam legislatores & quicunque de Republica aliquid ſcripſerũt. Oſtendunt enim illi, bella primum equitatu geri ſolita fuiſſe, quod nondum certa ratio extaret uſurpandi peditatus: at poſtquam innoteſcere cœpit vis pedeſtrium copiarum, peditatum equitatui præferendum cenſuiſſe. Hęc vero nõ eo dicuntur, ut inutiles prorſus exiſtimemus in exercitu equites. Nam neceſſarii ſunt illi quoque, cum ad protegendos pedites, tum

ad

ad excurſiones, & prædas agendas, ad fugientes hoſtes perſequendos, atque etiam ad ſuſtinendum hoſtilem equitatum. Sed robur ipſius exercitus tamen in peditibus conſiſtit: quo factum eſt, ut noſtræ Italiæ principes, hoc ipſum parum obſervantes, ſummopere deliquerint, occaſionemq; præbuerint exteris principibus, Illius imperium invadendi. Omne enim ſtudium circa equeſtrem militiam collocarunt: peditum nullam rationem habuerunt: idque factum eſt partim ignorantia principum, partim ducum militarium malitia. Nam cum vigintiquinque fere annorum ſpatio, omnis rei militaris cura pervenerit ad quoſdam imperatores, qui modo hujus, modo illius principis ſtipendia merebantur: in id unice incubuerunt, ut ſibi autoritatem, quam maximam poſſent, conciliarent. Id vero nulla alia ratione præſtare commodius poterant, quam ſi perpetuum exercitũ ſecum haberẽt. Cum igitur ad magnum peditatum ſuſtentandum, ſumptus nõ ſufficerent: nec poſſet exiguus illis eam, quam cuperent autoritatem conciliare: ad alendos equites ſtudiũ omne converterunt: quod ducẽti aut trecenti equites Imperatori non levẽ exiſtimationem conciliare poſſe viderentur: nec tamen ſumptus tanti requirerentur ad illos ſuſtentandos, quin ab egregio & mediocriter opulento principe ſolvi poſſent. Hoc ut melius obſervare & porro obtinere poſſent, nullam aut certe exiguam rationem peditum in exercitu habuerunt

N 7

runt, etiam tunc cum bella ingruerent: ut in maximo exercitu, exiguus ſemper peditatus fuerit: quæ res cum aliis vitiis, quæ ætate noſtra graſſantur, conjuncta, uſque adeo imbellē Italiam effecit, ut ab exteris omnibus undiquaq; ſit devaſtata. Major igitur peditatus, quam equitatus ratio ſemper habenda eſt. Idque apud Romanos ita obſervari ſolitum, evidentiſſime patet, vel ex eo: quod in Satriculæ obſidione apud Samnites accidit. Nā cum illic ex Samnitibus Imperator, ex Romanorum exercitu Magiſter equitum occubuiſſet: nec ad ducum caſum perculſa magis quam irritata omnis multitudo eſſet: extemplo ad pedes deſcenſum ab Romanis eſt: coactique idem Samnites facere: ut commodioris defenſionis cauſa, in utroq; exercitu, equeſtris pugna in pedeſtre prælium ſit commutata. Evidentiſſime igitur patet hinc, populum Romanū peditatui longe plus quam equitatui tribuiſſe. Nam cæteris in locis juſſere conſules deſcendere ex equis ſeſſores, ut laborantibus peditibus ſubvenirent: hic equites cū equitibus pugnabant, & cum exiſtimarent nō poſſe ſe victoriam ſic obtinere: ex equis utrinq; deſcenderunt, ut hinc non immerito pronuntiemus, peditatum egregium, ac bene inſtructum, firmum eſſe in bellis præſidium, nec ſuperari poſſe, niſi difficillime. Craſſum & M. Antonium Romanos duces, legimus per univerſum Parthorum Imperium excurriſſe, exiguo cum equitatu, ſed peditatu firmo: nec quiſ-

quam

quam iis obeſſe potuit univerſus Parthorũ exercitus. Nam etſi regio plana eſſet, montibus carens, à mari procul ſita undiquaque, fluminibus quoque minime abundans: tamen ita ſe communivit Antonius, ut virtuti peditum Romanorum nullum impedimentum à Parthis equitibus objici potuerit. Craſſus interiit dolo magis, quam virtute hoſtium, quod eorum promiſſis confidens, tandem ad commeatus inopiam, extremamque miſeriam redactus fuerit. Sed quid opus eſt, exempla tam longe petita adducere? extant recentia argumenta exemplaque, quibus manifeſte oſtenditur, longe majorẽ vim peditatui, quam equitatui ineſſe. Novimus Helvetiorum peditũ novem millia, apud Novariam, invaſiſſe, & prælio ſuperaſſe, decem millia peditum, & totidem equites. Ab equitibus enim nullum periculum metuebant: pedites parvi faciebant, quo eſſent Vaſcones, & minus bene inſtructi homines. Cernere licet deinde, triginta ſex millia itidem Helvetiorum peditum, juxta Mediolanum, Franciſcum Galliæ Regem adoriri, qui ſecum viginti millia equitum, peditum quadraginta millia habebat, & currus bombardicis machinis onuſtos centum. Nam etſi Regem hic vincere non potuerint: cum eo tamen per biduum ſtrenue dimicarunt: & poſtquam fracti fuiſſent, mediam exercitus partem nihilominus conſervarunt. M. Atilius Regulus non modo equitatum, ſuo peditatu ſuſtinere ſperabat, ſed

Elephan-

Elephantos etiam:idque illi ſi non ex voto ſucceſſit, non impedit tamen, quin de peditatu egregio ſumma quæque nobis polliceri debeamus: uſque adeo, ut non niſi ab alio maiori ac fortiori vinci queat. Cum olim adverſus Philippum Vicecomitē Mediolani ducem, ſedecim milia Helvetiorum peditum in Italiam deſcendiſſent: eiſque Carmignolus cum mille equitibus & peditatu exiguo occurriſſet, ignarus artium bellicarum, quibus ii uterentur, putavit ſe illos ſtatim in fugam conjicere poſſe. Sed cum infractum robur eorum animadvertiſſet, ut erat magni conſilii vir, ſubito retroceſſit, aſſumptiſque pluribus peditibus, juſſit cataphractos quoq; equites ex equis deſcendere: atq; ita Helvetiis obviam factus, illos oppreſſit. Nam Cataphracti armis tecti, Helvetiorum ordines ſine damno penetrabant, eoſq; perturbabant, ex quo factum, ut omnes ſint cæſi, præter eos ſolos quos Carmignoli benignitas conſervavit. Credo equidem multis notum eſſe, quantū peditatus ſit equitatui præferendus: nihilominus tamen ea eſt infœlicitas noſtri temporis, ut nec vetera, neq; recentia exempla perſuadere poſſint viris principibus, ut errores hoſce emendent: quo fit, ut & hæc, & alia veterum inſtituta militaria ſenſim aboleantur, non ſine magno eorum qui bella gerunt, detrimento.

CA-

Caput XIX.

Si quæ comparantur bello à Repub. male inſtituta, ea potius ad interitum illius pertinere, quam ad imperii magnitudinem comparandam.

Hujusmodi falſæ opiniones, de equitatus peditatuſque uſu, & differentia, in hominũ animis uſque adeo infixæ ſunt, & peſſimis exemplis cõfirmatæ, ut nemo cogitet, de modo emendandorum noſtrorum errorum, & introducenda veterũ conſuetudine. Quis enim intra viginti annorum ſpatium Italo homini potuiſſet perſuadere, fieri poſſe ut decem peditum Helvetiorum millia, cum decem millibus equitum & totidem peditibus dimicarent, eoſque prælio ſuperarent? quod ad Novariam omnes accidiſſe novimus. Quanvis enim exemplis pleni omnes ſint veterum hiſtoriarum libri: nemo tamen ex noſtris hominibus, aut fidem veterib. adhibuiſſet: aut credidiſſet, idem nunc quod olim, fieri poſſe. Omnes enim objiciunt, melius armari equites nunc, quam olim: & poſſe noſtrorum Cataphractorum equitum agmen, non modo peditum inſignem numerum pellere, verum rupes prope ipſas loco movere. At conſiderare oportebat, Lucullum exiguo peditatu, quadraginta millia equitum Tigranis fregiſſe, inter quos non pauci erant armis eodem modo tecti, ut noſtri hodie muniuntur. Idem Luculli factum videmus in Italia

lia, novo Germanorum exemplo confirma-tum, ut hominum noſtrorum errores hinc fa-cile patefieri queant. Ad veterum ergo diſcipli-nam militarem redeundum eſt, ſiquidem Reſ-publicæ recte gubernari debeant, cum in com-parando imperio qualicunq; tum in cōſervan-dis iis, quæ à majoribus parta acceperunt. Ur-bem liberis hominib. replere: vicinorũ amiciti-am ſocietatemq; conciliare: Colonias deduce-re, & fines parti imperii defendere: prædas e-hoſtibus agere: excurſionibus eorum agros va-ſtare: præliis potius cum illis dimicare, quam obſidionibus eorum urbes cingere: publici po-tius quam privati boni rationem habere: mili-taribus ſtudiis homines exercere. Hæc vera e-augendarum Rerumpublicarum acquirendi-imperii ratio. Cæteræ omnes acquirendi ratio-nes, ad Reipublicæ perniciem potius, quam ſa-lutem & incrementum pertinent. Itaque ſi q-ſunt, quibus hæ non placeant: ii devitare de-bent omne ſtudium comparandi, ſoli defenſio-ni operam dare: quemadmodum faciunt Ger-manorum Reſpublicæ, quæ hoc modo, pace-tranquillitate longiſſimo tempore uſæ ſunt. Sed utut conemur à bellis, inferendiſque in-juriis abſtinere, non poſſumus tamen ſemp-eorum occaſiones evitare, & pace perpetu-frui. Nam ſi maxime abſtineas ab injuriis non deerunt tamen alii, qui te lædere con-buntur, ut hinc deſiderium, ac neceſſitas qua-dam, bella ſuſcipiendi, & aliena rapiendi po-

ſæ

ſæpe oriatur, uſque adeo certa, ut ſi hoſtes peregrini defuerint: non deeſſe ſoleant domeſtici: ob multiplices injurias, quibus in Republica cives magni afficiuntur, aut affecti eſſe putantur. Germaniæ urbes pace diutina fruuntur, ob diverſam, quandam naturam cum hominũ tum ipſius regionis, quam vix alibi invenire liceat. Nam cum eſſent olim Romano imperio ſubjectæ, veluti Gallia & Hiſpania: libertatem tamen ab imperatoribus Germanis, poſtquam inſignia imperii ad eos translata fuiſſent, ſenſim ſimplici quadam induſtria, redemerunt: reſervata imperatoribus annua quadam penſione ſolummodo: quædam vero Auſtriacorum ducum provinciæ plane defecerunt, & libertatem nactæ, uſque adeo opibus potentiaq; creverunt, ut non modo reduci amplius ſub jugũ ſervitutis nequiverint, ſed terrori jam ſint omnibus vicinis populis, cujuſmodi eſt Gens fœderatorum. Hinc factum ut univerſa Germania ætate noſtra diviſa ſit in Helvetios, liberas Imperii civitates, Principes, & Imperatorem. Imperator etſi non habeat magnas vires, eſt tamen in maxima exiſtimatione apud omnes, ut ſi quæ inter eos aut lites aut diſcordiæ intercedant, ab ipſo facile componantur. Atq; hinc fit, ut pace ac tranquillitate fruantur, nec ullius belli memoria extet apud ipſos nunc, quam ejus, quod Helvetii geſſere cum Auſtriacis, Et quamvis Auſtriaci duces, imperii faſces multis jam annis habuerint: non potuere tamen

Germaniæ tranquillitas.

men hanc fœderatorum gentẽ domare, quanvis ſummis viribus id attentarint. Cæteræ Germaniæ urbes ac principes in hoc bello, adverſus Helvetios Imperatori auxilia ferre noluerunt, partim quod libertati communi faverent: partim quod cum ipſi non eſſent admodũ potentes, non libenter viderent Auſtriacorum nimis augeri potentiam. Hoc ergo quaſi æquilibrio conſtituta Germania, Imperatorũ potentiam non metuit, ſed reveretur, cõcordiaq; fruitur, quod ſingulæ urbes, ſinguliq; principes, ſuis contenti ſint, & metu vicinorum hoſtium, à controverſiis ac litibus abſtineant. Quod ſi res Germanorũ aliter eſſent affectæ, cogerentur ipſi quoq; bellis operam dare, & ne niſi opprimerentur, aliis bella inferre: & cogitare de ratione augendi imperii. In aliis regionibus, quibus non eſt tanta, tamq; exacta moderatio, aut proportio & æquabilitas potentiæ, cum urbium, tum principum, pax conſervari, ut in Germania non poteſt: quo fit, ut potentibus Rebuſpub. cogitandum ſit de illa augendi imperii ratione, quam apud Romanos in uſu fuiſſe docuimus. Aliam quicunq; ingredi volet, non tam incrementum quam ruinam Reip. molietur. Quod mille modis oneri eſſe ſoleant recenter parta imperia: præſertim ſi cum ipſis, non ſimul etiam vires augeantur, ut res nuper partæ conſervari poſſint: quemadmodum fieri ſolet, tunc quandocunq; plures ſumptus faciendi ſunt, in acquirendo aliquo dominio, quam uſus

uſus fructus illius, deinde compenſare queat. Id Florentinis noſtris ac Venetis etiam accidit, quorum vires, cum hi Galliæ Ciſalpinæ, illi Hetruriæ imperium acquiſiviſſent, imbecilliores extitere, quam prius, cum alii Maris Imperio, alii exigua ditione contenti erant. Omnes ad imperium aſpiramus, de modo illius comparandi, conſervandique nequaquam recte cogitamus. Id autem turpe eſt. Nam cum Romanorum exemplū imitari liceat, neq; id præſtare ſciamus, quomodo abſque exemplo, verum legitimumq; modum, ut Romani fecerunt, deprehendere & invenire queamus? Præſertim ſi cogitemus quantum periculi afferre quandoq; ſoleat etiam bene inſtitutis Rebuſpublicis, recens parta provincia aliqua, aut urbs, delitiis & fortunæ indulgentia abundans: ex qua corrupti hominum mores, per contagium quaſi ad noſtros tranſire ac ſerpere poſſunt. Veluti Populo Romano accidit, cum primum Capuam occupaſſent: & poſtmodum etiam Annibali. Tantum certe periculi inde imminebat, ut niſi Roma, quæ nequaquam procul aberat, remedium inſolentiæ militum attuliſſet, potuiſſet vel inde principium oriri ruinæ atq; interitus Reipublicæ. Iam tum enim, ut Livius inquit, minime ſalubris militari diſciplinæ Capua, inſtrumentum omnium voluptatū, delinitos militum animos avertit à memoria patriæ. Solent enim hujuſmodi loca tot delitiis abundantia, ſine cæde ac ſanguine, peculiari quadam

dam ratione ulciſci, & pœnas de iis ſumere, àquibus occupantur. Nam cum eos pravis moribus imbuant, effœminatoſque reddant: facile tales efficiunt, ut poſtmodum facile à quovis opprimãtur Id Juvenalis præclare expreſſit, cum inquit ex converſatione cum peregrinis hiſce hominibus, Romanorum animos fuiſſe immutatos, vt qui prius parce ac duriter vivere ſolerent, poſtea Gulæ, luxuriæque ſeſe tradiderint. Nam is inquit:

Luxuria incubuit, victumq; ulciſcitur orbem.

Quæ cum ita ſint, ac conſtet populo Romano etiam, ad diſciplinam militarem tam egregie inſtituto periculoſa fuiſſe quarundam urbium ac provinciarum recens occupata imperia: nemini mirum videri debet, ſi cæteris principibus ac Rebuſpublicis, quæ Romanorum virtutem nullo modo poſſunt exæquare, idem cõtingere poſſe pronuntiemus: præſertim tunc, cum non propriis civibus in bello, ſed mercenario milite uti coguntur.

CAPUT XX.

Neque principes, neque Reſpub. ſine periculo uti poſſe auxiliario, ac mercenario milite.

SI non alio loco diſputaſſem ex profeſſo, quantum interſit Reipublicæ ne vel mercenario vel auxiliario milite uti cogaris, ſed tuorum civium operam uſurpare auſis, ac poſſis, longius de eadem hac quæſtione hic diſſerendum.

dum foret: ſed quoniam de hac re copioſe alibi docuimus, breviter ſumma rerum capita hic attingam, cum ejus largam occaſionem Livius ipſe nobis præbuerit. Auxiliarem militem illum voco, quem tibi princeps aliquis, aut Reſpublica ſuis ſumptibus auxilio mittit, ſub certis ſignis ac ducibus: quemadmodum is erat, quem petentibus Campanis, Romani, Samnitibus fuſis, ad hybernandum Capuæ reliquerant præſidii cauſa, ut commodius Samnitium excurſiones arcerentur. Sed idem is miles, qui præſidio urbi eſſe debebat, Campanorum voluptatibus delinitus, cœpit animum à memoria patriæ avertere, & conſilia in hybernis agitare, de adimenda Campanis Capua. Cur enim potius Campani agrum Italiæ uberrimũ, & dignum agro urbem poſſiderent, qui nec ſe, nec ſua tutari poſſent, quam Romanorum victor exercitus, qui ſuo ſudore ac ſanguine inde Samnites depuliſſet? Sed hæc agitata occultis conjurationibus conſilia, antequam perficerentur, conſul ſingulari prudentia impedivit, ut oſtendemus tunc, quando de conjurationibus diſſeremus. In præſentia hoc dicimus, quod auxiliariorum militum uſus, omnium maxime periculoſus eſſe ſoleat. Primum enim cum à te neque duces neque milites ſtipendia accipiant, ſed ab illo aut principe, aut Repub. à qua tibi auxilio miſſi ſunt, faſces tuos atque imperium parum curant. Deinde cõfecto bello, prædæ operam dant; eamque nõ ex hoſtib. ſolum, verum

verum etiam ab iis colligunt, quibus auxilio miſſi ſunt: ſive id facere ſoleant propria libidine, ſive dolo principis, à quo mittuntur. Non equidem eo animo præſidium iſtud Romani reliquerant Capuæ, quod quicquam mali in animo haberent: ſed miles ipſe tamen, cum ex loci opportunitate, tum effœminatis Campanorũ animis, quos facile opprimi poſſe credebant, occaſionem ſingularis facinoris ſumpſerant, & oppreſſis civibus, urbẽ decreverant occupare. Hujuſmodi exempla plura huc adduci poſſent: ſed quia hoc evidens eſt, eo contenti eſſe poſſumus. Atque hinc inferre licet, cum res eo devenit, ut non niſi hujuſmodi auxiliis defendere te poſſis; longe ſatius eſſe cum hoſte paciſci, quocunque tandem modo. Semper enim tolerabilior erit conditio: ſi cum eo paciſcaris, quam ſi hujuſmodi refugia quæſiveris. Quod ſi enim cum vetera, tum recentia exempla intuearis, deprehendes, ſi quando hujuſmodi auxiliares copiæ ſemel profuerunt, multoties poſtea nocuiſſe. Neq; enim ullam commodiorem occaſionẽ habere poteſt ambitioſus Princeps, aut avara aliqua Reſpub. te opprimendi, quam ſi iis ſupplex fiat ut te defendant, & auxilia ab ipſis poſtules, quibus tuus eſſe queas. Quod ſi quis igitur eo dementiæ venerit, ut non modo auxiliares copias pro ſui defenſione expectet; verum etiam ut bellum aliis inferre poſſit: is eo contendit, quo pervenire nequit. Idque etiam appetit, quod non poteſt conſer

conſervare, ſi maxime acquirat. Nam is, qui illi ea comparat, etiam poteſt auferre. Quæ omnia etſi ita ſe habeant, tanta eſſe ſolet tamen ambitio hominum, ut id quod ante oculos eſt, ſolum intueantur, de futuris nil cogitent, præſenti cupiditati ſatisfacere conentur, de præcavendis futuris malis ſoliciti non ſint. At veterum exemplis commoveri oportebat, & obſervare liberalitatem, quam vicinus tuus tibi tam magnifice declarat, non niſi irritamentum eſſe, ut te in ſuos caſſes pelliciat.

CAPUT XXI.

Populum Romanum 400. tandem anno poſtquam bella gereret, ſubditis prætores mittere cœpiſſe, & Campanis primum prætorem contigiſſe.

POPULUS Romanus, ut ante ſæpe à nobis oſtenſum eſt, in gerendis bellis, acquirendoque imperio, plurimum à noſtris hominibus differebat. Nam ſi quas civitates occupaſſent, quas non deſtruerent, eas ſubditis liberas permittebant, & ut ſuis legibus porro, ut prius, uterentur, non ſociis tantum, ſed iis etiam concedebant, qui bello capti eſſent. Signa ſolummodo populi Romani, imperiumque agnoſcere cogebantur, ſub certis conditionibus, quas ſi ſervabant, tuti ſub ipſius tutela, dignitatem priſtinam obtinebant. Hunc imperandi modum ſequuti ſunt, donec eorum potentia extra Italiæ fines caput exereret: ut Italia

O egreſſi

egreſſi, Regna in provincias reducere inciperent. Exemplo eſſe poteſt Prætor primus, quem Populus Romanus in quampiam provinciam miſerit, qui non ambitione & imperandi cupiditate ab ipſo miſſus, ſed flagitantibus ſubditis, ad eorum res componendas, conceſſus. Ii Campani fuere, qui inteſtinis diſſidiis laborantes, neceſſarium ſibi fore exiſtimarunt, civium Romanorum quempiam ſecum habere, ut illius auxilio, & nutu, perturbata illorum Reſpublica conſtitui poſſet. Eorum exemplum poſtea ſequuti Aniates, & iiſdem fere cauſis permoti, Præfectum ipſi quoque petierunt quod jam, ut Livius inquit, non ſolum arma ſed jura quoque Romana pollebant. Hæc vero imperandi lenitas, plurimum profuit ad Imperii incrementum. Nam quæ urbes aut gentes libertate frui conſueverunt, & propriis legibus uti: ex longe æquiori animo tollerant tale imperium, quod procul abeſſe videatur, quamvis non careat aliquo onere, quam id, quod coram cernere, & ante oculos perpetuo habere, ac formidare coguntur. Quibus hoc quoque accedit, quod ſi quæ in jure dicundo, aut puniendis delictis, gravius ſeveriuſque fiunt: ea minus aggravant eum principem, qui libere permittit ſubditis, ut ſuis legibus vivant: quam illum, qui per miniſtros ſuos hæc omnia exequitur: quo fit, ut hoc eodem modo cauſa tollatur, concipiendi ullius adverſus principem odii. Hujus rei extat, ætate noſtra recens

in Ita-

in Italia exemplum: novimus Galliæ Regem, Genuenſem urbem, aliquoties occupaſſe: & cum prius ad illam gubernandam Proregem ex Gallia mittere ſoleret: nunc ipſa rei evidentia edoctus, ut civium benevolentiam magis ſibi conciliare poſſit: libere ipſis permittit, ut urbem gubernent, & Proregem ex ſuis civibus, quem volunt ipſi eligant. Nemo enim eſt qui dubitet poſteriorem hunc modum, Genuenſibus magis gratum eſſe: atque hinc fieri, ut illorum animi, hac quaſi libertate deliniti, Regi ſe plus debere, devinctoſque eſſe magis fateantur. Nam omnes homines ita affecti ſunt, ut tanto magis confidant, ſeſeque totos tradant, quanto minus metuunt, ne opprimantur: tanto minus autem unumquemque vel principem, vel Rempublic. metuunt, quanto majorem eorum & humanitatem, & benevolentiam experiuntur. Romanorum erga Campanos comitas & benevolentia effecit, ut Prætorem ab iis peterent. Quod ſi auſteriores, ſæverioreſque erga Campanos Romani fuiſſent: non modo non petiiſſent præfectum ſibi dari Campani, ſed omnibus modis eorum imperium excutere conati fuiſſent. Sed quid opus eſt exempla à Romanis Campaniſque petere, cum habeamus non minus evidentia Florentiæ, & in tota Hetruria. Novimus Piſtolam civitatem ante multos annos, ſponte ſeſe in Florentinorum noſtrorum poteſtatem dediſſe. Cum Piſanis vero, Lucenſibus, & Senenſibus, plurimas

inimicitias ſemper exercuimus. Neque id propterea evenit, quod Piſtolenſes minus charam habeant libertatem, q"a n vel Piſani vel alii: aut quod etiam ſe, atque urbem ſuam minoris æſtiment, quàm illi: Sed ex eo orta eſt hæc animorum diverſitas, quod cum Piſtolenſibus amice ſemper ſe geſſere Florentini, atque benevole, quapropter, ſponte ſe ſub illorum imperium ſubmiſerunt: adverſus Piſanos, Lucenſes, atque Senenſes, hoſtilem animum perpetuo declararunt: quamobrem non modo ſponte ſe dedere noluerunt, ſed omnem lapidem moverunt, ne in illorum poteſtatem unquam venirent. Quod ſi Florentini amice magis ſeſe cum vicinis geſſiſſent, & illorum amicitiam ſibi cōciliaſſent, non inferendis injuriis tam feroces effeciſſent: dudum Hetruriç imperium comparaſſent. Non nego, quin armis quoque uti cogamur, ſed benevolentia prius tentare omnia oportet, arma tanquam extremum remedium exiſtimare.

CAPUT XXII.

Quantum perſæpe à veritate aberrent hominum opiniones, de rebus magni momenti concepta.

QUAM ſæpe errare ſoleant homines, cum de rebus magnis diſſerunt: noverunt omnes quicunque hujuſmodi conſiliis intereſſe conſueverunt. In hiſce enim niſi adhibeantur excellentium virorum judicia, facillime aberratur.

ratur. Perſæpe vero etiam accidit, ut ſummi viri pacis tempore, in multorum odium incurrant, ac prope negligantur, in corruptis præſertim civitatibus: quamobrem inſtituuntur tunc deliberationes de ſummis rebus tales, quæ favoris atque gratiæ plus habeant, quam quod ad publicam utilitatem ſint accommodatæ. Patefiunt autem autem hi errores poſtmodum, adverſis temporibus, in quibus neceſſe eſt plerumque ad eorum conſilium confugere, qui pacis tempore negligebantur. Incidunt etiam inter deliberandum accidentia, & caſus quidam, propter quos facile labimur, niſi ſingularem rerum experientiam habeamus, quod apti ſint probabilitate quadam hominibus id perſuadere, quod ipſo rerum eventu falſum eſſe poſtea oſtenditur. Atque hæc in eum finem dico, ut expendamus Numiſii Latinorum Imperatoris conſilium de renovando bello cum Romanis, poſtquam cæſi fuiſſent: Atque etiam id, quod multi fore opinabantur, cum ante paucos annos, Franciſcus Galliæ Rex, ad recuperandum Mediolanum adverſus Helvetios in Inſubriam proficiſci ſtatuiſſet. Nam cum Ludovico XII. vita functo, Franciſcus in Regnũ ſucceſſiſſet, & Mediolanenſe Imperium, ab Helvetiis paulo ante occupatum, Gallię Regno reſtituere decreviſſet: operam dabat, ut auxilio Julii, II. Pontificis, aliquos ſibi in Italia conciliaret, per quos facilior ſibi aditus eſſet ad illam expeditionem. Cum igitur ad Venetos

Liv. lib. 6.

ante Ludovicus in ſuas partes pertraxiſſet? & Florentinorum animos jam pertentaret, Leo decimus impedivit: quo minus illi aſſentirentur, quod nimis facilem Regi fore aditum putaret, ad id Imperium occupandum: præſertim cum & Hiſpani Regis Gallici nomine jam Inſubriam ingreſſi eſſent, & Imperator jam Veronam perveniſſet. Perſuaſus enim erat à ſuis, ſi neutram partem ſequeretur, certam habiturum victoriam. Neque enim ex uſu Eccleſiæ Romanæ eſſe, ut præpotentes aliqui in Italia regnarent, ſive Rex, ſive Helvetii: utroſque ergo ejiciendos eſſe, ut in priſtinam libertatem Eccleſia poſſet reſtitui. Sed cum ſimul ambo ſuperari non poſſent, neque etiam ſinguli, ut tunc res ſeſe haberent, expectandam occaſionem commodiorem: fore enim ut ſi inter ſe Rex, & Helvetii, prælio dimicarent, alter eorum ſuccumberet: alter vero etſi vinceret, tamen ita cæſum & viribus imminutum iri, ut tunc à Pontifice facile deleri poſſet. Commodiſſimam ergo illam occaſionem, ac tanto melius eam arripi poſſe, quod Pontifex tunc inſtructiſſimum exercitum non procul ab Inſubria haberet, qui illic, ſub prætextu defendendi Eccleſiæ urbes, hærens, eventum pugnæ expectaret: quam cruentiſſimam fore oporteret, ob utriuſque exercitus, ſive virtutem, ſive pertinaciam: fractis autem utriuſque exercitus viribus, poſſe deinde Pontificem, eorum reliquias ſine difficultate delere, Inſubria potiri, & in univerſa

Itali:

Italia pro arbitrio dominari: Hæc erant Pontificiorum conſilia, & de rebus, quæ tunc gerebantur, opiniones: ſed quam vanæ ſtultæque eſſent, eventus ipſe docuit. Nam cum difficili prælio Helvetii victi eſſent: victorem Gallum invadere, non modo auſi non ſunt, nec Pōtificii, neque Hiſpani: ſed ad fugam omnes ſe prepararunt: nec potuiſſent illa fuga conſervari, niſi acceſſiſſet Galli humanitas, aut forte ſegnities, qua factū ut prima victoria contentus, aliam non appetierit: ſed cum Pontifice pacem certis conditionibus fecerit. Nitebantur tamen quibuſdam rationibus hæc pōtificiorum conſilia quæ ſpeciem quandam veri præ ſe ferre videbantur: re ipſa vanæ erant. Raro enim accidit, ut qui hoſtem prælio vincit, multos de ſuis amittat, quod in fuga nulli perire ſoleant ex victore exercitu, ſed inter dimicandum ſolummodo, nec pugna diu ſoleat durare. Præterea, ſi maxime concedas, prælia quandoque diu durare, & antequam victoria in alterutram partem inclinare incipiet, plurimos utrinque interfici poſſe: tamen hoc rurſus confiteri oportet, victoriam, tantam exiſtimationem afferre ſecum ei, qui illa potitur, hoſtibus vero tantum incutere terrorem, ut damnum interfectorum militum uberrime compenſetur. Itaq; vehemēter errat is, qui victorem exercitum facilius deleri poſſe cōfidit, eo quod in comparāda victoria vires imminuerit. Niſi enim eum tantis virib. invadas, quibus illū ante conflictū quoq;

 ſape-

ſuperatum iri credideris, ſtulte facies, quod is, qui ſemel victoriam obtinuit, exercitus, hoc ipſo & fortunatior, & fortior eſſe ſoleat. Apparuit id quoque in exercitu Latinorum cujus paulo ante fecimus mentionem. Nam cum Numiſii Imperatoris conſiliis perſuaſi, crederent Latini Romanorum exercitum, à quo victi fuerant, eo prælio vehementer fractum fuiſſe: ut victoriæ nomen tantum penes illum eſſet: fortunam utramque aciem æquali cæde afflixiſſe: atque hæc toto Latio jactarentur talia eſſe, ut ſi cum infeſto exercitu denuo redirent, Romanos nil minus, quam prælium expectãtes, perculſos inopinato adventu, facile oppreſſos iri. Sed falſa, vanaque fuiſſe eadem hæc conſilia, docuit eventus. Poſtquam enim collecto exercitu eos redire Romani cognoviſſent, obviam progreſſi, illos prius oppugnarunt, ac debellarunt, quam locum caſtris capere poſſent. Idemque ſibi polliceri poſſunt quicunque eaſdem occaſiones arripere, & exercitum victorem invadere audent.

Caput XXIII.

Populum Romanum in judicando omnia extrema ſpectaſſe, non intermedia voluiſſe.

Quod Livius inquit de populo Latino: eo deveniſſe illum, poſtquam bis cum Romanis prælio dimicaſſet: ut neque bellum, neque pacem pati poſſet: id nos in genere obſer-

ſervantes, pronuntiare debemus atque exiſtimare, eum miſerrimum eſſe rerum ſtatum, cum Princeps aut Reſpublic. quæpiam eo devenit, ut neque pacem ferre, neque bellum pati poſſit. Id vero tunc contingere ſolet, cum victis nimis duræ pacis conditiones proponuntur: ut eas dolore permoti aſpernentur: ad bellum autem tollerandum vires cum non habeant, ab iis auxilia implorare cogantur, in quorum poteſtatem mox venturi ſint. Cauſæ, quibus ad talem rerum ſtatum adducimur, ex malis conſiliis plerumque dependent, ut cum bella ſuſcipimus, aut alias res majores, quam pro ratione noſtrarum virium, attentamus, nec vires noſtras metimur. Id in Latinis apparuit, qui Romanorum pacta & pacis conditiones admiſere tunc, quando non oportebat: bellum vero indixere, cum pacem conſervare, ac quærere decebat: ut illis ex æquo pax atque bellum nocuerint. Vicerat illos primum Manlius Torquatus: eoſdem poſtmodum F. Camillus & debellavit, & plane afflixit. Nam omnes eorum urbes occupavit, præſidiis munivit: reverſuſq; in urbem, Senatui nũtiavit, univerſum Latium in populi Romani poteſtate eſſe. Quia autem memorabilis admodum, & obſervatione digna eſt Senatus, de populorum Latinorum tũc lata ſententia: idcirco copioſius de illa hîc diſſerendum putavi, ut in ſimilibus caſibus exemplum haberemus ad imitandum. Populus Romanus in decernendo, nil medium ap-

prehendit, ſemper ad extrema ſpectavit: quod ita imperandum cenſeret, ut ſubditi vel non poſſent nocere, vel non vellent. Nolunt autem tunc, cum beneficiis ſe affectos intelligunt, ita ut fortunam nullam ſuæ proponant. De populo Latino Camillus ad Senatum his verbis tulit. Dii immortales ita vos potentes hujus conſilii fecerunt, ut ſit Latium an non ſit, in veſtra manu poſuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet parere in perpetuum vel ſæviendo, vel ignoſcendo poteſtis. Vultis crudelius conſulere in deditos victoſque: Licet delere omne Latium. Vultis exemplo majorum augere rem Romanam, victos in civitatem accipiendo? Materia creſcendi per ſummam gloriam ſuppetit. Certe id firmiſſimum imperium eſt, quod obedientes gaudent. Sed maturato opus eſt quicquid ſtatuere placet, & illorum animos, dum expectatione ſtupent, præoccupare. Hæc cum conſul ita propoſuiſſet. Senatus ſecundum ejus ſententiam de ſingulis Latii populis decrevit, pro cujuſque merito: ita tamen, ut nil mediocre hic fieret: omnia extrema ſummaque eſſent. Quibuſdam enim nō modo pepercerunt, ſed eoſdem etiam multis beneficiis affecerunt, civitate donarunt, & multa alia jura, & privilegia conceſſerunt, ut nullam cauſam haberent, vel rebellandi, vel alias, quocunque modo, res novas moliendi. Quibus parcere noluerunt, iis oppida diruerunt, & omnis generis pœnas, ſuppliciaque impoſue-

poſuerunt. Nam dirutis mœnibus, eos agro ſpoliarunt, depulerunt, atque diſſiparunt, ut bellum amplius parare nulla ratione poſſent. Hoc fuit Patrum de populo Latinorum judicium omnibus ſapientibus principibus & obſervandum & imitandum. Quod ſi idem Florentini noſtri feciſſent, cũ anno ſalutis M. D. II. Aretium cum tota Gianenſi valle rebellaſſet: imperium ſuum confirmaſſent, & Rempublicam vehementer auxiſſent. Adjeciſſent enim Florentino agrum illum, qui unus deeſſe videtur, ad victum ſufficientem civibus ſuppeditandum. Sed illi mediam viam ingreſſi ſunt quæ in hujuſmodi judiciis, ſemper pernicioſa eſſe ſolet. Urbem enim conſervarunt: primates loco moverunt omnes, & antiquis dignitatum gradibus dejecerunt: aliquos in exilium expulerunt: nonnullos condemnarunt. Quod ſi qui tunc ſuaderent, dicerentque urbem eſſe evertendam, deſtruendamque: iis reſpondebatur, quod id nõ ſine dedecore, Florentinæ urbis, fieri poſſet: quod eo ſpectare videretur ac ſi Florentinorum potentia tanta non eſſet, quæ ad tutandam compeſcendamque Aretinam urbem ſufficeret. Erat autem hæc ratio ex earum numero, quę videntur veræ eſſe: ſed non ſunt. Nam eodem argumento probare poſſis: ne parricidam quidem ſupplicio afficiendum quoniam eo ſpectare videatur: ac ſi princeps, aut Reſpublica quæ ſupplicium de illo ſumit,

non eum alio modo cohercere queat. At cogitare oportebat eos, qui de hujuſmodi rebus ita judicant: Cum omnes ac ſinguli civitatis alicujus cives, tam graviter adverſus principem ſuum delinquunt, tunc, velut exemplo aliis eſſe queant, atque ita frenentur, ne amplius nocere queant, unicum remedium eſſe, ut tota civitas evertatur. Idque tunc principi honeſtiſſimum eſſe, ſi ita punire noverit eam, ne amplius nocere poſſit: non autem ut mille periculis illam conſervare conatus fuerit. Nam quicunque princeps, eos qui adverſus ſe tam vehementer peccant, non ita punire novit, ut deinceps non poſſint amplius peccare: is ſtultus & ignorans eſſe merito creditur. Ad idem id, quod jam docuimus comprobandum, pertinet & aliud populi Romani judicium, quo de Privernatibus pronuntiarunt: Ex quo non modo diſcere poſſumus, ad extrema in hujuſmodi judiciis ſpectare oportere, & ſubditos tam graviter delinquentes, vel plane tollendos, vel beneficiis afficiendos eſſe: verum etiam quod magnitudo animi, & libertas orationis, coram viris ſapientibus, in hujuſmodi cauſis plurimum reis prodeſſe queat. Cum in Senatu de Privernatibus caſtigandis deliberaretur, qui defeciſſent, & per vim rurſus ſub Imperium redacti fuiſſent: & prout cujuſque ingenium erat, aliis atrocius, aliis mitius ſuadentibus: tum ex Legatis unus interrogatus à quodam, qui triſtioris ſententiæ autor erat, quam pœnam meritos Priverna-

vernates cenſeret? Eam inquit, quam merentur qui ſe libertate dignos cenſent. Ad quod reſponſum Conſul, ut mitius ab eo extorqueret aliud: Quid ſi pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiſcum habituros ſperemus: Si bonam dederitis, inquit, & fidam, & perpetuam: ſi malam, haud diuturnã. Tum vero, etſi quidam hæc aliter interpretarentur, melior Senatus pars ad meliora reſponſa trahere, & dicere, viri, & liberi viri vocem auditam. An credi poſſet, ullum populum, aut hominem, diutius, quam neceſſe ſit, in ea, cujus eum pœniteat, conditione manſurum: Ibi pacem eſſe fidam, ubi voluntarii pacati ſint: neque eo loco, ubi ſervitutem eſſe velint, fidẽ ſperandam eſſe. In hanc ſententiam cum & Conſul & principes ſententiarum conſulares, inclinarent: eos demum, qui nihil præterqnam de libertate cogitarent, dignos eſſe aſſerebant, qui Romani fierent. Itaque & in Senatu cauſæ obtinuere; & ex autoritate patrum, latũ ad populum eſt, ut Privernatibus civitas daretur. Uſque adeo ſcilicet egregiis, ac ſapientibus viris placuit, liberrimũ ingenui viri reſponſum: ut qui facile intelligerent, ſi aliter reſpondiſſet, non tam quod res ipſa erat, fuiſſe dicturum, quam quod præſenti rerum ſtatui, fortunæque ſeſe accommodare voluiſſet. Id enim certe de hominibus ſentire oportet, qui aliter in hujuſmodi caſibus, & dicere, & promittere ſolẽt, quam vitæ illorum conditio & conſuetudo ferat: qua-

re decepti, qui cum illis fœdera & amicitias contrahunt, perſæpe multis motibus occaſionem præbent. Quæ cum ita ſint, id quod in principio hujus diſputationis propoſuimus, ex utroque adducto jam exemplo confirmamus: cum de præpotẽte aliqua civitate, populo, aut principe ſtatuendum eſt: non mediam viam ingredi oportere, ſed ad extrema enitendum, & aut beneficiis eos afficiendos, devinciẽdosq; eſſe aut omnino opprimendos. Qui aliter ſtatuat, erraſſe demum ſeſe intelliget: perinde ut etiam Samnitibus accidit: qui tot cives Romanos ad Furcas Caudinas concluſos, ac propemodum vinctos, cum haberent: neque eos necarunt, neque beneficiis affecerunt, quod tamen prudens ille ſenex faciendum ſuadebat: ſed mille contumeliis affectos, armis ſpoliatos, & ſub jugum miſos dimiſerunt. Ex quo factum, ut paulo poſt errorem ſuum agnoverint non ſine magno detrimento: ut ſuo loco docebimus.

Caput XXIIII.

Arces, & loca munita, in genere conſiderata, plus nocere ſuis autoribus, quam prodeſſe.

Mirum forte cuipiam videatur, cum victi debellatique Latii populi, toties rebellarent: cur populus Romanus, ad eos in officio continendos compeſcendoſq; non arces aliquas, aut Priverni aut in aliis eorũ civitatibus

conſtru-

conſtruxerit: ſecus enim certe fecerunt, quam Florentini noſtri faciendum putent, qui exiſtimant ipſas, cæteraſque civitates, arcibus compeſcendas eſſe. Equidem ſi populus Romanus noſtris hominibus ſimilis fuiſſet, perinde feciſſet, ut noſtri. Sed quia in eo alia virtus, alia potentia, & aliud de rebus judicium inerat, idcirco aliter faciendum putavit: nec libera exiſtente Republica unquam vel ad urbes compeſcēdas, vel ad provincias defendendas, arces aliquas extruxit: ex iis tamen quas conditas ab aliis occupavit, aliquas conſervavit. Quæ cum ita ſint, ac longe aliter ſentire videantur noſtri temporis principes: idcirco non ab re facturum putavi, ſi quærerem hoc loco, utiles ne an inutiles, ſint autorib. ſuis, tantæ moles? Cujus diſputationis hoc principium eſto, quod arces extrui ſoleant, vel ad arcendos hoſtes, vel ad ſubditos compeſcendos, & in officio continendos. Ego vero pronuntio, ad priorem uſum eas neceſſarias non eſſe, ad poſteriorem inutiles, & noxias exiſtere. Ad compeſcendos ſubditos noxias arces exiſtimo, quoniam rebellionis periculum, quod metuitur: oriri ſoleat ex odio ſubditorum adverſus dominos concepto: odere autem principes, dominosque ſuos ſubditi propter acceptas injurias: principes injuriis afficere ſolent ſubditos, eoſque male tractare tunc maxime, cum ſe illis pro arbitrio dominari, eos domare, ac compeſcere pro animi libidine poſſe ſperant. Id vero tunc potiſ-

Arces duplici de cauſa extruī.

ſimum

ſimum cogitant ſperantque, cum in medio illorum ingenti malo extructas habuerint arces munitiſſimas: quod adverſus eas neminē quicquam auſurum credant Quæ cum ita ſint, nō inutiles modo ſunt arces hujuſmodi, ad continendos in officio ſubditos: ſed etiam noxiæ, cum iis, plus quam conveniat, confidentes principes, ſubditos male tractandi plectendiq; occaſionem arripiant, eoque odium illorum adverſus ſeſe concitant: ex quo rebelliones, cædes, & infinita mala dependent. Sed neque, cum bella ingruunt, tantam vim habent arces, quantam illis attribuere homines ſolent. Duo enim ſolum ſunt modi, ſubditos per vim in officio continendi, compeſcendique. Alter ut in promptu habeas exercitum egregium, ut populus Romanus habebat, quo motos liceat cōponere fluctus. Alter ut rebelles plane deleas extirpeſq; ne amplius deficere, aut arma adverſus te capere queant. Nam ſi bona illorum diripias: ſpoliatis arma ſuperſunt. Si arma quoq; ademeris: furor arma miniſtrat. Si ducibus interemptis, cæteris vitæ uſum concedas: renaſcentur ſubinde alii duces, veluti Hydræ Lerneæ capita. Si arces habueris tempore pacis audaciorem, iniquioremq; te erga ſubditos efficient: bello adveniente, cum ab hoſtibus, tum ſubditis tuis oppugnabuntur: nec fieri poterit, ut utriſque reſiſtas. Quod ſi unquam inutiles fuere arces ad compeſcendos ſubditos: noſtra profecto ætate non inutiles tantū, ſed etiam

am pernitioſæ ſunt propter bellicarum machinarum uſum, quarum impetum neque arces, neque ulla loca exigua ſuſtinere poſſunt: quod ad illas ſuſtinendas ſubinde retrocedere oporteat: & ruinas murorum ab iis factas, novis foſſis intrinſecus aggeribuſque compenſare. Hæc cum ita ſe habeant, expende porro, num per hujuſmodi arces compeſcendus ſit populus, qui jam ante ditionis tuæ fuerit, an qui nuper imperio tuo ſit adjectus? Certe enim ſi principatum à majoribus acceptum poſſideas: arces ad ſubditos in officio continendos, non proderunt: propter cauſas jam ante explicatas: cum audaciorem te & poſteros tuos efficiant, ad inferendas populo iniurias: ac proinde exponant te illorum odio: nec poſſint te poſtmodum defendere: propter haſce ergo cauſas, & ne vel ipſe, vel ejus hæredes, occaſionem habeant, tyrannidem exercendi, ſed populi benevolentiam ſibi conciliare conentur, ſapiens princeps arces nunquam extruere debet. Quod ſi Franciſcus Sfortia, qui vir ſapiens fuiſſe exiſtimatur, occupato imperio Mediolanenſi, tamen arcem condidit: non propterea in ea re ſapienter fecit: quod illa arx poſteris ejus pernitioſa fuerit. Ea enim ſe tutos eſſe poſſe ſperãtes cives variis injuriis affecerunt: ex qua re, tantum ſibi odium conflarunt, ut primo hoſtis adventu, principatum amiſerint. Quamobrem belli tempore, illos ab impetu hoſtium defendere non potuit: pacis tempore illos inſolentes

tes iniquoſque fecit, & odio populi expoſuit. Quod ſi illa arce caruiſſent, & nihilominus inſolentia illa uſi eſſent erga ſubditos: longe prius experiri potuiſſent quorundam civium, injuria affectorum, malevolentiam, quam omnium odium in ſe conciliaſſent: atq; ita cognito errore, meliores fieri potuiſſent, & ſubditorum animos reconciliare. Quod ſi conciliatos ſibi ſubditorum animos habuiſſent: longe melius Gallorum impetum, abſque arce ſuſtinuiſſent: quam infenſis civium animis, ea ad propellendum hoſtem juvari potuerint. His accedit quod arces facile amittantur, vel fraude eorum, qui illis præficiuntur, vel hoſtium vi, vel fame, & longa obſidione. Quod ſi amiſſam quampiam urbem, arcis ope, quæ ſola in fide permanſerit, recuperare velis: exercitu nihilominus opus habes, perinde, ac ſi arcem non haberes, & quidem tanto majori, quanto veriſimilius eſt, cives magis infenſos tibi eſſe ob injurias ex arce acceptas, quam fuiſſent futuri, ſi arce caruiſſes. Experiētia ipſa docuit Mediolanenſem arcem, neq; Sfortianis, neq; Gallis tempore belli, quicquā profuiſſe: pacis tempore vehementer nocuiſſe: quod utrique tanti operis moli confidentes, non cogitarint de humaniori aliqua ratione conſervandi illius principatus. Guido Ubaldus certe, Fœderici Uibini ducis filius, rei militaris peritiſſimus: poſtquam imperio pulſus fuiſſet, à Cæſare Borgia Alexandri VI. filio, idemq; Imperium poſtmodum

dum ex caſu quodã recuperaſſet: omnes arces atq; propugnacula illius demolitus eſt. Nam quia benevolos ſubditos habebat, ad eos compeſcendos iis opus non habebat: adverſus hoſtes: illas ſine exercitu defendere ſe nõ poſſe videbat. Julius Pontifex pulſis Bononia Bentivolis, arcem ibi condidit: cujus præfectus cum partim Pontificis juſſu', partim propria malitia, à nullis injuriis abſtineret: Bononienſem populum uſq; adeo irritavit, ut rebellarit, & arcem quoq; illi ademerit. Nicolaus Caſtellanus Vitelliorum pater, in patriã, qua pulſus à Pontificibus fuerat, reverſus: binas arces, quas Sixtus IIII. Pont. ibi extruxiſſet, demolitus eſt: quod exiſtimaret populi benevolentiam fore ſibi munitiſſimam arcem, ad principatum conſervandum. Id vero & recentiſſimum, & evidentiſſimum exemplum eſt, ad demonſtrandum, inutilem eſſe arcium ſtructuram, ruinam eandem utilem: quod Genuæ accidit, ante paucos annos. Novimus enim poſtquam ea urbs, anno ſalutis M. D. VI. à Ludovico Galliæ Rege defeciſſet: iſq; cum magno exercitu ad eam recuperandam in Italiam veniſſet: recuperata urbe, condidiſſe Regem ingentis molis arcem, quantam nullã eo tempore fuiſſe conſtat. Nam & loci natura, & arte inexpugnabilis videbatur: Godefæ promontorio ſuper mare eminenti, inſidebat, ut illinc portus uniuerſus, telis feriri poſſet, & magna etiã urbis pars. Nihilominus tamen, cum deinde anno Domi-

ni

ni M. D. XII. Galli omnes Italia pellerentur, Genua quoque arcem nihil formidans, ad Octavianum Fregoſium defecit, qui illam obſidione cingens, ſedecim menſium ſpatio, fame coactam, ad deditionem compulit. Poſtquam eam Fregoſius occupaſſet, omnium conſiliis, qui ſuadebant, ut illã tanquam refugiũ quoddam conſervaret, contemptis, funditus diruẽdam curavit: exiſtimavitque populi benevolẽtiam, virtutemq; ſuam, melius fore fundamentum imperii ejus, quo etiamnũ potitur, quam ullas arces, aut propugnacula. Neque vero ſpe ſua fruſtratus eſt. Nam cum ante Genuenſes, mille peditibus adjuti, ſæpe ad alios, atque alios principes defecerint: à Fregoſio ut rebellarent, ne à decẽ millibus cogi potuerũt. Quamobrem manifeſte licet hinc cernere, arcis illius deſtructionem, Fregoſio nil nocuiſſe: ſtructuram, Galliæ regem defendere nequiviſſe. Cum exercitu enim, antequã arx conderetur, amiſſam urbem facile recuperavit: poſtquam arcem condidiſſet, eamq; firmo præſidio muniviſſet, urbem tamen abſque exercitu, ſolius arcis auxilio, recuperare non potuit: ex quo ſequitur, ſumptuoſam illius arcis ſtructuram, Regi fuiſſe magna cum infamia amiſſam, & à Fregoſio eandem ſingulari virtute occupatam demolitamque Eadem ratio eſt earum arcium quoque, quas cõdere ſolent Reſpublicæ in urbibus nuper occupatis, ad cives illos in officio continendos. Id enim ſi ex adducto jam Genuen-
ſium

ſium exemplo, minus ſit manifeſtum, ex Florentinorum Piſanorumque arce notius evadet. Nam cum Piſas toties rebellantes Florentini vidiſſent: exiſtimarunt extructa arce ſe illas cõpeſcere poſſe: parum animadvertentes eam urbem, quæ libera eſſe conſuevisſet, & Florentinorum nomini ſemper infeſta fuiſſet, non poſſe alia ratione in officio contineri, quam ſi Romanorum more, eam aut in ſocietatẽ ſuam recepiſſent, aut plane deſtruxiſſent. At quid arces illis profuerint ad inſtitutum finem, ex Caroli Galliæ Regis adventu apparuit, cui ſtatim traditę ſunt, ſive præfectorum deſidia, ſive majoris mali metu. Si illas Florentini prius non condidiſſent, neque illis tantum tribuiſſent, ut per illas conſeruari urbem poſſe putarent: de alio utique modo cogitaſſent, quo urbis imperio non tam facile à Rege ſpoliari potuiſſent. Ex quibus omnibus colligimus, arces, ad continendum in officio paratum imperium, pernitioſas eſſe: ad compeſcendas urbes, nuper bello comparatas, inutiles. Sufficere autem debet nobis Populi Romani autoritas, qui ſi vellet urbes aliquas per vim compeſcere, atq; frenare, nil novi in illis extruebat, ſed & mœnia illorũ, & cætera propugnacula diruebat. Quod ſi quis nobis objiciat, aut olim Tarentum: aut ætate noſtra Brixiam, per arcem recuperatam, poſtquam incolæ defeciſſent: Reſpondeo ad recuperandum Tarentum arcem nequaquam ſuffeciſſe: quod ad id occupandum Q. Fabius con-

conſul cum maximo exercitu miſſus fuerit: cum quo proculdubio id expugnare potuiſſet: etſi nullam arcem illic habuiſſent. Quid igitur arx populo Romano profuit, ſi nihilominus exercitu conſulari indigebat, ad urbem recuperandam? Capuæ nullam habebant arcem Romani, eandem tamen urbem exercitus virtute recuperarũt. In Brixienſis urbis rebellione, novum ac rarum quiddam accidit. Nam raro evenire ſolet, ut deficiente urbe, qui in arce ſunt, ac in fide permanent, vicinum habeant exercitum: cujus opem implorare queant. Deficientibus Brixianis, erat Foiſſeus princeps Bononiæ cum exercitu regio: eaq; re per celeres nuntios cognita, ſtatim ſe itineri accinxit: ac tertio die eo perveniens, arcis auxilio urbem recuperavit. Ergo neque Brixia per ſolã arcem recuperari potuit, ſed regio exercitu opus habuit: nec ſi ea ſola recuperari potuiſſet: poſſet hoc unum exemplum, tot veterum contraria exempla infringere, cum ſciamus, vel ætate noſtra, propemodum infinitas arces captas, amiſſas, rurſuſque occupatas, non majori difficultate aut fortunæ varietate, quam alia quælibet loca & occupantur, & amittuntur: idque factum eſſe novimus per Galliam Ciſalpinam, Æmiliam, regnum Neapolitanum, univerſamq; Italiam. Illæ arces autem, quæ ad propulſandos exteros hoſtes extruuntur, & ad populi Imperiique tui defenſionem: ne illæ quidem ſunt neceſſariæ: Et ſi viris fortibus ac ſtrenuis

nuis militibus abundes, non modo neceſſariæ non ſunt, ſed prorſus inutiles. Nam ſine exercitu nil proſunt: egregius exercitus abſque arcibus te defendere poteſt. Id experientia ipſa ſatis intellexerunt, quicunque vel in politicis, vel bellicis artibus excelluerunt, veluti Romani, Spartanique, quorum illi nullas arces unquam ædificarunt: hi ne mœnia quidem circa urbes ab ſeſe occupatas, habere volebant: ſolam militum virtutem, propugnacula eſſe credebant. Quo factum ut Spartanus quidam interrogatus, num Athenienſis urbs pulchris mœnibus inſtructa videretur? reſpondit, perinde ac ſi à mulieribus habitaretur. Ei ergo principi, qui bonum habet exercitum, prodeſſe queunt ſolummodo arces aliquæ in finibus imperii, locis præſertim maritimis poſitæ, ad ſuſtinendos hoſtes per dies aliquot, donec exercitus inſtruantur: ſed neq; hæ quidem ei neceſſariæ exiſtunt. Si careat forti exercitu, arces in finibus imperii aut nil proſunt, aut etiam nocent. Nam facile amittuntur: & ubi hoſtis illas occupaverit, adverſus te iis utetur. Quod ſi quas tam fortes munitaſque arces eſſe concedas, ut occupari nequeant: pergit tamen nihilominus hoſtis, hiſce poſt ſe relictis: quod potentiſſimi exercitus, hoſtium fines invadant excurrantq; nulla habita ratione vel urbinm, vel arcium munitiſſimarum, quas à tergo relinquant. Et conſtat hoc ita ſe habere, cum veteribus, tum novis exemplis; Franciſcus Maria ante pau-

cos annos Urbinum invaſit, nec quicquam curavit, quod poſt ſe decem urbes omnes ſibi infeſtas reliquiſſet. Quicunque ergo princeps potentem exercitum habet, facile carere poteſt arcibus: qui eo caret, non debet arces extruere, ſed urbem in qua habitat, quam maxime poteſt communire, & cives armis inſtruere: ut adventantium hoſtium impetum aliquandiu ſaltem poſſit ſuſtinere, donec vel cum eo paciſcatur, vel exteros in auxilium advocare queat. Quæcunq; præterea ædificantur arces, ac propugnacula, pacis tempore nimiis ſumptibus aggravāt cum principes, tum ſubditos: tempore belli nihil proſunt. Ut igitur cæteris in rebus, ſumma prudentia Senatus populi Romani omnia adminiſtrabat, ita hic quoque ſapienter fecit, quod victos debellatoſq; Latinos, ac Privernates, non arcibus quibuſdam compeſcendos exiſtimavit, ſed alia commodiori, ac virtuti magis conſentanea ratione, in officio continendos.

CAPUT XXV.

Urbem inteſtinis diſſidiis laborantem invadere, atq; occupare velle, dubium eſſe ac periculoſum conſilium.

CUM inteſtinis diſſidiis Reſpub. laboraret, ob patrum cum plebe contentiones Vejentes cæteriq; Hetruſci oblatam ſibi occaſionem putabant, opprimendi populi Romani, collectiſq; quam maximas poterant, copiis agro

agros Romanorum excurſionibus vaſtabant. Senatus itaque multis injuriis, opprobriiſque laceſſitus, cum plebe in gratiam rediit, initaq; concordia, adverſus Vejentes Cn. Manlium & M. Fabium Imperatores delegit: qui poſtquam ad eos cum exercitu appuliſſent, prælio commiſſo illos vicerunt fregeruntque. Quo loco decet obſervare, quam proclives eſſe ſoleamus ad errandum, in rerum magnarum cõſultationibus, arripiendiſque occaſionibus, atque conſiliis. Exiſtimabant Vejentes, ſi Populum Romanum, inteſtinis diſſidiis laborantem, invaderent, poſſe eum vinci, atque deleri: ſed hoc ipſo conſilio, ejus diſcordias ſuſtulerunt, & infenſos civium animos reconciliarũt. Neque id immerito ſane, quod otium plerumque diſcordiis civilibus occaſionem præbere ſoleat: belli metus, concordes civium animos efficiat. Quod ſi prudentiores fuiſſent Vejentes, à bello abſtinuiſſent, & Rempublicam diſcordiis civilibus laborantem, non armis, ſed aliis artibus opprimere potuiſſent. Modus autem qui in hujuſmodi caſibus ſervari ſolet, talis eſt, ut te velut arbitrum interponas ad conciliandas diſcordias, & utrique parti favere te ſimules, donec ad arma perveniant. Cum ad arma ventum fuerit, parti, quæ debilior videtur, lenta quædam auxilia ſuppeditare, & ne diſcedant ab armis, ſed magis magiſque ſeſe mutuo conficiant, auxiliorum ſpe ſubinde fovere, magna auxilia neutri parti ſuppeditare, ne

forte dolũ ſubeſſe animadvertant. Hęc res diligenter tractata, ad propoſitum finem profecto te facile deducet. Nam feſſæ tandem partes, arbitrio ac voluntati tuæ ſeſe committent. Hiſce artibus rediit in Florentinorum noſtrorum poteſtatem civitas Piſtola, de qua ante quoque fecimus mentionem. Nam cum inteſtinis diſſidiis laboraret, ut Florentini modo huic, modo illi parti favere viderentur, neutri tamen moleſtiam crearent: eo deduxerunt, exiguo temporis ſpatio cives illius, ut pertæſi tot diſcordiarum, moleſtiarumque, ſponte ſe ſe ambæ partes, in Florentinorum poteſtatem traderent. Senenſium civitas, nunquam Reipub. formam mutavit, ob inteſtina diſſidia, niſi tunc, cum lenta auxiliorum ſpe partes è Florentinis fovebantur: ſi quando firma auxilia in promptu eſſe cernebant: mox inita concordia urbem muniebant. Unum adhuc adjiciam, & quidem evidentiſſimum exemplum. Philippus Vicecomes Mediolani dux, Florentinorum Rempub. inteſtinis diſſidiis laborantem ſæpe bello petiit, ſperabatque iiſdem hiſce diſcordiis civium, poſſe eam à ſe opprimi: ſed nunquam illi res ex animi ſententia ſucceſſit: qua de cauſa, cum ſępe cum amicis conquereretur: dicere ſolebat, ſe ineptiis Florentinorum adductum eo, ut viginti centena millia aureorum nummûm fruſtra expenderit. Quæ cum ita ſint, ſic exiſtimare debemus, ut quemadmodum Vejentes, Hetruſcoſque falſos eſſe videmus, eo quod Romano-

manorum Rempub. ab ſeſe opprimi poſſe putabant, ob inteſtina civium diſſidia: ita cæteris evenire prænuntiemus, qui ſimili de cauſa opprimi, aut Rempub. aut populum quempiam, poſſe ſperant.

CAPUT XXVI.

Qui contemnit ac parvi facit alios, in eorum odium incurrit, nec utilitatis quicquam ex hoc contemptu conſequitur.

SUMMÆ prudentiæ officium æſtimo, ſi à minis injuriiſque abſtinere queas, præſertim iis, quæ verbis contumelioſis fiunt. Neutrum enim horum, debiliorem hoſtem tuum efficere poteſt: cum tamen minæ eundem cautum magis, contumeliæ infenſum, ferocemque reddant, ac vindictæ cupidiſſimum. Id ita ſe habere, vel exemplo Vejentium conſtat, de quibus ſuperiori capite diſputavimus. Nam cum non ſolum inferendo bellum, facerent injuriam: ſed contumelias etiam ac probra inſuper ingererent: ita Romanum militem inflammarunt, ut qui pugnam prius detrectaret, contumeliis laceſſitus, nolentibus ducibus dimicare voluerit. Eſt autē hoc, vel imprimis obſervandum, ſapienti Imperatori, ne vel ipſe, vel ſui, opprobria in hoſtē ingerant, aut eum contemnant: quod hac ratione eum non lædant, ſed ad vindicandum inflamment. Videntur enim contumeliæ tela eſſe, quæ autores ſuos

maxime feriant. Memorabile eſt hujus rei exẽplum, quod in Aſia accidit, cum Mida à Gabade Perſa oppugnaretur. Poſtquam enim diu urbem obſediſſet, nec quicquam præſtitiſſet, decreverat ab obſidione diſcedere: ſed cum illinc cum exercitu jam caſtra moturus eſſet: & Oppidani id cognoviſſent: omnis generis contumelias, & opprobria in eum ingerebant. Ob quam cauſam, Gabades irritatus, conſilium mutavit, & urbem gravius, quam unquam obſidens, eam paulo poſt expugnavit, & militibus in prædam conceſſit. Idem plane Vejentibus accidit, qui cum arma populo Romano inferrent: ſimul etiam ei exprobrabant civiles diſcordias: & uſque ad vallum portaſque caſtrorum accedentes, probra ingerebant. Hiſce vero quid aliud effecere, quam quod militum animos, prius adverſus patricios inflammatos, adverſus ſeſe concitarunt? Uſque adeo ſcilicet, ut qui prius, neque patribus, neque conſulibus ſucceſſum vellent: pro eorum ſalute poſtea jurarint atque pugnaverint? Neque in Republica igitur, neque in bello, ferre debent prudentes moderatores, hujuſmodi contumelias, ſive in hoſtes, ſive in cives jactentur. In hoſtes enim conjectæ, pariunt ea, quæ diximus incommoda: in cives adhuc ſunt deteriores, quod non detur talis vindictæ ratio inter illos, ut adverſus hoſtes datur. Id obſervari ſolitum à populo Romano novimus. Nam cum Legiones illæ, quæ Capuæ in hybernis relictæ adverſus

Rem-

Rempublic. conjuraſſent, à Valerio Corvino placarentur: cautum fuit, inter cætera, etiam hoc: ne cuiquam eorum iſtud unquam opprobrio objici poſſet. Tiberius Gracchus ſervorum, quos Reſpublic. ob acceptas ab Annibale clades, armare cogebatur, Dux electus: ſtatim interdixit cæteris militibus ſub magna pœna, ne quiſquam iis ſervitutem exprobraret: uſque adeo in id incubuere ſemper Romani, ne cuiquam contumeliæ, & convicia objicerentur, quod nihil ſit, quo hominum animi tantopere offendantur, ſive joco, ſive ſerio objiciantur. Nam ut ille inquit: Facetiæ aſperæ, quando nimium ex vero traxerunt, acrem ſui memoriam relinquunt.

Liv. lib. 7.

CAPUT XXVII.

Prudentes Imperatores, & Rerumpublicarum moderatores, contenti debent eſſe victoria, ne ſæviendo in victos, illius fructum perdant.

CONTUMELIÆ in hoſtem conjici ſolent ab iis, qui inſolentes ſunt, ob falſam victoriæ ſpem, quæ tantopere ſolet homines inflare, ut non dictis modo, ſed rebus ipſis quoque ſæpe vehementer delinquant: uſqueadeo, ut propter incertam ſpem boni, præſentem certamque occaſionem negligant, magno cum detrimento. Hac autem in re, cum ſæpenumero peccetur ab hominibus: exemplis cum antiquis tum recentibus explicandum exiſti-

mavi, quantum interſit Reipublicæ ut rerum bene geſtarum, gerendarumque occaſiones non negligantur. Annibal, poſt Cannenſem pugnam, Magonem fratrem Carthaginem miſerat, ut res ab ſeſe in Italia geſtas Senatu nuntiaret, peteretque ut ſupplementum copiarum, quæ eſſent in eo prælio imminutæ, mitteretur, cum pecunia frumentoque in ſtipendium militibus, tam bene de nomine Punico meritis. Cum igitur in Senatu diſputaretur de eo, quod facto opus eſſet, Hanno vir ſenex gravis ac prudens, omnibus modis ſuadebat, ut Carthaginenſes hujus victoriæ occaſione uterentur, ad pacem cum Romanis, æquioribus conditionibus, faciendam: ne ſi fortuna poſtmodum variaret, iniquioribus eam petere cogerentur. Sufficere enim debere Carthaginenſibus, ſi hac tanta victoria oſtenderint Populo Romano, talia eſſe Punica arma, quæ ei reſiſtere atque eum oppugnare poſſint: contentos tali victoria eſſe oportere: neque majoris alicujus incerta ſpe, hanc in periculum adducendam eſſe. Hoc conſilium Carthaginenſibus non placuit: ſed poſtmodum cum variante fortuna ipſi à pop. Romano victi, ac tributarii facti eſſent, errorem ſuum facile agnoverunt. Simile accidit Tyriis, quorum urbs olim opulentiſſima, ac celeberrima erat, in mari ipſo ſita perinde ut noſtra ætate civitas Venetorũ. Nam cum Alexandri res geſtas intelligerent, & univerſum Orientem ab illo occupatum ſciren-

Liv. lib. 23.

leg-

legatos ad illum miſerunt, ut pacem ab illo poſtularent, certis conditionibus: inter quas illa quoq; erat, ne vel ipſum Alexandrum, vel ejus militem, in urbem recipere cogerentur. Eas conditiones cum Alexander repudiaſſet, & ægre ferret ſibi à Tyriis portas claudi, quas univerſus probe orbis aperuiſſet, Tyrum obſedit. Sed cum urbs munitiſſima eſſet, & commeatu inſtructa, ut longam obſidionem ferre poſſet: decrevit Alexander quarto obſidionis menſe, cum iis paciſci, & conditiones primum ſibi oblatas acceptare: quod cerneret plus temporis in unius urbis expugnatione inſumendum, quam ad gloriam ſui nominis illuſtrandam, ex uſu eſſe videretur. Sed Tyrii inani ſpe victoriæ decepti, non modo pacta acceptare amplius noluerunt, quæ ipſi primum Alexandro obtuliſſent: ſed contra jus gentium, legatos, qui de pace agerent, necarunt. Ob quam rem indignatus Alexander, urbem majoribus viribus obſedit, expugnavit, ac funditus delevit, cæſis omnibus, qui in ea eſſent. Anno Servatoris noſtri 1212. ingreſſus eſt Florentinorum agrum, Hiſpanorum quidam exercitus, à quibuſdam Florentinis conductus, ad Mediceos reſtituendos, & mulctandos pecunia cives. Cum autem iidem Florentini, à quibus conductus erat, promiſiſſent, ſe mox arma capturos in urbe, poſtquam eum in propinquo eſſe cognoviſſent, nec tamen id ab illis præſtaretur: decrevit hic exercitus cum Florentinis paciſci.

Sed ii ſuperbia quadam inflati, conditiones propoſitas acceptare noluerunt: ex quo factum, ut Hiſpani magis inſtantes, Pratum occuparint, & deinde interitum totius Reipublic. accelerarint. Quæ cum ita ſint, nulla in re gravius peccant principes, quam ſi renuant omnes pacis conditiones, tunc, cum bello petuntur ab aliquo longe potentiori, quam ipſi ſint: præſertim ſi deferantur ab adverſario. Nunquam enim tam iniquæ conditiones deferuntur, quin aliquid boni habeant, & in quo, tu viciſſe videri queas. Tyriis ſufficere debebat, quod Alexandrum, tantum Imperatorem eo adduxiſſent: ut conditiones prius ſpretas admitteret: in eoque armis ſe multum præſtitiſſe, ac viciſſe. Florentinos quoque contentos eſſe oportuit, quod Hiſpanicum exercitum compuliſſent, ut de iis, quæ ſibi propoſuerat, remittere quædam cogeretur. Cupiebat ille & Reipub. formam mutare, & ab amicitia Gallorum urbem abſtrahere, & pecunia mulctare: quod ſi, in iis pactis, primum ſibi reſervare ac defendere potuiſſent, in reliquis duobus aliquid conceſſiſſent: honeſta pactione & urbi & exercitui proſpectum fuiſſet. His populum Florentinum contentum eſſe oportuit, nec incerta majoris victoriæ ſpe, omnes ſuas vires in ſummum diſcrimen adducere: quod id nullus ſapiens faciat, niſi urgente ſumma neceſſitate. Longe prudentius certe Annibal, cum ex Italia Carthaginem vocaretur, egit. Nam etſi ſe-

decim

decim annis fœliciſſimum bellum in Italia geſſiſſet, multis victoris potitus fuiſſet: talem etiam exercitum ſecum haberet, qui integris viribus,& præſtanti milite conſtaret: tamen cum videret fractos Syphacis, atque Aſdrubalis exercitus, Numidiæ regnum amiſſum, Carthaginenſium mœnia propemodum clauſa, & exercitum ſuum, unicum eſſe patriæ, extremumque refugium: exiſtimavit prius de pace cum Scipione ſibi agendum, quam extremum illud refugium fortunæ periculo committendum. Tũc demum enim, cum pacem impetrare non poſſet: ad extremum hoc remedium veniendum eſſe, ut ſi quæ fortuna aſpiraret, vincere: vel ſaltem dimicando fortiter occumbere liceret. Quod ſi igitur Annibal, tantus Imperator, antequam prælio decertaret, pacem talem expetivit, qua Patriæ libertas amittebatur: quid faciendum eſſe exiſtimamus iis, qui nec militari diſciplina, nec experientia, nec viribus, Annibali æquales ſunt? Sed hæc etſi omnino ita ſe habeant: homines tamen incerta, atque infinita quadam ſpe, decipi ſolent, & ad res ſperatas animum intendentes, ruinam ipſi ſuam moliuntur.

Caput XXVIII.

Quantum interſit Reipublicæ ut injuriæ puniantur, ſive publice ſive privatim illatæ fuerint?

Quibus cauſis magnopere indignentur

homines, & ad vindictam accendantur: apparere poteſt ex iis, quæ populo Romano contigere, poſtquam tres Fabii, contra jus gentium, pugnaſſent adverſus Gallos. Nam cum Galli tum cæteris Hetruſcis tum Cluſinis maxime pararent bellum: & hi auxilium à Romanis petiiſſent: legati tres M. Fabii Ambuſti filii, miſſi ſunt, qui Senatus populique Romani nomine agerent cum Gallis, ne Cluſinos populi Romani ſocios, à quibus nullam injuriam accepiſſent, oppugnarent. Legati poſtquam mandata in conſilio Gallorum edidiſſent: nec ii in ipſorum præſentia, à pugna abſtinerent, ipſi quoque arma capiunt, & cum Hetruſcis conjuncti, Gallos fortiſſime oppugnant: uſque adeo ut eorum unus, Gallorum ducem, ferociter in Hetruſcorum ſigna incurſantem, haſta occiderit. Sed cum legentem ſpolia occiſi, Galli agnoviſſent eſſe Legatum Romanum: idque per univerſam aciem innotuiſſet: receptui cecinere; odiumque, quod eo uſque exercuiſſent adverſus Cluſinos, univerſum in Romanos converterunt. Id odium deinde tanto magis crevit, quod cum Legatos Galli Romam mitterent, queſtum de injuriis, poſtulatumque, ut pro jure Gentium violato, Fabii dederentur: non modo id præſtitum à pop. Romano non eſt: ſed iidem Fabii, de quorum pœna agebatur, tribuni plebis, conſulari poteſtate, in ſequentem annum creati ſunt. Quo facto, haud ſecus, quam par erat, infenſi Galli, bellum adverſus

Liv. lib. 5.

Roma-

Romanos propalam ſuſceperunt, & ſubito urbem univerſam, ſolo Capitolio excepto, occuparunt. Ex quo ſequuta Reipubl. ruina eſt ob unicam illam cauſam, quod Senatus, illatam Gallis, contra jus gentium, injuriam, ab legatis ſuis, non modo non puniviſſet: ſed præmiis affeciſſet. Eſt igitur vel in primis obſervandum in gubernatione Reipu. ne injuriæ inferantur, vel publicè, vel privatim, & ſi quæ illatæ ſunt, ne impunitæ relinquantur. Nam & privatus homo, cui magna injuria facta eſt, eam vindicare conatur: niſi ab iis puniatur à quibus puniri debet. Uſque adeo autem naturę hominum inſidet hæc vindictæ cupiditas, ut conentur injurias vindicare, vel cum patriæ ruina, ſi in libera Repu. vivant: ſi degant ſub Imperio principis alicujus: etiam cum propriæ vitæ periculo idem tentant: Atque id ii maxime cordi habent, quotcunque animi magnitudine quadam excellunt. Apparet id luculentiſſime, vel ex Philippi Macedonum Regis exemplo. In cujus aula vivebat Pauſanias, nobilis juvenis, & forma præſtantiſſimus, cui per vim ab Attalo ſtuprum illatum erat, Philippus cum Pauſaniam, ſæpius de hac injuria conquerentem, audiviſſet: Attalum vero non caſtigaſſet, ſed ſummo loco ſemper haberet, ac tandem etiam, provinciæ cuidam gubernandæ, præfeciſſet: in odium Pauſaniæ incidit. Is enim, cum videret à Rege in honore haberi illum, qui ob tantam injuriam, pœnam meruiſſet, nec ſuas de vindi-

ćta injuriæ preces unquam exaudiri potuiſſe: tandem in nuptiis filiæ Regiæ, quæ Alexandro Epiri regulo nupta erat, in templo, Philippum Regem, coram ſponſo, & Alexandro Magno filio interfecit. Hoc certe exemplum injuriæ, privatim illatæ, cum exemplo publico, Romanorum Legatorum conjunctum, omnes in univerſum Magiſtratus monere debet, ne inultas relinquant injurias, quæ vel publice vel privatim illatæ fuerunt: ne qui injuria affecti ſunt, ipſi magno cum Reip. periculo de vindicta cogitare cogantur.

CAPUT XXIX.

Fortuna hominum animis tenebras offundit, ne vim ſuam ingruentem refringant.

SI rerum viciſſitudinem contemplemur, comperiemus multa accidere ex fato ita urgente, ut iis obviam ire nemo poſſit, quamvis in promptu remedia fuerint. Et ſi Populo Romano talia quædam acciderunt, in quo omnis generis virtutes enitebant, & religionis imprimis, ac rei militaris ſtudium vigebat: cui mirum videri debet, ſi aliis Rebuſpublicis provinciiſque etiam eveniant, in quibus nullæ harum virtutum tantopere elucent? Imprimis igitur habenda ratio eſt earum rerum, quæ fato ipſo, ſeu aſtrorum influxu, evenire videntur: & quibus ut reſiſtamus, fortuna non permittit. Quarum exemplum luculentiſſimum eſt id, quod populus Romanus, in Clade Gallica accepit.

Liv. lib 5.

Nam

Nam cum fatis urgentibus, tanta moles mali inſtaret: primam occaſionem, ad illam accelerandam dederunt tres Fabii Legati, qui cum agere debuiſſent de pace, inter Cluſinos & Gallos: contra jus gentium: pro Cluſinis, adverſus Gallos, prælio decertarunt: atq; ita Gallorum iram, adverſus populum Romanum provocarunt. Et quo minus Gallis reſiſti poſſet, iiſdem fatis proſpectum jam erat: eo quod Furium Camillum tantum Imperatorem, ut ſolus his malis obviam ire potuerit, populus Romanus Ardeam, in exilium miſiſſet. Adveniente jam Gallorum exercitu, civitas, quæ adverſus Fidenatem, & Vejentem hoſtem, aliosque finitimos populos, ultima experiens auxilia, Dictatorem multis tempeſtatibus dixiſſet: ea tunc inuſitato, atque inaudito hoſte, bellum ciente, nihil extraordinarii imperii, aut auxilii quæſivit. Tribuni quorum temeritate bellum contractum erat, ſummæ rerum præerant: delectum nihilo accuratiorem, quam ad media bella, haberi ſolitus erat, famam belli extenuantes, habebant: denique cum in propinquo hoſtis eſſet, tumultuario exercitu raptim ducto, vix ei ad undecimum lapidem occurrerunt, quo loco, Allia flumen Tyberinis aquis miſcetur. Eo cum perveniſſent, Tribuni, non loco caſtris ante capto, non præmunito vallo, quo receptus eſſet, non Deorum ſaltem, ſi non hominum memores, nec auſpicato, nec litato inſtruunt aciem, eamq; in cornua diducunt, ne

circumveniri multitudine hoſtium poſſent: ſed interim dum eam deducunt, tantopere extenuant, ut vix cohærentem mediam aciem haberent, & ut ſummatim rem cõprehendamus, nec Imperatores, nec milites hic quicquã præſtitere, quod ex dignitate populi Romani eſſet, aut ejuſdem diſciplinæ militari conſentaneum. Cum jam pugnandum eſſet, ſimul ac clamor auditus eſt, ignotum hoſtem prius pene quam viderent, non modo non tentato certamine, ſed nec clamore reddito, integri intactique fugerunt. Maxima pars Vejos pervenit: unde non modo, non præſidii quicquam, ſed neque nuntius cladis, Romam eſt miſſus. Reliqui omnes Romam petierunt, & ne clauſis quidem portis urbis, recta in arcem confugerunt, & cum neminem ſupereſſe amplius putarent, præter eos, qui Romam aufugerant, comploratis omnibus, urbem lamentis compleverunt. In defendenda arce tandem, cum res jam deſperatæ eſſent, conſilio vſi ſunt aliquo. Nam commeatum ex urbe tantum, quantum arx capere poſſet, in Capitolium tranſtulerunt: juſſeruntque eodem conſcendere cum conjugibus, & liberis juventutẽ militarem, & ſenatus robur, ut ex loco munito Deos penates, homineſque, & Romanũ nomen, defenderent. Cæteram multitudinem plebejorum, ſenum, mulierum ac puerorum, ne inopiam armatorum onerarent, partim in urbe Gallis in prædam reliquere, partim, ut in vicinas urbes aufugerent permi-

permiſerunt. Quod ſi quis igitur animo comprehendat, res à populo Romano prius tam præclare, longo annorum numero, geſtas: iiſque has conferat, quas adverſus Gallos geſſere: tam diverſas eſſe comperiet, ut non ab uno eodemque, ſed diverſis populis, geſtæ eſſe videantur. Uſque adeò ſcilicet, occæcat fortuna animos hominum, ait Livius, cum vim ſuam ingruentem refringi non vult. Quo fit, ut qui in perpetuis periculis verſantur, minus vituperari debeant: & minus laudari qui continua fœlicitate fruuntur: cum & illos & hos fata eo trahere videantur: neq; conſilium illorum, ad reſiſtendum malis: neq; horum virtus ad comparandam fœlicitatem multum facere queat. Solent equidem fata ſuis uti mediis. Nam ad res magnas patrandas, non niſi viris egregiis utuntur, qui oblatas fortunæ occaſiones arripere queant: & ſi quæ magna moles impendeat malorum, prius quam eveniant, ſolet eos viros, qui conſilio iis obviam ire poſſent, aut abolere, aut certe ita affligere, ne reſiſtere ullo modo poſſint. Cum urbi Romæ tanta Imperii magnitudo fatalis eſſet, opprimi, ac vehementiſſime affligi eam oportuit, ut deinceps cautior, prudentiorque fieret, ad tantam Imperii molem acquirendam: deleri tamen planè nō debuit. Itaq; ut omnia hæc ita ſuccederent, Fata Camillum in exilium miſere, non necaverunt, urbem à Gallis permiſere occupari,

non

non Capitolium: utque commodius occupari urbs poſſet, effecere, ut major exercitus pars, ex prælio non Romam, ſed Vejos fugeret. Et ut omnia uno quaſi faſce comprehendam, effecerunt. ut ad avertendam à Republica tantam malorum molem, nihil à populo Romano prudenter ſapienterque fieret: ad defendendum Capitolium & recuperandam urbem jam captam omnia commodiſſime inſtructa eſſent. Cum & Camillus Ardeæ exercitum haberet, & idem innocens omnis culpæ eſſet, rerum male geſtarũ & pacti præcipue auri, pro urbis redemptione: & alius inſuper exercitus Vejis Camillum expectaret, ut conjunctis viribus, majorem impetum in Gallos facere poſſent. Poſſemus hujuſmodi fatalis fortunæ varietatis recentia quoque exempla adducere: id, quod hoc loco propoſuimus, à populo Romano, in Gallica clade, acceptum ſapientibus viris ſufficere poteſt. Hoc unum pronuntiabo de fortunæ viribus, & fati neceſſitate, quod hiſtorias omnis generis percurrenti, facile apparebit, homines fati neceſſitatem evitare non poſſe: ſed faciliorem eventum iis, quæ ab eo impendent, efficere eumque promovere: adeoque Parcarum telas texere, non retexere, aut rumpere. Quod etſi ita ſe habeat, non decet tamen, ut animum abjiciamus, noſque plane committamus fato, ſed, quacunque fortuna aſpirante, bene ſperemus, diligenter prudenterque rebus noſtris provideamus: quod fatorum

viæ

viæ & rationes producendorum effectuũ, obſcuriores ſint, quam ut à nobis intelligi queãt.

Caput XXX.

Reſpublicæ ac principes potentes, amicitias non auro, ſed viribus atque virtute comparant.

CApitolinus exercitus ſtationibus, vigiliiſque feſſus, ſuperatis omnibus malis, unam famem ſuperare non poterat: diem de die proſpectans, ecquod auxilium à dictàtore appareret: poſtremo ſpe quoque jam, non ſolum cibo, deficiente, vel dedi ſe, vel redimi, quacunque ratione, juſſit. Colloquio transacta res, & mille pondo auri, pretium pro obſeſſorum redempione, conſtitutum eſt. Sed diique & homines prohibuere, redemptos vivere Romanos. Nam antequam infanda merces perſolveretur, propter altercationem, nondum omni auro appenſo, quod Galli iniqua pondera attuliſſent: Dictator Camillus intervenit, aurum auferri è medio jubet, armiſque Gallos ex urbe cedere coegit. Quæ res non in hoc tantũ caſu, ſed univerſa Romana hiſtoria memorabilis eſt: nunquam cernes eam Rempublicam aut pacem ab hoſtibus aut agrum, urbemq; aliquam pecunia comparaſſe: omnia armis atque virtute parabant, idque huic Reipub. peculiare fuit, præterquã ulli alii, aut Reipub. aut regno cõtingere potuerit. Evidens autem argumentum eſt de Imperii tui potentia, ſi ob-

ſi obſerves, qua ratione cum vicinis vivas: quã pacem habeas: Nam ſi talem te præſtiteris, vt vicini à te argento pacem redimant, firmum eſſe Imperium tuum oportet: ſin econtra ipſe aliorum amicitiam argento comparare cogaris: imbellem te eſſe certum indicium eſt: præſertim ſi non modo magnorum principum, verum etiam parvorum amicitiam, ea ratione ambias. Hiſtoriam Populi Romani ſi diligenter intuearis: deprehendes Maſſilienſes, Rhodios, Heduos, Hieronẽ Syracuſarum Regem, Eumenem, Maſſiniſſam, & alios Reges vicinos Romanorum, ut amicitiam eorum retinerent, auxilia ſemper in bellis iis attuliſſe: nec quicquam pro ea re petiiſſe aliud, quam ut in eorũ clientela conſervarentur. Contrario modo eveniunt omnia, ubi Reſpublica aut princeps imbellis fuerit: cui rei ſatis argumento eſſe poteſt noſtra Florentia, quæ ſuperioribus temporibus etiam tunc, cum ejus opes maxime celebres eſſent, omnibus prope Æmiliæ Flaminiæq; Regulis annua ſtipendia ſolvebat: ac præterea etiam Perufinæ ac Caſtellanæ Reipublicæ civibus: Quod ſi bellicoſa fuiſſet noſtra urbs, & militari virtute excellens: contrario modo accidiſſent hæc omnia. Omnes enim vicini ejus amicitiam argento comparare conati fuiſſent: nec quicquam prætermiſiſſent eorum, quibus benevolentiam ejus demereri potuiſſent: Idem hoc vitiũ, & eadem ad res bellicas inertia, non in urbe noſtra tantum, ſed in Venetis etiam,

& Gal-

& Gallorum rege apparet. Nam hic, cum tantum Regnum poſſideat: tamen tributarius eſt Helvetiorum & Angliæ Regis: ob eam nimirum cauſam, quod ſubditos imbelles, & ad militarem diſciplinam nequaquam recte inſtitutos habeat: videturque & hic Rex & cæteri, qui eum imitantur, pluris facere tributa & magnas exactiones à ſubditis extortas, quibus fucatā tantummodo pacem quietemq; à viciniis rediman, quam militarem diſciplinam, quâ veram quietem ac pacem juſtam in perpetuum impetrare poſſent, Longum eſſet enumerare, quoties Galliæ Rex, Veneti & Florentini, pacē ab hoſtibus pecunia redemerint? quoties id perpeſſi ſint, quod populus Romanus ſi ſemel tantum ſubire coactus fuiſſet, magnæ ignominiæ futurum ſibi putaſſet. Longum eſt etiam recenſere, quot oppida, cum Florentini, tum Veneti pecunia emerint. Sed iidem poſtea viderunt quam inepte à ſe factum ſit cum cernerent, quæ auro comparata eſſent, ferro conſervari non poſſe. Populus Romanus, quandiu liber fuit, ſemper hujuſmodi magnitudinem animi declaravit, poſtquā ſub Imperium Cæſarum reductus fuit, & Cæſares deteriores eſſe inciperent, mallentque in umbra domi latere, quam militando, ſolis ardorem, cæteraque incommoda ferre: cœpit ipſe quoque pecunia pacem, quandoque à Parthis, quandoque à Germanis, aliiſque populis redimere: atque hoc fuit labeſcentis Imperii Romani initium.

itium. Accidunt autem hæc omnia hujuſmodi hominibus propterea, quod ſubditos habere velint, nimium dicto obedientes: & proinde inermes eos eſſe volunt, nec ulla militari diſciplina recte inſtitutos. Atq; hinc fit, ut, cum arcere hoſtes nequeant à finibus Imperii aliter, tributum vicinis Regulis, populiſque pendere cogantur: quod cum à ſubditis ſubinde extorqueant, eoſq; magis magiſque extenuent, atq; imbelles reddant: nimium roboris in centro imperii ſui conſervant. Itaque hoſtes in finibus imperii aliquandiu ſuſtinent: poſtquam fines ingreſſi fuerint, neutiquam reſiſtere poſſunt. Sed ſiniſtre fiunt hæc omnia. Quemadmodum enim natura in animalibus partes principales maxime munivit, non extremitates ipſas: quod abſque hiſce, vivere corpus poſſit, ſine illis non poſſit, ita in Imperio, centrum quam maxime munitum, firmumq; eſſe oportet. Id vero male obſervatum à Florentinis noſtris, effecit, ut poſtquam hoſtilis quiſpiam exercitus, fines imperii noſtri penetrarit, ac propius ad urbem acceſſerit, ei amplius nemo reſiſtat. Idem Venetis accidiſſe vidimus ante paucos annos: quorum urbs, niſi tunc aquis undiquaque circundata fuiſſet, facile occupari delerique potuiſſet. Gallia hactenus nil tale perpeſſa eſt, quod Regnum ampliſſimum ſit, & omnes vicinos longe ſuperet. Quod etſi ita ſit, tamen cum anno Servatoris noſtri *1513*. Angli eam invaſiſſent: magno tremore univerſum

ſum Regnum concuſſere: uſque adeo, ut omnes tunc exiſtimarent, ſi Angli vel unum prælium fœliciter commiſiſſent, Regem imperio pelli potuiſſe. Contrario modo ſeſe habebant omnia apud Romanos. Nam quo propius ad urbem quiſque appropinquaret, tanto firmiora eorum arma deprehendebat. Idque vel unius Annibalis in Italiam adventu apparuit, à quo etiam ſi ternas maximas clades accepiſſent, & tot præclaros Imperatores amiſiſſent: tamen & reſiſtere, potuerunt, & confecto univerſo bello, victoriam ingentem obtinuerunt. Uſque adeo ſcilicet firmum erat Imperii centrum, Roma ipſa, populi Latinorum, & cæteræ urbes, pop. Romani ſociæ, atque Coloniæ, ex quibus ingentem numerũ, præſtantiſſimorum militum conficiebant. Intelligebat præclare iſtud Hanno Carthaginẽſis, vir egregius. Nam cum poſt Cladem Cannenſem, Annibal Magonem Carthaginem miſiſſet, atq; is res à fratre in Italia geſtas vehementer extolleret: quæſivit Hanno, ecquis Latini nominis populus ad Carthaginenſes defeciſſet? An Romanorum quiſquam ad Annibalem transfugiſſet? Num quos Legatos de pace miſiſſent? Atque hæc omnia cum Mago negaret, Hoſtium quidem ergo adhuc multum ſupereſt, inquit Hanno, & bellum tam integrum habemus, atq; habuimus, qua die Annibal Italiam eſt ingreſſus. Hæc omnia igitur, ſi nobiſcum perpendamus, & conſideremus quantum homines

mines noſtri à veterum diſciplina militari diſceſſerint, nequaquam mirari debemus, tantam Imperiorum mutationem noſtra ætate fieri. Nam cum virtus militaris tam exigua ſit, omnia fortunæ caſibus aguntur, qui cum varii ſunt, varias quoque rerum mutationes pariunt: durabitque hæc tanta rerum in Imperiis viciſſitudo, donec extent aliqui egregii, atque excellentes homines, qui antiquam virtutem exuſcitent, & veterum diſciplinam militarem reſtituant.

CAPUT XXXI.

Non credendum eſſe exulibus facile.

NON abs re mihi facere videor, ſi oſtendam hoc loco, quantum interſit in rebus gerendis, ne fides exulibus ſemper habeatur: præſertim cum videamus eorum operas commerciaque à viris principibus perſæpe uſurpanda eſſe. Hujus rei memorabile extat apud Livium exemplum, libro ab urbe cōdita octavo. Cum enim Alexander Magnus in Aſiam trajeciſſet: Affinis ipſius atque avunculus Alexander Epiri Rex, à Tarentinis vocatus, in Italiam venit: habebatque jam ſecum ducentos Lucanorum exules, quos fidos ſibi credebat uſque adeo, ut eorum opera capi Lucanorum univerſam provinciam poſſe ſperaret. Sed illi cum fortuna fidem mutabilem gerentes, poſtquam Regē à Lucanis clades aliquot accepiſſe cernerent; nuntiis ad ſuos miſſis pacti ſunt,

ſi iis

ſi iis reditus in patriam permitteretur, ſe Alexandrum, aut vivum aut mortuum, in ipſorum poteſtatem tradituros: arreptaque occaſione, illum Acheronta fluvium tranſeuntem, ex inſidiis adorti ſunt, & veru transfixerunt. Id igitur documento nobis eſſe debet, ut agnocamus, quam parvi faciendæ ſint hujuſmodi hominũ qui patria pulſi ſunt, promiſſiones. Nam ſi fortuna aliam quam jam occaſionem iis offerat in patriam redeundi, nequaquam fidem ſervabunt, quicquid tandem tibi promiſerint. Nam quia patriæ deſiderio tenentur, multa tibi promittent, ut illos reſtituas, multa etiam præſtare ſe poſſe putant, ſed plura etiam adjungunt: ex quibus omnibus ſi tu rei bene gerendæ permoveri te ſinas, facile eo deduceris, ut ingenti ſumptu tuam ipſius ruinam, interitumque expetas. Quod ſi præcedenti exemplo alia adjungere cupias, Temiſtoclem unum intuearis. Is enim cum ab Athenienſibus defeciſſet, & confugiſſet in Aſiam ad Xerxem: eum multis promiſſionib. eo impulit, ut adverſus Græciam expeditionem ſuſciperet, ſed cum ei res minus proſpere ſuccederent, videretque ſe Regi ea non poſſe præſtare, quæ promiſiſſet, veneno mortem ſibimet procuravit, ne vel Regi ingratus videretur, vel patriæ autor tantæ cladis exiſteret. Quod ſi igitur Themiſtocles tantus vir, plura regi promiſit, quam præſtare aut voluerit aut potuerit: quid de cæteris exulibus ſentiendum putamus, qui Themiſtocleæ

virtuti

virtuti nil ſimile habent? Itaque non eo facile veniendum fuerit viro principi, aut Reipublicæ moderatoribus, ut promiſſionibus exulum permoveantur ad bellum ſuſcipiendum, quod hujuſmodi expeditiones raro fœlices eventus habere ſoleant.

Caput XXXII.

Quot modis populus Romanus urbes occupare conſueviſſet.

Cum Populus Romanus rei bellicæ ſtudio totus deditus eſſet: omnia diligenter perpendebat, quæcunq; ad propoſitum finem facilius conſequendum, aliquo modo facerẽt: ſive ſumptuum, ſive aliarum quarumcunque rerum habenda eſſet ratio. Hinc factum ut raro conarentur urbem aliquam obſidione capere: quod hæc tot ſumptibus conſtare ſoleat, ut eos nec ſuperare, nec plerunque etiã æquare queat utilitas, quæ inde redundat. Atq; hæc ratio eſt, quod in univerſa tot annorum hiſtoria, pauciſſima exempla liceat invenire urbium, quæ longa obſidione ad deditionem compulſæ fuerint. Exiſtimabant enim quacunque alia ratione, commodius capi urbes poſſe, quam longa obſidione. Itaque expugnare ſolebant urbes, aut aliâs deditione eas capere. In iis expugnandis utebantur vi aperta, quandoque ſola, quandoque cum fraude quadam ac proditione conjuncta. Aperta vis erat, cum urbẽ ex improviſo adoriebantur, & undiq; oppugnantes magno

magno cum impetu, ſcalis coronaque eam capiebant: muros non frangebant, ſed ſcalis admotis conſcendebant, dejectiſque defenſoribus, urbem occupabant. Hæc omnia magna cum feſtinatione, atque impetu fiebant, uſque adeo, ut quandoque uno die urbem etiam maximam caperent: quomodo Carthaginem novam Scipio occupavit. Quod ſi primus impetus minus proſpere ſuccederet, ad frangendos arietibus muros ſeſe convertebant. Cuniculos quoque agebant, per quos urbem ingredientes, illam occupabant, veluti in Vejorum expugnatione accidit. Turres etiam ligneas & propugnacula foris extruebant, aut vallum urbis mœnibus incumbens, ut in alto loco conſiſtentes, eos qui intra mœnia eſſent, omni genere telorum ferire poſſent. Qui urbem intus defendebant, maxime periclitabantur in primo impetu, cum ſcalis coronaque oppugnatio tentatabatur. Nam mœnia undiquaque defenſoribus indigebant: quod ſi igitur, aut non ſatis multos haberent milites: aut non omnes ex æquo urbem ſalvam eſſe cuperent: facile evenire poterat, ut vel uno aliquo loco defenſores pulſi, aut ſponte cedentes, occupandæ urbis præberent occaſionem: atque hinc fiebat, ut multas urbes hoc modo Pop. Romanus occuparet. Quod ſi primus impetus non ſuccederet, raro inſtabāt eodē hoc oppugnationis genere: quod magno cum periculo univerſum exercitum extendi oporteret, ut corona urbē cingeret, eamq;

Liv. li. 26.

Liv. lib. 5.

omnib.locis ſimul oppugnaret: nec ꝓinde reſiſti potuiſſet, ſi per unam aliquā partem vehemens eruptio fuiſſet à civibus attentata: quod milites vehementer fatigarentur. Cum muri arietibus frangebantur: tunc qui in urbe erant, defendebant ſe eodem modo, ut ætate noſtra adverſus vim tormentorum bellicorum. Retrocedendo enim loca fracta reparabant. Cum agebantur cuniculi, contrarios alios agere conabantur, ut per eos egredientes, vel ferro vel arte aliqua hoſti ſeſe opponerent, & inter cætera cuniculos hoſtium, injecta materia, quæ ignem conciperet, oleo præſertim & plumis obſtruebant, ut igni, fumo, & alio aliquo fœtore, eos aditu prohiberent. Turres etiam, quæ foris extruebantur, & alia hujuſmodi propugnacula igni diruebant, & valla, quæ mœnibus incumbenti ab hoſtibus erigebantur, perforatis muris minuebant, ſubinde tanta terra ablata, quanta conferretur ab hoſtibus. Neque vero hiſce oppugnationis modis, in longum tempus utebātur: ſed cum nō ſuccederet, diſcedebant ab obſidione, & alias rationes inibant. Exemplo eſſe poteſt Scipio, qui Africam ingreſſus Uticæ expugnationem tentavit: ſed cum videret illam minus ex animi ſententia ſuccedere, ab inſtituto diſceſſit, & ad delendos Carthaginenſium exercitus omne ſtudium convertit. Nonnunquam oppugnationem in obſidionem convertebant ut apud Vejos, Carthaginem, & Hieroſolymam accidiſſe novimus, vi conjuncta cum fraud

fraude occuparunt Romani Paleopolim: quam ex principibus civitatis aliqui, inito cum iis conſilio, tradiderunt. Etſi autem ſæpe cum à Populo Romano, tum aliis gentibus, attentatus ſit hic modus occupandarum urbium, raro tamen ſucceſſit. Nam clandeſtina conſilia ex levi cauſa impediuntur: quod conjurationes citius pateſiāt, quam perficere poſſint id, quod propoſuerant: cū ob difficultatem rerum propoſitarum, tum ob colloquia quæ habere oportet cum hoſtibus quocunque tandem prætextu tecta. Quod ſi etiam ſecreto omnia conſerventur: multæ tamen difficultates incidunt, propter quas clandeſtina conſilia minus propere ſuccedunt: aut enim tardius citiusve conveniunt, quam indictum fuerit: aut alias error aliquis aut ſtrepitus quidam ex improviſo ortus, conſilium prodere ſolet: veluti Gallis accidit ex Anſerum ſtrepitu, cum ad occupandum Capitolium accincti eſſent. Hiſce accedit, quod cum per noctis tenebras tractari ſoleant hujuſmodi conſilia: multum terroris incutiant iis: qui illa tractant, ex quocunq; impedimento perturbata: præſertim quod & ſitus locorum, & hominum ignari eſſe ſoleant milites, qui ad hujuſmodi facinora patranda ducūtur: & ob id ex quocunq; motu, aut accidente perturbati, in fugam convertuntur. In hujuſmodi fraudulentis conſiliis tractandis, plurimum poterat Aratus Sicyonius: ſed idem ipſe in aperto conflictu puſillanimis fuiſſe dicitur: ut na-

Liv. lib. 8.

Liv. lib. 5.

turali quadam vi ad illa potius quam ad hæc tractanda, natus eſſe videretur. Sæpe igitur tractantur hujuſmodi furtiva conſilia, ſed eadem raro bene ſuccedunt. Per deditionem occupantur urbes, partim cum illæ ſponte ſe dedunt, partim cum ob aliud majus periculum, ſe dedere coguntur. Capua enim populo Romano ſe dedidit, metu ne in Samnitium poteſtatem veniret. Sed Maſſilienſes, Rhodi, & aliæ quædam civitates ſponte ſua, ſe dediderunt, permoti ſola ſpe quam conceperant, fore ut legibus Romanis fœlicius viverent, & meliorem formam Reip. inſtituerent. Multæ vero civitates ſe in alicujus aut populi aut principis poteſtatem dedere coguntur, ob id quod ipſæ ſemetipſas defendere nequeant: præſertim cum vel longis obſidionibus fatigatæ, aut alias excurſionibus præliis ac populatoribus vexatæ fuerint: qua ratione Populus Romanus plurimas urbes occupavit, præſertim à principio urbis: quod quadringentis quinquaginta fere annis, hoc modo cum vicinis bellum geſſerit. Et ſi enim cæteris quoq; modis omnibus occupandarum urbium uſus ſit: tamen quia in cæteris plus laboris temporis, ſumptuumque requirebatur, hoc quam illis uti maluerunt. Accidebat enim quandoque, ut ex prælio, uno die fœliciter commiſſo, Regnum occuparēt: cum in obſidione unius pertinacis urbis, aliquot anni quandoque cum dubio eventu conſumerentur: in expugnanda ea per vim, periculum ingē

depre

deprehenderetur: in occupanda ea per proditionem, minimè ſuccederet.

CAPUT XXXIII.

Populus Romanus Imperatoribus in bellum proficiſcentibus, liberam adminiſtrandi belli poteſtatem faciebat.

HISTORIAM Livianam cum fructu legere volenti, perpendendas eſſe cenſeo, ſingulas populi Romani actiones, & progrediendi modos ab iis obſervari ſolitos. Inprimis autem memorabilis eſt Summa illa poteſtas, quam faciebant conſulibus ac Dictatoribus in bellum profecturis, ut pro animi arbitrio omnem belli rationem adminiſtrarent. Poſtquam enim ex Senatus autoritate populus ſemel bellum decreviſſet: ejus adminiſtrandi poteſtas conſuli tradebatur, aut alteri cupiam imperatori, Senatus ſibi confirmandæ pacis autoritatem tantummodo reſervabat, & jus alia bella movendi: cætera omnia ab Imperatoris autoritate pendebant, penes quem poteſtas erat dimicandi, aut à pugna abſtinendi, hãc aut illam urbem expugnandi, obſidendi, aut ab obſidione liberandi, & cætera omnia belli munera, pro arbitrio obeundi. Hæc ita ſe habere, poſſemus quam plurimis exemplis demonſtrare: ſed ex omnibus unum ſufficiet evidentiſſimum. Cum bellum adverſus Thuſcos Populus Romanus gereret, victis apud Sutrium hoſtibus deliberabat Conſul Fabius de tranſeunda Ci-

minia ſylva, ut ad Hetruſcos perveniret: nec in re tam periculoſa, qua bellum in aliam regionem transferri videbatur, ſenatum ullo modo vel conſulebat, vel inſtituti ſui certiorem faciebat. Quanti momenti autem eſſet illa res, ſuper qua non cenſuit conſulendum ſenatum, apparet ex ſenatuſconſulto, eadem de cauſa à patribus facto. Nam cum horribiles eſſent ſaltus Ciminii, & recens extaret Caudinæ cladis memoria: ſenatus cognita victoria Fabii, quam ad Sutrium obtinuiſſet, legatis ad eum miſſis, mandavit, ne Ciminium ſaltum tranſiret. Sed cum illi ſerius veniſſent, quam ut hoc inſtitutum Fabii impedire potuerint, quod is & ſaltus illos jam tranſiviſſet, & late depopulatis Hetruſcorum agris, fuſiſque iis, jam rediiſſet Victor in Caſtra, nuntii novæ victoriæ Romam redierunt. Hoc pop. Romani inſtitutum ſi qui penitius contempletur: prudentiſſime ab eo factum concipiet, quod tam amplam adminiſtrandi belli poteſtatem Imperatoribus conceſſerit. Quod ſi enim Senatus conſuli ſe ab Imperatoribus de ſingulis rebus atque inſtitutis voluiſſet: minus circumſpectos eos effeciſſet, magiſque lentos ac deſides: quod victoriæ gloria non illorum propria, ſed cum Senatu cõmunis fuiſſe videretur. Præterea, intelligebat facile Senatus, variam eſſe belli fortunã, & præcipites rerum gerendarum occaſiones ſubinde oriri, quas ſolus is & intelligit, & arripere poteſt, qui præſens rebus agendis adeſt. Itaque ſi

ipſ

ipſe cōſultare voluiſſet de rebus, quas corā cernere nō poterat, multis modis errare potuiſſet, quamvis ex viris conſtaret rei militaris peritiſſimis. Itaque Imperatori poteſtatem faciebat, omnia pro arbitrio adminiſtrandi, eique victoriæ gloriam univerſam concedebat, ut eſſet ſtimulus atque calcar, ad recte prudenterque omnia adminiſtranda. Cenſui autem hoc loco diſputandum de iſto populi Romani inſtituto, ut oſtenderem Reſp. quæ noſtro tempore celebres ſunt, hac in parte plurimum errare. Nam (ut de cæteris taceam.) Veneti ac Florentini certe, ſingula, quæ ab Imperatoribus fiunt, & cognoſcere, & conſilio moderari volunt, ut ne tormenta quidem bellica illi ad feriendam urbem aliquam vel alio loco, vel aliter collocare auſint, quam in mandatis habeant à Senatu. Sed hæc omnia talia ſunt, ut non aliam laudem mereantur, quam alia quoque hujuſmodi Rerump. conſilia prava, quibus ad illum ſtatum, in quo jam ſunt reductas ilas novimus.

Finis libri ſecundi, diſputationum Machiavelli de Republica.

NICOLAI MACHIAVELLI DISPUTATIONUM, DE REPUBLICA ROMANORUM, ex prima Decade T. Livii, LIBER III.

Ad Zanobium Bondemontium & Coſmum Rucelajum.

CAPUT I.

Qui cupit vel Rempublicam vel ſectam ſuam diuturnam eſſe, eam ſæpe corrigere debet & veluti ad prima ſua principia revocare.

QUÆ in hoc univerſo continentur, ea omnia certo vitæ vitæ ſpatio terminantur: idq; ſingulis ex peculiari quodam ſiderum influxu contingit: ſingula quoque inſitam vim quandam atque deſiderium habent ſemetipſa conſervandi, ab interitu abhorrendi, & mutationes noxias fugiendi, ſalutares appetendi. Inter cæteras vero totius univerſi res, præcipuæ ſunt Reſpub. atque Sectę, quibus ſalutares ſunt illæ

illæ mutationes, per quas corriguntur, emendantur, & ad primam ſuam originem, principiumque revocantur. Quod ſi quæ igitur vel ſecta, vel Reſp. certis legibus inſtituta ſit, ad hujuſmodi emendationem certo annorum ſpatio faciendam, introducendoſque antiquos mores, & conſuetudines: eæ diuturniores eſſe ſolent quam illæ, quæ non niſi ex accidenti, & caſu quodam emendationem admittunt. Si nunquam emendentur, diuturnæ eſſe non poſſunt, quod ſenſim omnia in pejus ruant, donec plane evertantur. Emendandæ Reipublicæ, corrigendarumque ſectarum ratio optima eſt, ut ad principia ſua revocentur, ita nimirum, ut primi illi mores, & antiquæ leges atq; conſuetudines rurſus introducantur, & revocentur in uſum. Principia enim cum Sectarum, tum Rerumpublicarum atque Imperiorum omnia aliquid boni habent, vel ex ipſa neceſſitate: ad cujus normam ſi poſtmodum emendentur, recuperant antiquam dignitatem, & autoritatem: ſi nunquam corrigantur, ita ſenſim in pejus ruunt omnia, ut aucta paulatim malitia, tandem ruere cogantur: perindeque iis accidit, ut de corpore humano loquuntur Medici, in quo ſingulis diebus aggregatur aliquid, quod curatione indiget: & niſi tollatur, tandem morbos lethales parit. Ipſas igitur Reſpublicas quod attinet, dicimus corrigi, & ad principia ſua revocari, partim ab externis accidentibus, partim intrinſeca prudentia, vel viri alicujus *Emẽdatio Rerũpub.*

ſingularis virtutis, vel legis, de reformãda civitate per certa intervalla, latæ. Prioris generis ſunt, quæ fato quodam evenire, atque accidere videntur: quale eſt, quod Romæ ex Gallorum adventu accidit. Eo enim modo revocari priſtinos mores, antiquam virtutem & religionis cultum exuſcitari oportebat, quæ paulatim omnia Romæ collapſa erant: ut ſatis apparet ex hiſtoria, qua illorum apparatus adverſus Gallos deſcribitur. Nam cum prius adverſus finitimos bellum gerens ea Reſpub. tamen ultima quæque remedia, auxiliaque tentare ſoleret: tunc, ut erant civitatis mores, ne in hoſte quidem inuſitato, atq; inaudito, quicquam extraordinarii auxilii quæſivit: tres Fabios, qui legati cum eſſent, contra jus gentium pugnaverant, non modo non punivit, ſed Tribunos conſulari poteſtate creatos belli ſummæ præfecit. Quid porro de reliquis Regum, ac cæterorum ſapientiſſimorum virorum legibus, atque inſtitutis exiſtimare aliter debemus, quam ſopita ea, neglectaque jacuiſſe? Itaque ſuperveniens extrinſecus illa clades, effecit, ut monita, & quaſi expergefacta civitas, antiquas leges rurſus in uſum revocaret, religionem coleret, juſtitiæ operã daret, benemeritis civibus honorem, præmiaque deferret, & virtutis eorum rationem haberet. Hæc enim omnia perbelle ſucceſſerunt, poſtquam captam à Gallis urbem Camilli virtute recuperaſſent. Nam cum contemptos ab ſe deos eſſe putarent, quia ratio-

Liv. lib. 5.

rationem non habuiſſent præſagii, de Gallorum adventu monentis: idcirco expiandæ ejus rei cauſa, templum, cui locutio nomen, condidere, & cætera, quæ ad religionem pertinebant, magna cura tractarunt. Fabiorum facinus punierunt, Camilli virtutem deinceps tanti fecerunt, ut poſtpoſitis privatis injuriis, eum ſummæ rerum præfecerint, uſque adeo ut ab illo tota Reſpub. pendere videretur, præſertim ubi quid bellici terroris ingrueret. Uſque adeo ſcilicet proſunt hujuſmodi adverſi caſus, ſi recte ab iis accipiantur, quibus accidunt: neceſſumque omnino eſt, omnem hominum ſocietatem quandoque emendari, & verſus ſua principia revocari: ſive per hos externos caſus, ſive ex internis cauſis fiat. Internæ cauſæ emendandi Rempublicam partim ſunt leges publicæ, de morum cenſura certo annorum intervallo inſtituēda, & corrigendis vitiis, quæ graſſantur: partim exēpla particularia quorundam virorum, qui ſingulari virtute præditi, cæteris documento eſſe volunt, ad mores bene inſtituendos, & vitia corrigenda: tantundemque præſtant in Repub. atq; leges. Cæterùm qui hujuſmodi legum ſtatutorumq; munere fungebantur in Repub. Romanorum, erant Tribuni plebis, Cenſores, & quæcunq; adverſus ambitionē inſolentiamq; civium præpotentium decernebantur. Quæ omnia nihil profuiſſent Reipub. niſi ſubinde extitiſſent aliqua heroica ingenia, quæ exemplis ac re ipſa præſtitiſſent illa quæ

eſſent legibus præſcripta. Hujuſmodi fuere ante captam à Gallis urbem, ſupplicium de Bruti filiis ſumptum, Pœnæ Decemviris impoſitæ, Spurii Melii cædes, & ſimilia. Poſt captam urbem, Manlii Torquati pœna de filio ſumpta, eo quod pugnaſſet contra Imperatoris mandatum, Fabii Magiſtri Equitum accuſatio à Papyrio Curſore inſtituta, eo quod præter Dictatoris imperium pugnam commiſiſſet, Scipioni dies dicta, quæ omnia, quoniam erant valde memorabilia, & horrendi propemodum exempli, idcirco homines officii commonebant, ut ex legum præſcripto vivendum ſibi eſſe intelligerent. Quando autem hujuſmodi exempla rariora eſſe cœperunt: occaſionem dedere hominibus, ut deteriores eſſent, utque hæc vitia majori cum periculo punirētur. Nam cum toto decennio nullum ſtatuitur exemplum pœnæ delinquentium, obliviſcuntur legum homines, & tot ſunt, qui adverſus eas peccant, ut non liceat quemquam ſine magno periculo punire. In hanc ſententiam eleganter dicere ſolebant, qui Florentinam noſtram Rempublicam gubernarunt ab anno Servatoris noſtri 1434. uſque ad 1494. Oportere ſingulis quinquenniis redintegrare formam Reipublicæ alioquin enim non poſſe diſciplinam conſervari. Vocabantque Reipublicæ redintegrationem, cum hominibus incutitur idem metus pœnarum, qui fuit à principio, cum cæde tyrannorum, & pœna eorum, qui male ſe geſſiſ-

ſent,

ſent, libertas comparaſetur. Nam cum is in oblivionem abit, nihil non audent pravi homines attentare. Plurimum etiã faciunt ad emendationem Reipub. eamque verſus principia ſua revocandam, exempla virorum ſingulari virtute illuſtrium, qui nullis coacti legibus, ſed ſpõte ſua, ſingularia quædam exempla virtutis edunt. Excitant enim illa bonos viros ad imitandum, & malos à vitiis dehortantur. Hujuſmodi apud Romanos fuere, Horatii Coclitis pugna: Scæuolæ ad Regem Porſennam oratio & audax facinus: Fabritii, Reguli Attilii, & aliorum quorundam memorabilia dicta factaque, quibus tanquam legibus quibuſdam cives ſuos ad recte agendum vivendumque impellebant. Quod ſi ſingulis decẽniis, vel hujuſmodi ſpontaneorum virtutis exemplorum unum aliquod eveniſſet, vel ſecundum leges, ex ſuperioribus aliquod in delinquentes ſtatuiſſent: nunquam tanta morum corruptela potuiſſet civium animos occupare: Sed quia utraq; rara eſſe tandem cœperunt, aucta tantopere eſt morum corruptela, ut remedium nullum adhiberi potuerit. M. Reguli enim exemplum, nullum tale extitit uſq; ad tempora Catonum: itaq; tantopere jam vitiis ſcatebat civitas, præſertim tempore poſterioris, ut exemplo ſuo ad reformandos hominum mores, parum aut nihil proficere poſſent. Ad conſervandas etiam ſectas neceſſe eſt, adhibere idem remedium, ut illæ quaſi renoventur, ad principia revocentur,

tur,& emendentur. Quod niſi aliqui viri Sancti, in Chriſtiana noſtra religione præſtitiſſent, præſertim D. Dominicus & Franciſcus, dudum periiſſet univerſus illius cultus. Ii enim in paupertate viventes, atque humilitate, Chriſtianæ vitæ exemplum hominibus propoſuerũt, quo tantum certe effecerunt, ut quæ religio Epiſcoporum cæterorumque noſtrorum Eccleſiaſtarum pravitate vitæ corrumpi planè potuiſſet: ea etiamnum ſubſiſtat: cum videamus homines religioſo quodam metu, illis etiamnum delicta ſua confiteri, in honore eos habere, vitia ipſorum non damnare, ſed Dei arbitrio commendare. Peſſime enim vivunt ſemper omnes quicunque neque vitiorum pœnam ullam norunt, neque experiuntur. Itaque ſubinde propoſitis exemplis neceſſe eſt eo ſpectare, ut religionem quoque noſtram emendemus, ſimilemq; reddamus ei, quæ à principio erat: alias plane peribit. Idem in conſervandis Imperiis regniſq; faciendum eſt, ut antiquæ leges, & conſuetudines in uſum reducantur: ex eorumque præſcripto vitia puniantur: quod quidem Galliæ regno haud parum prodeſt. Nam id, præ cæteris, legibus gubernatur, quarum cuſtodes ſunt Senatus, per Regnum hinc inde diſpoſiti, & præſertim Pariſienſis, qui hactenus graviter delinquentes, ſevere ſemper punivit. Quod ſi impunitas longo tempore concedatur, uſque adeo augentur vitia, ut ſine periculo publico deinde, nec puniri nec extirpari queant. Quæ

cum

cum ita ſint, pronuntiare oportet, nullam eſſe commodiorem rationē conſervandæ vel Reipublicæ vel Regni, vel Sectæ alicujus, quam ſi ſæpe emendentur, ſimileſq; reddantur ſemetipſis talibus, quales in primis initiis erant. Idq; ut fieri queat, certis legibus ſtatutiſque providendum eſt: ne opus ſit per vim peregrinam idem præſtare. Nam etſi illa quoque nonnunquam ſalutaris ſit, ut cum Roma à Gallis capiebatur: tamen uſque adeo periculoſa eſt, ut eam merito formidare oporteat. De hoc argumento tertio hoc libro diſſeremus, & oſtendemus quantum Reipub. profuerint, ſingularium quorundam virorum exempla & res præclare geſtæ: in quarum numero etſi recenſeri queant aliquæ ab regibus ipſis patratæ: tamen pauca quædam tantum de iis diſſeremus ſuo loco: nunc vero à primo Conſule Bruto exordium ſumamus. *Tertii libri de Repub. argumentum.*

Caput II.

Sapientis eſſe nonnunquam ſimulare ſtultitiam.

NULLUS unquam extitit vel ſapientia, vel prudentia tanta, ut eam laudem mereri potuerit, quam meruerit in Iunio Bruto ſtultitiæ ſimulatio. *Livius lib. 1.* Nam etſi Livius ob eam tantum cauſam id ab illo factum teſtari videatur, ut tutus eſſet ſub tali contemptu: veriſimile tamen eſt, ita ejus animum inſtitutum, præparatumque fuiſſe, ne obſervaretur à Regibus: ſed

oppri-

opprimendæ tyrannidis occaſionem captare commodius poſſet: & ſub obtentu ſtultitiæ, liberator ille populi Romani animus, aperiretur tempore ſuo. Huic rei argumento eſt ipſius prudens Oraculi interpretatio. Nam cum apud Delphos ſciſcitarentur Tarquinii juvenes, ad quem eorum regnum Romanum eſſet perventurum, & ex imo ſpecu reddita vox eſſet: ad illum ipſorum ſummum imperium perventurum eſſe, qui primus oſculum matri tuliſſet. Tarquiniis de oſculo matri dando, cum Romam rediiſſent, cogitantibus, Brutus alio ratus ſpectare Pythicam vocem veluti ſi prolapſu cecidiſſet, terram oſculo contigit, quod ea communis mater omnium mortalium eſſet. Et poſtea cum Lucretiæ pater atque vir luctu occupati eſſent, occaſionem inveniſſe ratus, ulciſcendæ tyrannidis regiæ, cultrum ex vulnere Lucretiæ primus extraxit, eumq; manantem cruore præ ſe tenens, juravit & ipſe, & cæteros ad jurandum coegit, quod Tarquinios cum omni liberorum ſtirpe ferro atque igne exacturi eſſent, nec paſſuri, ut quiſquam amplius Romæ regnaret. Hujus igitur exemplum imitari commode poſſunt, quicunq; principis ſui tyrannidem iniquo animo ferunt. Sed ita agendum, ut vires ſuas metiantur, & ſiquidem ſufficiãt, aperte ſeſe hoſtes declarent apertoque marte dimicent: quod quidem & tutiſſimum & honeſtiſſimum eſt. Sin minores vires habere ſe intellexerint, quam ut ſe illi ma-

niſeſte opponere queant: in id ſummo ſtudio incumbere debent, ut familiarem amicumque ſibi faciant tyrannum, iiſdem ſtudiis cum illo incumbere, ejus dicta factaq; omnia approbare, laudare, imitari. Nam hac ratione primum tutus eris ab omni ſuſpicione: frueris ipſius fortunis opibuſque: & occaſionem captare poteris tyrannidem ſuo tempore vindicandi. Non deſunt tamen qui in hujuſmodi caſibus, aliam quandam viam præſcribant, oportere enim operam dare, ut neque ita conjunctim cum hujuſmodi tyrannis vivas, ut ſi illi forte opprimũtur, tibi cum illis intereundũ ſit: neq; ita procul, quin oblata occaſione, illos invadere, & opprimere poſſis. Optima quidem iſta ratio eſt, & media quodãmodo inter bina extrema: ſed ea non poteſt ab omnibus obſervari, cum cohabitandum perſępe ſit cum hujuſmodi tyrannis: nec queas eorum converſationem ullo modo evitare. Itaque rurſus ad alterum extremorum confugiendum fuerit. Nec ſine magno periculo degere poſſunt, quicunque opinioris fortunæ viri, ſub tali tyranno vixerint, niſi alterum horum fecerint. Nil prodeſt enim vel ſi ſolitariam vitam agere coneris, ab officiis muneribuſque alienam: vel ſi contemptis honoribus quieti operam dare velis: quod vel nolens trahendus ſis ad officia publica: nec fides unquam tibi habeatur, ſi te omni ambitione carere, aut ſimulaveris aut vere affirmaveris. Itaq; in hiſce caſibus ad Bruti conſiliũ veniendum

dum eſt, dictaque factaq; omnia tyranni comprobanda, ejus ſtudiis obſequendū, obtemperandumque, donec commoda occaſio ſeſe offerat vindictæ, Brutus certe, ut fuit prudens ſtultitiæ ſimulator: donec liberandæ patriæ occaſio ſe obtuliſſet: ita ſæverus deinde fuit libertatis defenſor: de qua ſæveritate proximo capite diſſeremus.

Caput III.

Ad conſervandam libertatem nuper partam: neceſſarium eſſe ut Bruti filii tollantur.

NECESSARIA ſimul atque utilis fuit Bruti ſæveritas, quam in conſervanda libertate nuper parta adhibuit: memorabile nimirum in omnem poſteritatem exemplum: patrem cernere, quem, cum à ſpectaculo amovendus eſſet, fortuna ſupplicii exactorem liberis faceret. Sed ita comparatum eſt, ut poſt mutatam Reipub. formam (ſive mutatio illa in melius, ſive in deterius facta fuerit) neceſſe ſit ſemel ab iis acerbum ſuppliciū ſumere, quicunq; ſe huic mutationi oppoſuerint, ſi modo novum hunc Reipublicæ ſtatum conſervare velis. Utq; rem paucis comprehendam: ſic pronuntio: Qui tyrannidem occupat, conſervare eam non poteſt, niſi ſublato Bruto: qui pulſo tyranno, publicam libertatem recuperat, illam conſervare nequit, niſi tollentur è medio filii Bruti. Qua de re multa ſuperius diſſerui: ut non opus ſit plurib. eadem repetere. Unum tantū adjiciam

am exemplum ex iis, quæ in noſtra Republica geſta ſunt. Petrus Soderinus Florentiæ cum publicam libertatem recuperaſſet: putavit ſe patientia & animi moderatione devincere poſſe eorum animos, qui filiorum Bruti ſimiles eſſent, & antiquam tyrannidem aſpirarent: ſed vehementer erravit. Fuitque tanto deterior hic error illius, quod etſi (ut erat vir ſumma prudentia) intelligeret, oportere eos è medio tolli, à quorum ambitione tantopore oppugnabatur nunquam tamen id præſtare voluit. Nam præter quod ſperabat, quorundam malevolentiam patientia ſua ferri poſſe, quorundam animos beneficiis honoribusque reconciliari, ut ſæpe cum amicis diſſerendo oſtendebat: illud etiam vehementer horrebat, ne ad compeſcendos opprimendoſque hoſtes ſuos: extraordinariam quandam vim, & violentiam plusquam civilem adhibere oporteret. Sed rurſus ſi illam adhibuiſſet, populi certe multitudinem tanto affeciſſet terrore, ut poſt ipſius obitum, nullum amplius evexiſſent ad Signiferi magiſtratum ſummum, iis conditionibus ut per totam vitam eum gereret. Quam rem etſi Reipublicæ ſalutarem, & in ea conſervandam putaret: non ſapienter tamẽ ab illo fiebat, quod ſpe futuri boni, præſens malum tolleraret, quia ingens erat, & longe ſuperabat ſpem futuri boni. Eo igitur ſpectare illum oportebat, ut exitus illius vindictæ Reipublicæ ſalutaris tandem appareret: utq; ſucceſſoribus ſuis præclude-

cluderet viam, tale quiddã in Reipublicæ perniciem perpetrandi, quod illi pro ipſius, ſalute neceſſario faciendum fuerat. Deceptus igitur fuit bonus vir prima illa ſua opinione, parũ intelligens, quod hominum malitia neque longa patientia, neq; muneribus placari, ſedariq; poſſit. Quod ſi Brutum imitari potuiſſet: & dignitatem ſuam in Republica retinuiſſet, & à ſe partam conſervaſſet libertatem. Sed neque minor eſt etiam difficultas, in conſervanda regia potentia, in imperio nuper acquiſito, quam in conſervanda publica libertate, ut ſequenti capite docebimus.

Caput IIII.

Princeps in parto nuper imperio tutus eſſe non poteſt, quandiu illi vivunt, quos imperio ſpoliavit.

Tarquinii Priſci cædes ab Anci Martii filiis procurata, & Servii Tullii interitus, Tarquinii ſuperbi dolo ac ſcelere paratus, facile omnibus exemplo eſſe poſſunt, quod periculoſum ſit, eum regno ſpoliare, qui poſt modum ſuperſtes futurus ſit: quamvis eum vel maximis beneficiis reconciliare, ac devincire tibi coneris. Tarquinius exiſtimabat ſe regnũ jure poſſidere, cum & à populo, & Senatu regnare juſſus eſſet, nec putabat in Anci filiis malevolentiam, atque indignationem tantum poſſe, ut quicquam tentare auderent adverſus Senatus, populique autoritatem. Sed in omnibus.

bus hiſce erravit. Idemque Servio Tullio contigit, qui putabat ſatis ſibi devinctos Priſci Tarquinii filios, eo quod meritis ac beneficiis illos affeciſſet, iiſque filias in matrimonium tradidiſſet. Ex priori igitur exemplo diſcere debent omnes principes, quicunq; principatu quempiã ſpoliarunt, ſe neutiquam tutos eſſe, quandiu is ſuperſtes eſt, quẽ ſpoliarunt. Ex poſteriori animadvertere poſſunt omnes in univerſum præpotentes, quod veteres injuriæ novis beneficiis difficilime extinguantur: præſertim ſi beneficia injuriis minora extiterint: Certum eſt autem, peccaſſe vehementer Servium Tullium & imprudenter exiſtimaſſe, contentos fore Priſci Tarquinii filios, ſi generi eſſent ejus Regis, cui ipſos imperare, & imperio regere conveniebat. Tanta eſt enim hominum ambitio, tantaque ubique imperandi cupiditas, ut non eorum tantum animos occupet, ad quos regna jure aliquo ſpectant, ſed eorum etiam, ad quos nullo modo pertinent, veluti in Tullia Servii filia, Tarquinii conjuge apparuit: quæ tanta cupiditate regnandi ardebat ut non contenta eſſet eo quod Regis filia erat: ſed maritum adverſus patrem incitavit, ut illi cum regno vitam etiam eriperet. Quod ſi Tarquinius Priſcus & Servius Tullius adverſus eos ſe communire noviſſent, quos regno ſpoliarunt: nequaquam regnum cum vita amiſiſſent. Sed Tarquinius Superbus regno pulſus eſt, eo quod non inſiſteret majorum ve-

ſtigiis

ſtigiis,& veterum regum inſtitutis, ut proximo capite oſtendemus.

CAPUT V.

Ex quibus cauſis regnum hæreditario jure partum amitti queat.

TARQUINIUS ſuperb. videbatur regnum tuto poſſidere poſſe, cum ſublato Servio Tullio, nullus ex illius ſtirpe ſupereſſet maſculus hæres: nec quicquam proinde ei metuendum eſſet eorũ, quæ vel patri vel ſocero nocuiſſent. Quamvis enim extraordinario quodam modo, & per vim regnare cœpiſſet: tamen ſi majorum veſtigiis voluiſſet inſiſtere, inſtitutaque eorum ſervare: non incurriſſet in tantum Senatus populique Romani odium, ut de expellendo illo unquam cogitaſſent. Nec credere oportet, ſtuprum Lucretiæ à Sexto filio illatum,præcipuam cauſam illi fuiſſe, regni amittendi: ſed tyrannidem potius, quam exercuerat:cum in plebem, tum in Senatũ. Nam contra antiquas leges, & majorum conſuetudines, omnem Senatus autoritatem, potentiamque ad ſe unum traduxerat: ut quæ prius ex Senatus autoritate publicis locis tractari, decidique ſolerent,omnia in domo regia privatim tractarentur, magna animorum offenſione quod omnes animadverterent, urbem Romam omni illa libertate jam ſpoliatam eſſe, quam habuiſſet, & conſervaſſet ſub antiquis Regibus. Non igitur patrum animos ſolum offenderat: ſed

plebis

plebis odium quoque adverſus ſeſe concitaverat: cum illa uteretur, & ad cloacas conficiendas & alias mechanicas operas obeundas, plane diverſas ab iis operibus, quibus ab antiquis regibus populus Romanus adhiberi ſoleret. His atque aliis crudelitatis ſuperbiæq; exemplis, omnium civium animos offenderat, & ita adverſus ſeſe concitaverat, ut præparati jam eſſent ad rebellionem, quandocunque iis ſe occaſio aliqua offerret. Et ſi Lucretiæ ſtuprum non interveniſſet, ex alia aliqua cauſa iidem motus orti fuiſſent, quæcunque tandem ſe aliquando obtuliſſet. Quod ſi enim Tarquinius more inſtitutoque majorum regnaſſet, atque vixiſſet: Brutus & Collatinus, Sexti filii ejus facinus, ab ipſomet puniri cupiviſſent, non vindictæ cauſa ad populum confugiſſent. Ex quo utique exemplo diſcere poſſunt, ac debent omnes principes, ꝙ ſemper periclitari incipiant de amittendo principatu tunc, quotieſcunque ab antiquis legibus & conſuetudinibus diſcedere, & eas abolere conantur. Quod ſi amiſſo etiam principatu, obſervare poſſent infortunii ſui cauſas, & modum, quo ei obviam ire potuiſſent, utque imperia hæreditario jure parta facile bonis conſiliis conſerventur: proculdubio non in alios ſed in ſeipſos omnem culpam referrent. Facile eſt enim, ut bonus ſi fueris, à bonis ameris & diligaris: legibus præterea facilius eſt obedire, quam imperare. Quibus omnibus accedit, quod exempla intueri licet

cet bonorum, ac fortunatorum principum, eaq; ſine labore imitari. Nam, ſi vel Timoleontis Corinthii, vel Arati Sicyonei, vel alterius hiſce ſimilis vitam contempleris: tantam deprehendes eſſe benevolentiam, cũ principum erga ſubditos, tum ſubditorum erga ſuos principes, tantamq; ubique ſecuritatem, ut ſi ſanæ mentis compos ſis, ad eos imitandos ſummo ſtudio eniti coneris: præſertim quod id nequaquam difficile ſit. Quam enim aliam libertatẽ optent ſibi homines, quam ut bene gubernentur? Nullam ſane. Itaque vel nolentes coacti ſunt regnare bini illi, quos jam memoravimus principes, cum ſubditi facile intelligerent, ſe à nullis aliis tam bene gubernari poſſe. Sed quia jam incidimus in hanc diſputationem, ſemelq; facta eſt mentio odii, quod aliquando concipiunt homines adverſus tyrannos, & conjurationis filiorum Bruti, & ejus etiam, quæ adverſus Tarquinium Priſcum, & Servium Tullium facta eſt: tranſibimus ad ipſas conjurationes, ut ex profeſſo diſſeramus de omnibus, quæ in illis obſevationẽ digna eſſe videntur: rem certe principibus viris vel imprimis conſideratione dignam.

Caput VI.

De conjurationibus.

NON negligendam hoc loco exiſtimavi diſputationem de conjurationib. quod eæ res ſint magni admodum momenti, & periculo-

riculoſæ cum privatis, tum principibus viris uſque adeo, ut per haſce plures imperio vitaque ſpoliati fuerint, quam aperto bello. Cujus rei ratio eſt, quod aperto Marte eum principe dimicare pauci poſſunt: ſed adverſus illum conjurare, quibuslibet licet. Quod etſi ita ſit, tamen nihil eſt in hoc univerſo mundo, tam periculoſum homini privato, pernicioſumque, quam ſi conjurationibus ſeſe implicuerit, atque miſcuerit. Nam quocunq; modo illæ tractentur, tamen periculis undique ſcatent maximis: atque hinc fit ut multæ quidem fiant conjurationes, ſed pauciſſimæ ſortiantur finem propoſitum. Itaque de illis copioſe diſputare decrevi hoc loco, cum ut principes diſcant cavere ſibi ab eârum periculis: tum ut privati homines minus audaces ſint, ad conjurationes attentandas, magiſque patienter ferant ſervitutis jugum, quodcunque fortuna illis impoſuerit. Veriſſimum enim eſt, quod inquit Cornelius Tacitus res præteritas ſuſcipiendas, & in honore habendas eſſe, præſentes ferendas, Bonos principes expetendos: ſed eos qui jam imperant ferendos tollerandoſque eſſe qualescunque fuerint. Qui ſecus faciunt, perſæpe in cauſa ſunt, cum ſui tum patriæ interitus, atque ruinæ. Hanc igitur diſputationem aggrediemur nunc: & primo advertemus, quod vel adverſus patriam, vel contra principem conjurare homines potiſſimum ſoleant: noſque etiam de publici hoc genere potiſſimum diſputabi-

mus. Nam de iis conjurationibus, quibus vel urbs aliqua obſeſſa hoſti traditur, vel ſimile quippiam perpetratur, antea ſatis diſputatum eſt. Quæ adverſus principem attentantur, variis de cauſis fieri ſolent, ſed inter omnes alias maximum momentum habere ſolet Populi odium, adverſus Principem conceptum. Nam quem populus univerſus odit, eum neceſſe eſt multos læſiſſe, & multos habere, qui cum vehementer offenſi ſint, de vindicta cogitent: quorum cogitationes magis magiſque confirmentur, ex communi totius populi odio. Itaq; ad evitanda hæc pericula, cavere ſibi debent principes à populi odio, & ejus benevolentiam ſibi conciliare iis artibus, de quibus alibi diſputatum à nobis eſt. Quod ſi è communi plebe diligantur, non facile quicquam patientur, ſi vel maxime aliquos offenderint. Neque enim homines tanti facere ſolent injurias privatim acceptas, ut propterea ſe tantis periculis exponere vindictæ cauſa, aut velint aut poſſint: & ſi maxime id attentare cuperent, tamen metuunt communem illam populi benevolentiam erga principem, eaque in officio continentur. Cæterum quæ populo inferuntur injuriæ à principibus, cauſæque ſunt, ut illos odio proſequatur ea lædere ſolent ſubditorum aut vitam aut honorem, aut opes. Et vitæ quidem lædendæ ſolæ minæ principum, plus odii concitant, magiſque periculoſæ ſunt, quam ſi eorum executio inſtituatur. Nam qui è medio tolluntur vin-

Conjuratio adverſus principem.

Injuriæ principum quotuplices.

vindicare injure injuriam nequeunt: qui in vivis eſt, ſiquidem minatus illi princeps fuerit, neceſſitate ipſa cogitur, vel de inferenda vel de patienda injuria cogitare: itaque principi ſuo fit maxime formidabilis. Secundum deinceps locum obtinent fortunæ & fama, quę ſi lædantur, homines ad vindicandum vehementiſſime excitant. Itaque abſtinere decet principem ab hiſce. Neque enim quemquam uſque adeo nudare fortunis poteſt, quin illi cultellus ad vindicandum remaneat: nec quemquam poteſt tantopere dehoneſtare, quin illi animum ad vindictam obſtinatum relinquere cogatur. Exiſtimant autem homines, tunc maxime læſam ſibi eſſe famam à tyrannis, cum vel mulierum violatur pudicitia, vel ipſi aliquo vituperio afficiuntur, & contemnuntur. Hæc enim cauſa fuit, quæ Pauſaniam adverſus Philippum Macedoniæ Regem excitavit, & multos alios adverſus principes ſuos armavit. Ætate noſtra conjuravit Julius Bellantius, adverſus Pandolphum Senenſium tyrannum, ſocerum ſuum, ob nullam aliam cauſam, quam quod filia illum ſpoliaviſſet, quam prius illi in matrimonium dediſſet. Pazzii Florentiæ conjurarunt contra Mediceos, ob ademptam ſibi Joannis Bonerthomei hæreditatem. Præter haſce cauſas, moventur etiam nonnulli ad conjurandum contra principes, deſiderio liberandæ patriæ, quæ per vim ab ipſis occupata ſit. Quo quidem modo Brutus & Caſſius ad Cæ-

Cæſarem percutiendum excitati fuere:& multi alii adverſus Phalarin, Dionyſios, alioſq; tyrannos commoti:nec unquam tuti eſſe poſſunt tyranni,ab hujuſmodi conjurationibus niſi renuntient tyrannidi:quod cum pauci facere velint, pleriſq; etiam evenit triſtis eventus, ut ex Juvenalis ſententia:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendant reges & ſicca morte tyranni.

Sed qui conjurant, tamen ingentia pericula ſubeunt: quod & clandeſtina illa conjuratorum conſilia, & eorum exequutio,& quæ poſt exequutionem ſequuntur vehementer formidoloſa ſint omnia. Quod ſi unicus ſit,qui tantum facinus patrare decreverit:conjuratio dici non poteſt, ſed firma quædam eſt animo diſpoſitio, & cogitatio, de Principe tollendo, ſolumque ejus conſilium periculo caret:quandiu enim nemini communicatur, principi innoteſcere nequit, quod penes eum ſolum conſiſtat, qui id perpetrare conatur: ſi ad exequutionem veniendum eſt, occurrunt eadem pericula quæ conjuratis. Poſſunt autem hujuſmodi conſilia cadere in quoſcunque homines, nobiles, ignobiles, familiares principi, aut ignotos: quod nullus tam humilis ſit, quin illi occaſio dari queat aliqua,principem alloquendi:Et cui poteſtas ſit loquendi cum principe, ei non deeſt occaſio occulti odii ignes evomendi. Pauſanias certe Philippum Macedoniæ Re-

Unius hominis conjuratio.

gem

gem ad templum euntem, ſtipatum mille armatis ſatellitibus, medio loco inter filium & generum conſiſtentem, necavit. Erat autem ille nobilis & familiaris Regi. Sed Hiſpanus quidam, infimæ, & abjectiſſimæ ſortis homo, auſus fuit Ferrando Hiſpaniæ Regi cultrum in collum defigere: quod vulnus etſi non fuerit profundum, neque mortale: tamen indicio eſſe potuit, ab hujuſmodi infimæ ſortis hominibus poſſe etiam facinora tanta patrari. Deruiſius etiam quidam Turcicus ſacerdos, in Baiſetum Imperatorem Turcicum, ejus qui nunc vivit, Imperatoris patrem, telum contorſit, quod etſi non feriit: oſtendit tamen à tali quoque homine, poſſe tantum ſcelus tentari. Nec dubium eſt quin plurimi extent ſubinde, qui de tali vindicta adverſus tyrannos ſecum cogitent, eamque ſummopere cupiant: non auſi ſunt tamen prodire, & exequi, quod volunt, niſi pauciſſimi: iidemque fere omnes in tali facinore pereunt. Sed de hoc pertinaci unius hominis conſilio hæc ſufficiant. Ad conjurationes jam veniemus: de quibus hoc primum pronuntiamus, quod illæ non niſi à magnis atque præpotentibus viris, quique principibus noti familiareſque ſint, fieri ſoleant. Cæteri enim nil tale tentare aut poſſunt, aut audent, niſi plane amentes fuerint: quod omnibus rebus deſtituantur, quibus conjuratio ad propoſitum finē perducatur. Neq; enim clientes habent, aut alios fidos amicos, quibus poſ- *Conjuratio tenuiorū hominū contra principem.*

ſint ſecreta communicare conſilia: quod omnibus rebus priventur, quibus homines ab ſubeunda magna pericula incitantur: itaque quam primum pluribus communicatum fuerit illorum conſilium, detegitur conjuratio, & ipſi pœnas luere coguntur. Quod, ſi quandoq; etiam tam fortunati eſſent, ut ſecreta conſervare conſilia poſſent: tamen, cum ad patrandum facinus veniendum eſt, tantam experiuntur rei difficultatem, cum principem libere adire nequeant, ut ipſa ſtupefacti, inter agendum pereant. Quod, ſi enim magni & præpotentes viri, quibus ſemper patet aditus ad principem, tanta rei difficultate tamen opprimuntur: non dubium eſt, quin eadem res, hominibus tenuioris fortunæ infinitis modis magis ardua, difficiliſque evadat. Itaque cũ tantam rei difficultatem proſpiciant homines Idiotæ, abſtinent à tam periculoſis facinoribus, contentique ſunt interim maledictis, quæ in Principem ſubinde jactant, expectantes, ut alii potentiores tyrannidem vindicent. Quod ſi qui hujuſmodi tenuiorum hominũ, aliquando contra tyrannos conjuraſſe deprehenduntur: eorum ſtudium & voluntas magis laudabilis eſt, quam prudentia.

Magnatũ contra principẽ conjuratio. Plerumq; igitur magni viri ſunt, qui conjurationem adverſus principem tentant, & quidem ei familiares. Ex quibus permulti ad id faciendum, non minus beneficiis acceptis, quam injuriis impelluntur: veluti Perennius adverſus Commodum: Plautianus cõtra Severum: & adverſus

verſus Tyberium Sejanus. Nam hi omnes à ſuis Imperatoribus, ad tantas opes, honorumque gradus evecti erant, ut ipſis nihil deeſſe videretur, præter ſolos imperii faſces: quos ut etiam comparare poſſent, adverſus ſuos quique principes conjurarũt: Sed habuit eorũ omnium conjuratio exitum tanta ingratitudine digniſſimum. Patrum tamen noſtrorum memoria meliorem finem ſortita eſt Petri Appiani, contra Petrum Gambacurtum, Piſanorum principem, conjuratio: à quo cum & educatus, & ad multos honores evectus eſſet: eum tamen poſtmodum imperio ſpoliavit. Secus accidit Cappolo, poſtquam adverſus Ferrandum Arragoniæ Regem conjuraſſet: nam cum ejus quoque potentia jam tanta foret, ut nil illi præter Regis nomen deeſſet: Id quoq; ſibi comparare commotus, vitam cum omnibus fortunis amiſit. Videbatur autem huic vel imprimis debuiſſe inſtituti ſui ratio ſuccedere, cum tanta exiſteret illius potentia, ut Regi propemodum æquaretur, ac proinde facile exequi poſſet, quicquid facere decreviſſet. Sed cupiditas dominandi illos occæcat, non modo ut tanta facinora ſuſcipere auſint, verum etiam, ne id quod ſemel facere decreverunt, recte cauteque tractare poſſint: quod ſi iſthæc ſcelera prudentia quadam tractare noviſſent, non poſſet illis non evenire id, quod propoſuerant. Itaque diſcere hinc debent principes, ad evitandas conjurationes, eos vel maxime ſibi metuendos, in quos plurima

beneficia contulerunt: quod hi magis formidabiles ſint, quam qui plurimis injuriis affecti fuere. Nam voluntas in utriſque ſimilis eſt, potentia in his, qui beneficia acceperunt, major exiſtit: majorque furor eſt in dominandi cupiditate, quam in vindicandæ injuriæ deſiderio. Eo autem pertinebit, ne amicorum quenquam nimium extollant: ſed curent, ut intervallum quoddam ſit ab eo gradu, quem quiſque tenet, uſque ad ſummum imperium, ne ſi quid amplius appetant, ad imperium ipſum immediate aſpirent. Sed ad inſtitutum nunc redeundum eſt, & inquirendæ cauſæ variorum eventuum, qui hujuſmodi præpotentibus viris fœlices infœliceſque evenere, cum adverſus principes ſuos conjuraſſent. Et quia periculum impendet, cum in conſultando, tum in exequendo, & poſt exequutionem: itaque rariſſime fit, ut omnia tria evitari queant, pauciſſimæque ſunt conjurationes, quæ ad fœlicem exitũ perduci queant. In capiendis conſiliis de conjuratione, ſumma & omnium maxima pericula exiſtunt, quod ni caute prudenterque tractentur, facile detegantur: ſive id fiat per conjecturas aliquas, aut indicio alicujus conjuratorum, qui vel perfidia, vel ſtultitia ſua motus, conſilia conjuratorum aperiat & prodat, vehementerque metuenda eſt hæc ſociorum perfidia. Neq; enim conſilia communicare potes cum quoquam alio, quam cum iis, qui vel tibi ſint fideles, taciturni, adeoque prompti pro te mortem obire,

Prima pericula quæ in conjuratione metuenda.

obire, vel certe qui principi vehemẽtiſſime ſint infenſi. Tam fidos taciturnoſq; amicos pauciſſimos invenies: nec potes conſilium pluſquam uni aut duobus communicare. Nam inſignem oportet eorum erga te amorem eſſe, ne metu periculi deterreantur. Quibus accedit, quod perſæpe errare liceat, ut exiſtimemus nos ab amicis magis amari, quã re ipſa amemur. Nunquam enim de illorum ſingulari amore erga te certus eſſe potes, niſi per experientiam, eademq; in hiſce quidem rebus periculoſiſſima eſt. Quod ſi in aliis, quæ leviora ſunt, comprobetur, per experientiã fides amicorum: nil prohibet, quin in negotio longe difficiliori deinde nos fallat. Quod ſi etiam expiſcari velis cujuſquam erga principem odium: neceſſe eſt, ut ſimul illi tuum quoq; declares animũ: quo cognito, ille rationem habebit, ut principi reconcilietur, teq; illi prodat: à qua re illum nihil detinere poteſt, niſi forte ille aut principem vehementiſſime oderit: aut te ſingulari amore proſequatur. Quo ſane fit, ut plurimæ ſtatim à principio detegantur & opprimantur: & ſi quæ conjuratio multis communicata, diu tecta, ſopitaque conſervetur, miraculi loco habeatur: cujuſmodi fuit Piſonis contra Neronẽ, & conjuratio Pazziorum adverſus Laurentium & Julium Mediceos, in quarum ſingulis conjurati circiter quinquaginta fuere: nec patefacti ſunt, donec ad ipſum factum & exequutionem conſiliorum perventum eſt. Per impru-

dentiam deteguntur conjuratorum conſilia etiam, ſi minus caute de hiſce rebus loquantur, ut eorum vel ſervi vel clientes animadvertant: quemadmodum accidit filiis Bruti, qui in tractandis conſiliis cum Tarquinii legatis, à ſervo obſervati, delatiq; fuerunt. Idem evenire ſolet, ſi levitate ſua conjuratorum quiſpiam vel mulieribus, vel adoleſcentibus communicaverit, quemadmodum fecit Dinus: qui poſtquam una cũ Philota adverſus Alexandrum Magnum conjuraſſet, Nicomacho puero, quem amabat, conſilium aperuit: isque Ciballino fratri, atque hic deniq; Regi idem detexit. Per conjecturas detegitur conjuratio eo modo, quo patefacta eſt Piſoniana, contra Neronem ſuſcepta. Sceninus enim conjuratorum unus, pridie ejus diei, quo Neronem interficere debebat, teſtamentum fecit: per Milichium libertum exacuere curavit antiquum quendam pugionem: ſervos omnes in libertatem aſſeruit, pecuniaque donavit: & faſcias denique ad deliganda vulnera, præparavit: quibus conjecturis Milichius rem animadvertens, dominum accuſavit. Itaque comprehenſus Sceninus, & Natalis, unus itidem ex conjuratis unacum illo (quod præcedenti die, loco ab arbitris remoto, hos ſimul longum ſermonem habuiſſe compertum foret) cum nõ in mentem veniſſet ipſis colloquium, quod ſuſpicionis cauſam præbuerat, aperte confiteri conſilia conjurationis coacti ſunt, cum omnium conjuratorum exitio.

Conjecturis detegitur conjuratio.

tio. Sed neque plane fieri poteſt, ut ab omnibus conjecturis caveamus, & ut ſigna illa omnia cælentur, quæ vel imprudentia, vel malitia aliqua interveniente, ſuſpicionem parere poſſunt, ſi modò conjuratorum numerus quaternarium ſuperarit. Quod ſi deinde ex conjuratis capti ſint plures, quam unicus, neceſſe eſt eam patefieri, cum ſeorſim interrogati, nequeant ad eundem modum fingere omnes. Unicus ſi forte capiatur, atque is vir fortis, ac conſtans fuerit, cælare utique poteſt conſilia: dummodo reliqui conjurati metu periculi non percellantur, aut fugiant. Nam ſive is, qui captivus detinetur, ſive ii, qui liberi ſunt, indiciũ aliquod præbuerint, actum eſt de omnibus conſiliis. Memorabile admodum eſt exemplum, Conjurationis in Hieronymum Syracuſanorum Regem factæ, ex cujus conjuratis, cum Theodorus captus eſſet, & torturæ ſubjectus de ſeipſo faſſus eſt, conſcios cælavit: & cum demum intollerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur, victum ſe ſimulans, avertit ab conſciis in inſontes indiciũ, & Regis amicos accuſavit. Sed neq; conſciorum quiſquam quamdiu ſocius conſilii torqueretur, aut latuit aut fugit: tantum illis in virtute, ac fide Theodori fiduciæ fuit, tantumque ipſi virium, ad arcana occultanda. Tanta ſunt igitur in tractandis hujuſmodi cõſiliis pericula: antequam ad factum perveniatur: ad quæ evitanda tria in univerſum remedia extant. Primum, idemque etiam

Liv. li. 24.

optimum eſt, ne ſpatium concedas conjuratis, quo vel ſe mutuo indicare, vel aliis conſilia communicare queant: ſed tunc primum illos tibi ſocios adjungas, cum facinus patrandum fuerit. Quam rationem quicunque obſervarunt, evitarunt prima pericula, quæ in tractandis conſiliis cadunt, omnia, & ex aliis quoque permulta: ut pleræque tales conjurationes ad fœlicem finem perductæ ſint. Exempla duo adducam. Nelematus, cum tyrannidem Ariſtotimi, Epirotarum Regis ferre non poſſet, convocavit in domum ſuam cognatos, amicoſque multos, eoſque hortatus eſt, ut una ſecum tyrannum adirent, eumque necarent, ac patriam liberarent. Sed cum eorum nonnulli tempus peterent deliberandi, ſeque præparandi: Nelematus clauſis foribus, ne quiſquam diſcederet, omnibus indicavit, fore ut quicunque non jurejurando promitterent, ſe jam jam ſecum ituros ad tyrannum occidendum, Ariſtotimo capitivi traderentur. Quo metu permoti omnes ſine mora profecti ſunt, & Nelemati mandata fœlici ſucceſſu expediverunt. Cum Magus ille per dolum regnum Perſarum occupaſſet, eaque res Orthani, uni ex principibus regni innotuiſſet: convocavit ille ſex alios principes, & conſilio habito de modo, quo regnum è Magi tyrannide eripiendũ foret: cum deliberandi ſpatium aliqui peterent, Darius unus è ſex, quos Orthanes convocaverat, aſſurgens, aut omnes, inquit, jam jam una mecum ad

Quib. poſſit celari conjuratio? 1. remedium.

ad necandum tyrannum venietis, aut ego tyranno vos captivos tradam. Itaque profecti una omnes, rem uti propoſuerant, perfecerunt. Similis prope fuit modus, quem Ætoli obſervarunt ad Nabidem Spartanorum tyrannum enecandum. Nam miſere illi, veluti præſidii loco, Alexamenum cum triginta equitibus, & mille peditibus: eique ſoli in mandatis dedere, ut ex occaſione tyrannum opprimeret: cæteris id unicum ſub pœna exilii injunxerunt, ut Alexameno parerent in omnibus. Is igitur cum Spartam perveniſſet, nec cuiquam conſilium aperuiſſet, antequam ſe occaſio offerret rei bene gerendæ: tyrannum commode oppreſſit. Hoc modo evitarunt iſti prima conjurationum pericula: & ne conſilia eorum aperirentur, effecerunt: hoc quicunque imitari poterit, eadem evitabit. Piſoni certe, cujus ante fecimus mentionem facile fuiſſet hos imitari. Nam erat ille vir magnæ apud Neronem autoritatis, & Nero ſæpe ad illum in hortum veniebat, & cibum capiebat. Licebat igitur illi, pro ea, qua pollebat, authoritate, viros fortes audaceſque ſibi conciliare, & cum præſens occaſio eſſet, eos verbis ad patrandum facinus adhortari, nec ſpatium cuiquam concedere, vel deliberandi, vel pœnitendi. Quod certe ſi feciſſet, non potuiſſet non obtinere id, quod propoſuerat. Idemque multis aliis contigiſſet, ſi hos imitari voluiſſent, aut ſciviſſent: ſed hæc eſt in rebus hu-

Liv. lib. 35.

manis calamitas, ut cum alias ſimus imprudentes, & imperiti rerum humanarum: in hiſce arduis & extraordinariis negotiis, plane cæcutiamus. Taciturnitate igitur opus eſt, nec cuiquam unquam communicanda conſilia, niſi urgente neceſſitate, & cum negotium jam patrandum fuerit. At ſi cuiquam impertienda neceſſario fuerint, unico tantum indicentur, de cujus fide per longam experientiam certus eſſe queas, aut quem cognoveris iiſdem cauſis permoveri, atq; tu. Facilius enim unum quempiam invenire poteris talem, quam multos: minuſq; periculi in appellando uno, quam multis. His accedit, quod etſi unicus ille fallere te cupiat, non deeſt remedium defenſioni tuæ, contra quam accidat tunc, cum conjurati plures fuerint. Nam ut ſapienter quidam olim dicebat: cum unico tuto communicari omnia poſſunt, quod etſi te fallere cupiat: tantum tamen valebit, ſi tu factum negabis, quam ſi ille affirmet: niſi forte uſque adeo incautus fueris, ut propria manu tale quippiam ſcripto comprehendas. A qua utique re, unice cavere debes, quod nihil ſit, quo tam facile convincaris; atque propria ſcriptura. Plautianus cum Severum Imperatorem, & Antoninum ejus filium tollere vellet, dedit id mandatum Saturnino, tribuno militum. Sed ille cum accuſare mallet eum, quam dicto obediens eſſe: petiit ſibi id mandatum in ſcriptis dari. Plautianus ambitione ipſa occæcatus, mandatum

2. remedium.

propria

propria manu ſcripſit: itaque à Tribuno indicatus, & propria manu convictus eſt: quod ſi id non ſcripſiſſet, evadere utique potuiſſet, uſque adeo conſtanter negabat: ut hinc manifeſte diſcere liceat, conſilia cum unico communicata aliqua ratione cælari, negarique poſſe. Erat in conjuratione Piſoniana, Epicaria mulier, Neronis olim amica, conſiliorum omnium particeps: quæ cum ex uſu eſſe, conjuratorum numero adiicere quendam triremium præfectum, putaret: appellavit eum, conjurationem aperuit: ſed conjuratos cælavit. Itaq; cum perfidus ille eam fefelliſſet, ac Neroni indicaſſet: tam conſtanter negavit fœmina, ut Imperator ſtupefactus, eam dimiſerit. Quæ cum ita ſe habeant, tantummodo hæc pericula impendent ei, qui conſilia uni ſoli impertiit, ne vel te ſponte accuſet, probareq; poſſit factum: vel coactus indicet, ſi forte ob indicium aliquod ipſe capiatur, & torturæ ſubjiciatur. Eſtq; remedium aliquod adverſus utrumque: quod id malevolentia, atque odio permotus fecerit: vel certe cruciatibus impulſus, ut falſa fateretur. Itaq; ſummæ prudentiæ fuerit, conſilia nemini communicare, donec ad factum ipſum veniendum ſit: & imitari exempla quæ jam ante propoſuimus. Aut ſi omnino communicanda ſint, ne pluſquam uni ſoli impertias: qua in re, etſi periculum non deſit: longe pauciora tamen ſunt, quam ſi negotium communicetur pluribus. Proximum ac ſimile præcedenti-

3. reme-dium. dentibus exemplis eſt: ſi quando tyranni violentia te cogit, ut tu illi id inferas, quod ipſe alioquin tibi illaturus fuerat: nec ullum detur vel ſpatium, vel occaſio, qua utrunque hoc evitare poſſis. Nam hæc neceſſitas plerunque bonum finem ſortitur: ut jam exemplis manifeſtum evadet. Commodus Imperator Prætorianis militibus Lætum Electumque duces præfecerat, quibus familiariſſime utebatur: & Martiam concubinam præ cæteris diligebat. Sed quia iidem hi vitæ ſuę turpitudinem quandoq; reprehendebant: decrevit eos omnes, & alios quoſdam una cum illis è medio tollere, quos omnes ordine in ſchedula deſcriptos habebat. Quam ſchedulam cum pulvinari ſubjeciſſet, eamq; puer, illi familiaris, in cubili ludens, mane inveniſſet & ex cubili egreſſus, Martiæ, quæ obviam forte occurrebat, tradidiſſet: Accidit, ut illa una cum Læto atq; Electo, cognito inde, quod omnibus imminebat, periculo, ſequenti nocte Commodum oppreſſerit. Antoninus Caracalla etiam, cum in Meſopotamia cum exercitu eſſet, & Macrinum copiarum ſuarum ductorem ſecum haberet, hominem politicum magis, quam militarem: accidit illi, quod cæteris quoq; tyrannis evenire ſolet, ut metueret, ne, quod maxime merebatur, aliquis imperium invaderet, aut inſidias ſtrueret. Itaque datis ad Maternianum, amicum ſuum, literis, rogavit eum, ut Romæ ab Aſtrologis expiſcaretur, num quis eo tempore eſſet, qui ad imperium aſpira-

aſpiraret, idque ad illum perſcriberet. Maternianus igitur reſcripſit, Macrinum illum eſſe, qui eo tempore aſpiraret ad Imperium. Eæ literæ, cum prius ad Macrini, quam imperatoris manus perveniſſent, certiorem eum de periculo, quod imminebat, fecerunt itaque cum aut moriendum ſibi cerneret, aut occidendum Antoninũ, antequam aliæ literæ Roma afferrentur: Martiali amico certo cujus fratrem ante paucos dies Imperator necaverat, negotium demandavit, qui illum è medio commodiſſime ſuſtulit. Eſt enim hæc neceſſitas, quæ nullam moram patitur, ſimilis Nelemati conſilio, de quo ante fecimus mentionem. Sed interim obſervatione dignum eſt, per eadem hæc exempla, manifeſte comprobari id, quod principio hujus diſputationis monuimus, minas plus nocere principibus, & vehementiores excitare conjurationes contra ipſos: quam injuriæ ipſæ, ut ſemper cavendum ab iis ſit. Homines enim benevolentia continendi ſunt in officio: Quę ſi non profit, ita puniendi ſunt, ne amplius nocere queant: nunquam autem eo adducendi, ut videant vel ſibi pereundum eſſe: vel alium tollendum. In exequendis conſilis conjurationis, impendent pericula ex hiſce maxime cauſis: ſi vel ordo, vel methodus agendi immutanda ſit in ipſo actu, ex aliqua occaſione: vel ſi percuſſoribus animus deſit: vel ſi iidem per imprudentiam errent: aut ſi non omnes interimantur: qui necandi fuerant. Nam primum qui-

Secundum periculi genus in conjurationibus.

quidẽ quod attinet, exiſtimare debemus nihil plane eſſe, ex quo humanæ actiones tantopere impediantur, quam ex ſubita mutatione ordinis, ac methodi quæ ad agendum jam dudum concepta animo, atque conſtituta fuerat. Et ſi uſquam nocet, in rebus certe bellicis, quæque iis ſimiles ſunt, pernicioſiſſima eſt. Nam ad patrandum tale quoddam facinus, nihil magis neceſſarium exiſtit, quam ut conjuratorũ ſinguli, jam ante longo tempore de ſuo officio cogitent, ut quiſque ſciat, quid, quo loco, quo tẽpore, & ex qua occaſione agendum. Quo fit ut poſtquam in certum quendam modum agendi oculos diu intentos habuerint: atque is ſubito mutandus ſit: conſilia omnia periclitentur ac perturbentur. Itaque etſi occaſio requirere videatur aliquam ordinis mutationem: longe tamen melius eſt, facinus ſecundum præſcriptam prius methodum perpetrare, quam ordinis ſubita mutatione, tot pericula ſubire. Quod ſi tempus ſuppetat, mutari & ordinari omnia poſſunt: ſed mutationes ſubitæ vehementer periculoſæ ſunt. Exemplum notum eſt ex conjuratione Pazziorum contra Laurentium & Julianum Mediceos: in qua hæc erat à conjuratis præſcripta methodus agendi: ut Cardinalem S. Georgii prandio exciperent, & in eo convivio necarent, quos vellent: erantque jam diſtributa conjuratorum officia, & conſtitutum qui percuſſores eſſe deberent: qui occupare palatium: & qui excurrere per urbem,

ac

ad populum convocandum, & publicam libertatem denuntiandam. Sed cum inſtaret tempus patrandi facinoris, ac conjurati in ſummo templo forte ſacris intereſſent, una cum Mediceis Florentiæ: compertum eſt, Iulianum non ſolitum prandere: qua re cognita cōjurati ſubito convenerunt, & quod prius conſtituerant domi inter prandendum facere: id in templo patrandum cenſuerunt: quę res univerſam methodum perturbavit. Nam Ioannes Baptiſtæ de ſicco monte, in templo cædis particeps eſſe noluit: itaque alium illi ſurrogare, & ſingulis officiis novos miniſtros aptare ac quærere oportuit: qui in agendo tantopere errarunt, ut conjurati in ipſo actu oppreſſi fuerint. Percuſſoribus deeſt animus, quandoque ob majeſtatem vultus ejus, qui necari debebat: quandoq; ob timiditatem, percuſſori inſitam. Nam tanta ſolet eſſe majeſtas, ac gravitas vultus, in quibuſdā principibus, ut percuſſorē vel metu ſubito terreant, vel alioquin ejus animum humanitate aliqua à tanto facinore avertant. C. Mario, cum à Minturnenſibus captus teneretur, immiſſus ſervus, qui illum necaret: tanta vultus majeſtate, & nominis recordatione perterritus fuit, ut vires ad percutiendum deeſſent. Itaque ſi tantum potuit autoritas, & gravitas vultus hominis captivi, & tanta fortunæ adverſitate vexati: quid ſentire debemus de majeſtate liberi principis, qui magnifico illo cum apparatu, multis ſatellitibus comitatus ingrediatur

diatur: Poteſt profecto hæc vel audaciſſimum quemque terrere, & crudeliſſimum miſericordia permovere. Fuere quidam, qui adverſus Sitalcem Thraciæ Regem conjurarunt, ac cum ſimul eſſent jam omnes in eum finem congregati, ut illum necarent: nullus quicquam in regem tentare auſus eſt: ſed cum ſe mutuo tantum intuerentur, Regemque aſpicerent, re infecta diſceſſerunt: nec cauſam intelligebant, cur nihil facere potuiſſent? patefacta itaq; conjuratione, pœnas ſolverunt pro illo ſcelere, quod cum decreviſſent, patrare noluerant. Adverſus Alfonſum quoque Ferrariæ ducem conjuraverant bini ipſius fratres, & utebantur opera Johannis presbyteri muſici ejus: qui etſi Ducem, ut poſtulaverant, ſæpe ad ipſos deduceret; amplaque illis poteſtas ſæpe foret illum enecandi: non auſus eſt tamen eorum quiſquam id perpetrare: ex qua re factum, ut aperto tandem eorum conſilio: meritas pœnas malitiæ, ſtultitiæque ſuæ ſolverint. Neq; vero alia de cauſa iis hoc accidit, quam quod vel perterrefacti principis majeſtate, vel illius aliqua humanitate ad miſericordiā commoti fuerint: videntur errores hi dependere, vel ex timiditate, vel imprudentia, ac ſtupore quodam, quibus perturbati Conjuratorum animi, aliud quiddam faciunt, ac dicunt, quam debebant, atque volebant. Hunc ſtuporem deſcripſit Livius in Alexameno, cujus ante fecimus mentionem. Nam cum occaſio veniſſet patrandi adverſus

Nabi-

Nabidem facinoris, conſiliumque ſuis jam communicaſſet, tunc ut Livius ait, colligit & ipſe animum, confuſum tantæ cogitatione rei. Solent enim etiam viri fortes, quique arma tractare conſueverint, in tam arduis crudelibuſq; negotiis perturbari: quo fit ut percutiendi partes, non niſi audaciſſimo cuique, & cujus animi crudelitas per experientiam comperta ſit, demandari debeant. Nam tanta vis eſt illius animi perturbationis, ut vel arma ex manibus excutere tibi queat, vel verba quædam proferre, quibus totum negotium prodatur, & opprimatur. Lucilla, Commodi ſoror, Quintiano provinciam interficiendi ejus demandaverat. Is igitur Commodum expectavit præ foribus Amphitheatri, atq; hic cum ſtricto pugione illi obviam factus: hunc inquit, tibi Senatus mittit. Sed hoc eloquutus, comprehenſus fuit, priuſquam pugione vulnus inferre poſſet. Antonius Volateranus, cui in Pazziorum conjuratione datæ partes erant necandi Laurentii Medicei, cũ illum invaſurus eſſet, proditorem magno cum clamore eum nominavit: quæ vox emiſſa Laurentio ſalutis cauſa extitit, conjuratis vero perniciei. Sed neque perfecte exequi licet conſilia conjurationis quotieſcunq; in plures, quam in unum cõjuratur: quod propemodum fieri nequit, ut uno eodemque tempore in diverſis locis, idem facinus perpetretur: diverſa vero tempora expectari nõ poſſunt, cum facinus uno loco patratum, alterum facile impe-

dire

dire queat. Quod ſi igitur contra unum principem facta conjuratio, res dubia eſt, periculoſa & ſtulta: quæ adverſus duos fit, plane temeraria exiſtit. Et niſi Herodiani autoritas mihi perſuaderet nunquam crederem, quod ille narret de Plautiano: videlicet, mandaſſe eum Saturnio Tribunio provinciam necandi & Severum & Antoninum, diverſis locis habitantes: quod hæc res rationi plane adverſetur. Iuvenes quidam Athenienſes conjuraverant adverſus Dioclem & Hippiam, eorum tyrannos: cum ad factum ventum eſt, Dioclem interfecerunt. Sed Hippiæ pœnas luerunt ſuæ temeritatis. Chion & Leonides Heraclienſes, Platonis diſcipuli conjurarunt contra Clearchum & Satyrum Tyrannos: Clearchum occiderunt. ſed ab altero puniti fuere. Pazziis quoque non ſucceſſit conjuratio cum Iulianum tantum ſuſtuliſſent: Laurentius periculo ſe eripuiſſet. Itaque ab hujuſmodi conjurationibus vehementer abhorrere debent omnes boni: quod iis neque patriæ, neque ſibi quicquam proſint, ſed plurimum noceant. Nam qui periculum effugiant tyranni, poſtea longe crudeliores fiunt: ut ſatis apparet vel ex iis exemplis, quæ jam adduximus, conjurationum Florentiæ, Athenis, atque Heracleæ factarum. Itaque admirabilis magis videri debet Pelopidæ cõiuratio, contra patriæ ſuæ tyrannos, quod illi non unus, ſed decem occidẽdi eſſent: præterea cũ eſſet exul difficillimus illi patebat ad tyrannos aditus. Sed
illi

ille tamen ſuperatis omnibus hiſce difficultatibus, & Thebas venit, & tyrannos necavit, & patriam liberavit: Curionis videlicet cujuſdam opera uſus, qui tyrannis familiaris conſiliarius erat. Sed eſt hoc exemplũ nemini imitandum, quod pro miraculi loco celebretur, ob ſuperatas tantas difficultates. Accedit hiſce, quod impediri etiam poteſt exequutio eorum, quæ in conjuratione decreta ſunt, caſu aliquo, ac fortuita quapiam ſuſpicione: cuius generis illud fuit, quod Brutum ſocioſque commovit eo die, quo in Senatu Cæſarem necare decreverant. Nam cum Cæſar in Senatum iturus, incidiſſet in Cn. Popilium conjurationis conſcium, & cum eo longo tempore collocutus fuiſſet: metuebant cæteri conjurati, qui id obſervaſſent: ne forte Popilius Cæſari rem aperiret. Itaque in eam ſententiam adducebantur, ut eo ipſo loco impetum in illum facerent: idque omnino facturi erant, niſi colloquendi finem feciſſent, & diſcedẽtes à ſe mutuo, nullum periculi ſignum oſtẽdiſſent. Plurimum autem poſſunt hujuſmodi ſuſpiciones: itaque habenda utiq; fuerit earũ ratio, tanto accuratius, quanto facilius eſt ſuſpicari iis hominibus, qui conſcii ſibi ſunt ſuorum ſcelerum. Nam qui tales ſunt, quoſcunque vident colloqui, de ſeſe loqui putant: poteſtq; facile evenire, ut vox aliqua in alium finẽ emiſſa, ipſis ſuſpicionem moveat, tanquam ſi de aliquo conjurationis negotio pronuntiata foret. Ex qua re, vel per fugam cõſilia pate-

Suſpiciones conjuratorum.

pateſacias : vel maturando executionem, in aliud aliquod abſurdũ incidas, præſertim cum plures fuerint conjurationis conſcii. Caſus etiam fortuiti conſiderandi ſunt, quod ii perſæpe actiones conjuratorum impediant. de quibus etſi nil certi docere queas: propoſitis tamen exemplis documentum quoddam, atque cautelam præbere poſſumus. Julius Bellantius Senenſis, ut ſupra meminimus, Pandolphum ſocerum interficere decreverat: quod filiã, quam ei matrimonio junxerat, ademiſſet. Ad id autem peragendum, hanc ſibi methodum præſcripſerat: ut quia Pandolphus ſingulis diebus viſitandi amici cujuſdam, qui ægrotabat, cauſa, domum Julii præteriret: conjurati intra portam domus, eum armati expectarent, & in ſuperiori ædium parte quendam conſtituerant, qui per feneſtram obſervaret Pandolphi adventum, ut cum portæ appropinquaret, ſigno id cæteris ſignificaret. Sed cum Pandolphus jam veniret, & ſignum conjuratis daretur ab illo, qui per feneſtram obſervabat adventum ejus, forte accidit, ut antequam ad portam Julii perveniſſet, amicus quidam obviam factus eum ſalutando aliquantum detineret. Itaque egreſſi cum impetu conjurati, antequam perveniſſet ad portam: conjurationem armorum ſtrepitu prodiderunt: ex quo accidit ut Pandolphus periculum evitare potuerit: Conjurati vero fuga exilioque ſibi ſalutem quærere cogerẽtur. Hoc igitur ſolo caſu fortuito impedita, atque irrita facta

Caſus fortuiti.

facta ſunt omnia Julii conſilia, & Pandolpho ſalus quæſita. Superſunt ea pericula nunc, quæ poſt patratum facinus conſequuntur: quæ ex eo ſolum dependent, ne relinquantur qui necatum principem ulciſcantur, & facinus conjuratorum puniant. Hujuſmodi eſſe ſolent vel fratres, vel filii aut alii conſanguinei, ad quos principatus hæreditario jure aliquando pervenire queat, ſive illi conjuratorum negligentia, ſive alio aliquo caſu pericula evadant, ac ſuperſtites maneant: ut de conjuratis pœnas ſumant. Quemadmodum accidiſſe novimus Joanni Andreæ Lampognano, qui una cum aliis quibuſdam conjuratis, Mediolani ducem ſuſtulerat: ſed cum ſupereſſent bini ejus fratres, & filius unus, non defuit vindicta ſuo tempore. Sed neque poſſunt conjurati providere omnibus caſibus, quibus aliqui alii conſervantur. Nam ſi per negligentiam tales quoſdam in vivis relinquerent: vehementer errarent, ac omni vituperio digni eſſent. Fuere quidam in foro Livio conjurati, qui Girolamum comitem, proprium dominum ſuſtulerunt: Catharinam conjugem cum liberis infantibus in vincula conjecerunt. Sed cum arcem, ſine qua tutos ſe eſſe non putabant, occupare etiam conarentur: neque præfectus illam tradere vellet: perſuaſit illis Catharina ex vinculis, ut retentis liberis pro obſidibus ipſam in arcem intromitterent: ita enim effecturam ut arx ipſis traderetur. Sed cum in arcem ingreſſa fuiſſet, mari-

Tertium genus periculorum conjurationis.

S ti cæ-

riti cædem illis exprobravit minataq; eſt conjuratis ſæveram vindictam: ac ne metu liberorum amittendorum, putarent abſterritam iri à vindicando: membra genitalia illis per feneſtram oſtendit, aſſerens ſibi modum eſſe adhuc alios liberos procreandi, ſi forte impias manus ab illis non abſtinerent. Conjurati igitur tarde nimium ſuæ imprudentiæ moniti, perpetuo exilio ſibimet pœnas temeritatis ſuæ injunxerunt. Sed maximum vindictæ periculum tunc impendet conjuratis, cum populus principem amat, in cujus caput facta eſt conjuratio. Tunc enim vindictam evitare nunquam poſſunt. Exemplo eſſe poteſt G. Cæſaris cædes. Nam cum is populum Romanum benevolum habuiſſet, vindicata ab illo eſt cædes Cæſaris, & percuſſores omnes urbe pulſi, & diverſis in locis necati. Quæ vero adverſus patriam fiunt conjurationes: autoribus ſuis longe minus periculoſæ ſunt, quam quæ adverſus Principes tyrannosque tentantur. Nam in tractandis eorum conſiliis parum periculi eſt: in iis exequendis tantum, quantum in iis quæ fiunt contra principes: poſt patratum facinus, nullus amplius ſupereſſe poteſt metus. Parum periculi eſt in conſultando, quod cives vires ſuas ſenſim augere, & copias comparare, ſine ſuſpicione queat, ſenſimque ſe præparare ad facinus ipſum perpetrãdum, abſq; impedimentis. Quod ſi aliquando lex aliqua ob aliam cauſam lata, impedimento ſit tuis conatibus: differri

Conjurationes contra patriam.

ferri illi in aliud tẽpus poſſunt, donec commodior occaſio detur. Sed hæc omnia intelligere debemus, ita fieri poſſe in iis ſolum Rebuſpublicis quibus ſerpere jam cœpit corruptela morum. Nam in quibus incorrupti adhuc ſunt mores hominum: veriſimile eſt, nullum civem hujuſmodi conſilia tractaturum. In corrupta autem Republica multæ patent viæ, & rationes ad principatum abſque ullo ſingulari periculo aſcendendi: quod magiſtratus tarde moveatur ad reſtinguenda hujuſmodi incendia, & longe minus cauti ſunt quam principes. Revereri etiam ſolent ſuos cives potentiores: ex qua re illis deinde audacia major accreſcit. Nota omnibus eſt Catilinaria conjuratio, à C. Saluſtio deſcripta: ſed eadem detecta jam erat, cum Catilina non modo in urbe tutum ſe eſſe putabat, ſed in Senatum venire, & patribus cõſulique maledicere audebat: tantum ſcilicet ſolebat ea Reſpublica cives ſuos revereri. Quin etiam tunc, cum urbe exceſſiſſet Catilina, & eſſet in exercitu, nequaquam capti fuiſſent Lentulus, cæterique conjurati, ni literis, eorum propriis manibus ſcriptis, convicti fuiſſent. Hanno potentiſſimus Carthaginenſium Reipublicæ civis, aſpirabat ad tyrannidem, cujus aſſequendæ cauſa, decreverat in nuptiis filiæ Senatum univerſum veneno tollere. Ea re cognita, Senatus non aliter proſpexit huic malo, quam quod lata lege, nuptiarum ſumptĩbus modum poſuit talem, ex quo ejus conatus impedi-

pediretur: tanti hunc ſuum civem faciebant. In exequendis contra patriam conjurationis conſiliis, magna difficultas, magnumque periculum eſt. Nam raro accidit, ut unicus civis potentia tanta ſit, quæ patriam ſubjugare queat: cum hîc adverſus multos pugnare oporteat, neque etiam ſæpe accidit, quod contigit C. Cæſari, Agathocli & Cleomeni, ut in promptu habeas inſtructiſſimum exercitum ad patriam ſubito occupandam. Sed cum vires conjuratis deſunt, tunc arte aliqua & dolo tentant, aut exterorum implorant auxilium. Dolo artificiali uſus eſt Piſiſtratus. Nam cum victis Megarenſibus magnam ſibi apud plebem benevolentiam comparaſſet: prodiit domo ſua, quodam die mane, in publicum vulneratus, & coram populo queſtus eſt de injuriis, quas ab optimatibus accepiſſet petiitque ut liceret ad cuſtodiam corporis ſui armatos aliquos ſecum habere: ex qua re conceſſa per imprudentiam: paulatim ſummum imperium per tyrannidem occupavit. Pandolpho Petruccio, cum ex militia Senas cum aliis quibuſdam rediiſſet, ſenatus cuſtodiam fori demandavit, remque tunc contemptui eſſet: ſed ille, opera ſuorum ſatellitum, tantam conciliavit ſibi autoritatem, ut principatum urbis, brevi tempore occupaverit. Alii alio quodam modo, ac diligenti induſtria idem præſtiterunt, ſine ullo tumultu. Sed qui per vim, aut auxilia peregrina patriam occupare conati ſunt, varios habuerunt eventus

prout

prout illis fortuna magis aut minus aſpiravit, Catilina certe occubuit, Hanno, de quo ſumus locuti paule ante: cum propinandi veneni occaſio illi erepta eſſet, multos clientes aliosque ſuæ factionis homines armavit, & cum iis omnibus oppreſſus eſt. Thebani quidam cives, cum adverſus patriam conjuraſſent, advocato in auxilium Spartanorum exercitu, voti compotes facti ſunt, & patriæ imperium occuparunt. Omneſque adeo conjurationes contra patriam factæ aut ſucceſſerunt ſuis autoribus, aut in ipſo facto oppreſſæ ſunt: dum tractabantur eorum conſilia, nil ſenſerunt periculi. Poſtquam patratum facinus fuerit, & conjurati voti compotes facti: non eſt aliud periculum metuendum ullum, quam ea ipſa, quæ cum tyrannide alioquin conjuncta eſſe ſolent: de quibus evitandis jam anteà nobis diſputatum eſt. Hæc ſunt quæ de iis conjurationibus docendum putavi, quæ ferro ad propoſitum finem tendunt: de iis quæ veneno utuntur, nil dixi, quod iiſdem principiis innitantur, eademque methodo progrediantur. Magis vero etjam periculoſæ eſſe ſolent conjurationes, quæ utuntur veneno, magiſque de ſuo exitu incertæ cum ob eam cauſam quod communicare neceſſe ſit conſilium cum iis qui veneni naturam noverunt, quique ejus propinandi commoditatem habent, tum quod multis de cauſis fieri queat, ut venenum ſumptum tamen non enecet. Tale fuit poculum, Commodo

Imperatori propinatum. Nam cum id vomitu ejeciſſet, neceſſe fuit conjuratis, ſi ſublatum illum vellent, ut illum laqueo interficerent. Principes certe viri, ſummam peſtem exiſtimare debent conjurationes, & ab illis ſummopere cavere. Nam cum ſemel in principem conjuratum fuerit: aut ipſi pereundum eſt: aut alias cum quadam infamia vivendum. Si enim res conjuratis ex animi ſententia ſuccedat, interficitur princeps: ſin detegatur conjuratio, & ſupplicium de conjuratis ſumatur: tunc cadit princeps in crudelitatis ſuſpicionem, & putatur ſævitia ſua, aut avaritia, in inſontes ſæviiſſe, non meritas pœnas de malignis, ac perfidis hominibus ſumpſiſſe. Monendos autem cenſeo omnes principes ac Reſpublicas: ut ſi quando adverſus illos conjuratum fuerit: diligenter expendant conjuratorum vires, antequam ad illos puniendos accedant. Nam ſi magnas illas eſſe compertum fuerit, nihil aperte adverſus illas tentandum, ſed diſſimulanda omnia, donec auxilia compararint: ad extinguendum hunc ignem ſufficientia. Quod ſi aliter fecerint, exitium ſuum accelerabunt. Nam conjurati, cum detecta eſſe vident conſilia ſua, metu periculi, extrema quæque tentare ſolent. Exemplum igitur licebit imitari populi Romani. *Liv. lib. 8.* Nam, cum is aliquando binas legiones Capuæ in hybernis reliquiſſet, ut præſidio eſſent contra Samnites, atque eorum duces contra Campanos conjuraſſent: populus Romanus re co-

re cognita, & Rutilio conſuli demandata, evulgavit fore, ut iidem milites ſequenti quoq; anno iſthic hybernaturi eſſent. Conjurati igitur ſpatium ſe nactos putabant, conſilium, quando vellent, exequendi, atque ita ſedata quievit in præſentia ſeditio, donec Conſuli ſpatium daretur, conjuratorũ præcipuos quosque, tanquam id ob alias cauſas fieret, à cætera turba ſeparandi, atque ita conjuratorum robur minuendi, ut cum poſtea exequi decreviſſent inſtituti ſui rationem, vires non haberet. Singulare profecto exemplum omnibus ad cognoſcendum, quam lente progredi ſoleant res humanæ, quando nullum in mora periculum videtur: & econtra quam feſtinare ſoleamus, cum in eadem mora multum periculi eſſe exiſtimamus. Hæc igitur prudentiſſima ratio fuerit, conjuratos ſuſpendendi, ut conſilii executionem in alia tempora differant, tibiq; ſpatium ad occurrendum concedant: ſiquidem illis fucatam quandam occaſionẽ objicias, qua alio tempore commodius, quam nunc, voti compotes fieri poſſe videantur. Quì aliter conjurationibus ſeſe oppoſuerint, interitum perniciemq; ſuam accelerabunt: perinde ut accidiſſe novimus Duci Atheneo, & Guilielmo Pazzio: quorum ille, cum adverſus ſe factam conjurationem intellexiſſet, re non aliter conſiderata, ex cõjuratis unum cepit: cæteri cognito, quod ipſis immineret, periculo, ſumptis armis, comitẽ imperio ſpoliarunt, Guilielmus aũt Chianæ

vallis præfectus, anno Domini 1501. cognovit Aretii conjurationem factam, ut ea urbs, Florentinis erepta, Vitelliis traderetur. Itaque Aretium ingreſſus, de conjuratorum viribus nihil cogitavit, ſed conjuratorum unum in vincula conjecit, conſilio uſus Epiſcopi, filii ſui: qua re permoti cæteri conjurati, ſumptis armis urbem occuparunt, & Guilielmum præfectum in vincula conjecerunt. Cum infirmæ ac debiles fuerint conjuratorum vires, optimum eſt illas quam primum opprimere: neque imitanda ſunt exempla vel Athenei ducis, vel Dionis Syracuſani: quorum ille civem quendam à quo patefacta conjuratio fuerat, interficiendum curavit, ut cæteri putarent eum nihil ſuſpicari, ac proinde benevoli illi fierent: Dion autem, de quorundam erga ſe animo, & voluntate dubitans, Calippo, cui plurimum confidebat, in mandatis dedit, ut ſimularet ſe conjurationem eſſe facturum contra ſeſe, ac videret, quos in eam ſententiam pertrahere poſſet. Uterque autem horum vehementer erravit. Nam primus effecit, ne quiſquam conjuratos accuſare auderet: atque illi proinde ad conjurandum audaciores eſſent. Alter viam conjuratis oſtendit, qua interficeretur. Nam Calippus eam nactus occaſionem, abſq; ulla ſuſpicione Dionem imperio ſimul & vita ſpoliavit.

CA-

CAPUT VII.

Quæ ratio ſit quod Reipub. forma quandoq; ſine ſanguine, quandoq; magnis cædibus mutetur: ſive à libertate ad ſervitutem, ſive ab hac ad illam tranſitus fiat.

NON immerito quæret aliquis nunc, quibus de cauſis forma Reipub. quandoque abſque tumultu mutetur, & ſine cæde, & ſanguine: quandoque vero non niſi tanta cum difficultate ac tot cædibus, ſive mutatione illa illa tranſitus fiat à libertate ad tyrannidem, ſive tyrannide ad libertatem? Tanta enim diverſitas hujuſmodi mutationum eſſe ſolet, ut niſi hiſtoriæ de iis teſtarentur, vix credere poſſemus. Cum Romanum imperium à Regibus ad conſules transferretur, ſoli Tarquinii urbe pulſi ſunt: cæterorum nullus, vel minimã injuriam paſſus eſt. In aliis mutationibus longe aliter eveniſſe comperies. Ego vero cauſam hujuſmodi diverſitatum petendam eſſe credo ex modo, quo acquiſitus fuit ille ſtatus Reip. qui mutandus ſit. Nam ſi per vim partus fuerit, non ſine multorum injuriis acquiri potuit: itaque neceſſe deinde eſt in illius mutatione, ut qui injuria affecti ſunt, eam vindicare conentur: ex quo vindictę deſiderio cædes, tumultuſque naſcuntur. Sed cum populi conſenſu & voluntate, ſenſim ad eum ſtatum pervenerit Reſpub. qui jam mutandus eſt: non exiſtit cauſa alium quenquam lædendi, quam Primarios illos, qui ſuo

ſtatu, atque principatu dejiciendi ſunt. Hujus generis fuit mutatio Reipublic. Romanæ, cum imperium, pulſis regibus ad conſules transferretur: & Reipublic. item Florentinorum, cum anno ſalutis 1494. Medicei urbe pellerentur. Nam cum illi quoque populi voluntate ad eam potentiam perveniſſent, non opus fuit in illis loco movendis, quenquam præter illos ipſos injuria afficere. Non ſunt igitur admodum periculoſæ tales Rerumpublicarum mutationes, ſed illæ ſunt & periculoſæ, & formidabiles, quæ non niſi cum vindicta multarum acceptarum injuriarum fieri poſſunt: cujuſmodi exemplorum pleni omnes ſunt hiſtoriarum libri, ut non opus ſit aliqua huc adducere.

CAPUT VIII.

Qui vult mutare formam Reip. rationem habere debet ipſius ſubjecti.

DIXIMUS paulo ante, malum civem in Republic. bene inſtituta, non poſſe efficere ut conſilia ſua prava eventum conſequantur, quamdiu civium mores integri ſunt. Id vero ita ſe habere demonſtrare quis poſſit, vel ex Spurii Caſſii, & Manlii Capitolini exemplis. Nam cum Spiritus ambitioſus eſſet, & ſingularem quandam in Repub. autoritatem ſibi cõparare conaretur: ob eamque cauſam plebem beneficiis ſibi undequaque conciliaret, agroſq; illi diſtribueret, qui ex Hernicis capti eſſent:

non

non tulere eam ambitionem patres, ſed populo ſuſpectam reddiderunt uſqueadeo, ut cum illi Caſſius pretium offerret divenditi frumenti, quod ex Sicilia allatum erat: noluit id populus accipere, ne libertatem ſuam vendere eo pretio videretur. Quod ſi corruptis moribus fuiſſet tunc Pop. Romanus, nequaquam repudiaſſet pecuniam illam, ſed ea accepta, aditum Caſſio ad occupandam tyrannidem pateſeciſſet. Longe vero magis memorabile eſt etiam exemplum Manlii Capitolini, cujus inſignem virtutem pro patria bello Gallico declaratam, & tot merita, unica ambitio ac dominandi cupiditas obſcuravit, delevitque. Invidebat is Furio Camillo eum honorem, quem civitas illi deferebat: itaque eo inſaniæ rediit, ut nulla habita ratione civium, qui adhuc integris moribus eſſent, ineptique, ut corrumpi poſſent: tumultus contra Senatum, & leges patrias excitare cœpit. Quo loco cernere licet, quam bene inſtituta illa Reſpublic foret, & quam præſtans materia eſſet, ex qua conſtaret, ipſi ſcilicet mores. Nam etſi patres conjunctiſſimi ſemper fuerint, ſeque adverſus plebem ſemper mutuo defendere ſolerent: in ejus tamen motibus nullus exiſtit, qui vel favere illius inſtitutis, vel pugnare pro illo voluerit: Et cum alios reos, multi in forum nobiles, lugubri veſte comitari ſolerent, ut ad miſericordiam judices: moverent, & benevolentiam iis conciliarent Manlium nemo comitatus eſt: Tribuni ple-

bis vero, etſi cæteris in rebus nobilitati adverſarentur, & pro populo adverſus eam pugnarent, in eo motu tamen cum periculum publicum animadverterent, cum patribus ſeſe conjunxerunt, ut communem perniciem à Rep. amoverent. Populus Romanus etiam, cum alias ſuis commodis avidiſſime operam daret, & cum Manlio, tum ẽt omnibus reliquis faveret, qui nobilitatem oppugnarent: tamen cum à Tribunis plebis Manlio dies dicta fuiſſet, jamque judicandum ſibi eſſet, de eo negotio, nullo animi motu perturbatus, fortiſſime ſententiam dixit, & Manliũ morti adjudicavit. Quæ omnia, ſi quis diligenter contempletur, talia ſunt, ut facile inde cognoſcere liceat, ſummam tũc fuiſſe omnium civium commoderationem æquitatemque, ut qui patriæ ac juſtitiæ amore longe magis permoverentur, quam omnibus M. Manlii beneficiis: ſive eſſent erga ſingulos ipſos declarata, ſive etiam publice exhibita patriæ: quæ certe tanta fuerunt, ut de iis Livius in hunc modum pronuntiet: *Hunc exitum habuit vir, niſi in libera civitate natus eſſet, memorabilis.* Duo igitur ſunt, quæ hinc diſcere debemus, ac poſſumus: Gloriam atque laudem aliis modis, ac rationibus comparandã eſſe in libera civitate, in qua hominum mores integri ac bonis legibus inſtituti ſunt, quã in illa, in qua hæc omnia corrupta exiſtunt. Alterum eſt, ut excellentes viri in actionibus, inſtitutiſque ſuis temporum habeant rationẽ, & ſeſe tempori accom-

Liv. lib. 6.

modent.

modent. Nam id, qui facere nequeunt, iis nequaquam res ex inſtituto ſuccedunt, nec proinde in actionibus ſuis fœlices eſſe poſſunt. Nam ſi hiſtoriam rerum antiquarum intueamur, facile colligemus, ſi Manlius in tempora Syllæ incidiſſet, aut Marii, potuiſſe idem illum præſtare, quod ipſi præſtitere. Et ſi rurſus hi in Manlii tempora incidiſſent: primo motu interire illos oportuiſſet: quod populus Romanus nondum ad illam morum corruptelam tunc perveniſſet, ut vel Manlius, vel alius quiſquam ambitionis ſuæ formam, in talem materiam imprimere potuerit. Sufficit quidem unius viri ætas, ad corrumpendam aliquantum populi multitudinem: ſed non eo uſque, ut ſuæ ambitioni plane obediat: & ſi maxime quis id effici poſſe contendat, tamen rurſus obſtant nimiæ cupiditates ambitioſorum civium, qui non expectare poſſunt occaſionem temporis, ut ad propoſitum ſcopum pervenire queant: ſed antequam materia ſit præparata, ambitione ſuæ formam introducere fruſtra conantur, atque ita opprimuntur. Nam qui tam ambitioſi ſunt, nec moram ferre, neq; expectare poſſunt temporis occaſionem: cupiditatibus ſuis in præceps aguntur. Non poſſunt autem ambitioſi homines magnam ſibi comparare autoritatem potentiamque: niſi hominum mores prius ſenſim corrupti fuerint, ut donis ambitioſorum hominum, permoveri queant, & pertrahi in illorum ſententiam. Corrum-

puntur autem mores hominum ſeorſim, neque obſtare quis poteſt hujuſmodi corruptioni, niſi ſubinde emendentur vitia, quæ graſſantur in Republica, eam ad prima ſua principia ſubinde revocando. Quod, ſi Manlius igitur aptos hominum mores inveniſſet, & accommodatos ad obediendum ſuæ ambitioni: res utique maximas præſtitiſſet. Nam eo ſemper ſpectare oportet eum, qui in Republica quippiam innovare cupit, ſive ut libertas publica conſervetur, ſive ut tyrannidi cujuſpiam inſerviatur. Cum enim homines ſorte ſua cōtenti ſunt, & eo ſtatu cum Reipublicæ tum rerum ſuarum delectantur: nequaquam facile permoventur ad res novas attentandas: quod etiam qui ſub tyrannide vivere conſueverunt, non facile ad libertatem aſpirare poſſint.

Caput IX.

Ad res gerendas ſemper temporum occaſiones expectare, intueriq; oportere.

DUM ſæpe multumque ipſe mecum cogito, de fortunæ diverſitate, quæ aliis ſecundam, aliis adverſam ſe in eorum actionibus, inſtitutiſque exhibet: hanc eius cauſam inveniſſe mihi videor, quod ut diverſi ſunt agendi modi, aliis atque aliis hominibus conſueti, ac naturales: ita aliæ atque aliæ ſunt temporum rationes, occaſioneſque. Quidam in rebus gerendis, adminiſtrandiſq; ferocia quadam utun-

tuntur, & omnia cum impetu agunt. Quidam econtra, lente cauteq; progrediuntur. In utroq; agendi modo terminus quidam eſt, quem non poſſumus tranſire ſine errore: nec poſſunt homines abſtinere, quin mediocritatis limites tranſgrediantur, ſive lente, ſive cum impetu agant, ex quo accidit, ut omnes errent: ſed minores ſemper erunt errores, fortunatæq; magis eorum actiones: quibus ſe offerunt hujuſmodi rationes temporum, quæ cum conſueto agendi modo congruant. Cunctationem Fabii omnes novimus, qui per loca alta agmen ducebat, modico ab hoſte intervallo, ut neque omitteret eum, neq; congrederetur caſtris, niſi quantũ uſus neceſſario cogeret. Hæc vero progrediendi ratio, etſi videretut virtuti Populi Romani conſentanea non eſſe, talia erant tamen illa tempora, ut cõmodiſſima ac proſperrima tunc fuerit. Nam cum nuper in Italiã veniſſet Annibal, vir juvenis, ferox, & qui ſecunda fortuna uſus, Populum Romanum duplici clade vehementer afflixiſſet, & uſque adeo terruiſſet, ut ſumma difficultate eorum omnium laboraret, quæ ad diſciplinam militarem, gerendumque bellum requirebantur: nullus Imperator Reipublicæ fortunatior contingere potuit, quam is, qui cunctatione, & lenta, cautaque progrediendi ratione, hoſtem ſuſtinere, arcereque poſſet. Neq; Fabius ſua cunctatione, ulla commodiori temporum occaſione uti potuit, quam illa ipſa: cum tamen Naturalis eſſet

Livius lib. 22.

in

in Fabio illa cunctatio, non ex præſenti temporum ſtatu ſumpta. Id enim vel eo ipſo ſatis declaravit, quod cum Scipio in Africam poſtea ad conficiendum bellum trajicere vellet: Fabius ei vehementer reſiſtebat, & omnibus modis impedire conabatur: ut qui natura ſua magis ad cunctandum, arcendaque præſentia pericula ferretur, quam ad alia majora ſubeunda. Itaq; per Fabium non ſtetit, quo minus Punicum bellum abſolvi finiriq; non poſſet, quod is non animadverteret, alia jam tempora eſſe, & aliam belli gerendi rationem commodam exiſtere. Quod ſi ſolus rerum potitus fuiſſet, victoriam de Carthaginenſibus obtinere nequiviſſet, quod belli gerendi rationes, temporum diverſitati neſciviſſet accommodare. Sed cum in ea Republica tot eſſent inſignes Imperatores, ac rei militaris peritiſſimi homines, voluit fortuna, ut ſicuti difficilibus illis temporibus Fabius bellum ſuſtinere, ac pericula arcere, ita poſtea, commodiori rerum ſtatu, Scipio id conficere, & victoriam obtinere potuerit. Hinc igitur dependet ratio, quod Ariſtocratiæ ac liberæ Reſpub. diuturniores eſſe ſoleant, quam quæ unius principis imperio gubernantur. Habent enim illæ multiplicia ingenia, quæ temporum occaſionibus melius accõmodari poſſunt. Princeps cum natura ſua ad certum quendam agendi modum fertur, eum mutare neſcit, quanvis temporum diverſitates id maxime requirant, Petrus Soderinus, cujus alias etiam

am mentionem fecimus, natura humanus erat, & patientia ſua multas injuras ferebat, quæ res ſalutaris fuit Reipub. ſimul atq; ipſi, quandiu tempora clementiora fuere: Sed cum temporum mutatione, ferrea quædam ætas adeſſet, quæ ſæveritatem poſtulabat: atq; ille à conſueta ſua patientia & bonitate diſcedere neſciret, ſemetipſum ſimul, atque patriam perdidit. Iulius II. Pontifex. Maximus, toto Pontificatus ſui tempore, cum impetu ac furore quodam Rempublicam cæteraſq; actiones adminiſtravit, eaque res illi fœliciter ſucceſſit, quia talia erant illa tempora, quæ hujuſmodi adminiſtrationem poſtulabant. Quod ſi tempora mutata fuiſſent, & alia conſilia poſtulaſſent: neſciviſſet ille ſe iis accommodare, itaque neceſſe illi fuiſſet ſuccumbere. Non ſolemus autem naturales inclinationes, longaſque conſuetudines facile mutare: primum enim quo natura ipſa ducimur, id relinquere non poſſumus, deinde cum certo aliquo agendi modo, diu fœliciter rem geſſerimus, non poſſumus nobis perſuadere, ut ab illo diſcedamus: atque hinc pendet varietas in uno eodemque homine, quod neſciat cum temporum mutationibus mores ſuos, ac vitæ conſuetudines immutare. Ex eodem quoque principio pendent Rerumpub. interitus. Nam cum temporum mutationibus immutari leges oportet, quod ſi non fiat, multis malis occaſio præbetur, ut prius diſſeruimus. Tardius autem iſtæ legum mutationes in Repub.

Repub.evenire,poſtularique ſolent,quod in ea omnia lento motu mutentur. Nam non niſi longo tempore, tantopere immutari poteſt Reipub.ſtatus,ut aliis legibus opus ſit: diverſis autem progrediendi modis uti perſæpe oportet, quod in bellis fortuna facile ac ſæpe mutetur. Sed quia de Fabii cunctatione diximus aliquid: deinceps quæremus ex occaſione, utrum bonus Imperator prælium ſemper detrectare poſſit.

CAPUT X.

Prælium ab Imperatore evitari non poſſe, cum hoſtis dimicare omnibus modis conatur.

Livius lib.7. CNeus Sulpitius Dictator adverſus Gallos inquit Livius, bellum trahebat, nolens ſe fortunæ committere adverſus hoſtem, quem tempus deteriorem indies, & locus alienus faceret. Quo loco errorem noſtrorum hominũ ſæpe à nobis reprehenſum, rurſus animadvertere damnareque licet: qui à veterum diſciplina militari, in rebus ſummi momenti tantopere diſcedunt, ut non immerito à nobis ſæpe reprehendi debeant. Accidit autem iſtud ob eam maxime cauſam, quod & principes, & Rerumpub. moderatores, pericula evitare, cupientes, totam rei militaris curam aliis hominibus demandare ſoleant: nec bellis unquam ſeſe immiſceant. Quod ſi quis etiam aut Rex, aut alius monarcha, forte aliquando in exercitu apparet: nil tamen laude dignum patrare ſolet.

ſolet, ſed magnificentiam tantum ac pompam quandam declarare: nec quicquam aliud exercitui præſtat commodi, quam quod Imperii majeſtatem penes ſe retinendo, quæ in caſtris aguntur nonnunquam inſpicit & obſervat. Sed longe magis adhuc errant hac in re, in Italia præſertim, Rerumpublicarum moderatores, qui omnem belli adminiſtrationem peregrinis ducibus demandant: ipſi ad bellum nec proficiſcuntur, nec quicquam intelligunt eorum, quæ in eo fiunt vel recte, vel perperam: & interim domi conſidentes, de iis deliberant, quæ fieri à ſuis Imperatoribus velint, tantum ut ipſi gubernare belli rationem videantur. Ea autem in re, infinitis modis delinquere eos neceſſum eſt, & in eo maxime errare, in quo ſapientiſſimos ſe eſſe exiſtimant. Id enim prudentiſſimum eſſe putant præceptum, quod ducibus ſuis, in bellum proficiſcentibus, imperant, ne prælium committant: tanquam ſi hoc modo Fabii Maximi prudentiam imitarentur, qui cunctatione ſua Remp. conſervavit: parum interim animadvertentes, hoc præceptũ nec poſſe ſemper obſervari, nec, ſi obſervetur, ſemper utile eſſe. Nã hoc pro certo ſtatuere oportet, Prælium à duce detrectari evitarique non poſſe, quando hoſtis id omnibus modis committere decrevit. Atque hinc fit, ut qui prohibent Imperatoribus ſuis ne ad pugnam veniant, tantundem faciant, ac ſi
iiſdem

iiſdem mandent, ut tunc tandem fortunam experiantur, quando eam non niſi certo periculo experiri poſſunt. Nā qui in caſtris exiſtens prælium detrectat: is aut abeſſe ab hoſte cogitur, ad minimum per quinquaginta paſſuum millia, & per exploratores ſubinde eum obſervare, ut eo veniente cedere queas, aut certe in munitis aliquibus urbibus contineri. Utrumq; horum periculoſum eſt. Nam cedendo, agrum hoſti devaſtandum concedis: ſatius autem fuerit fortunæ periculum ſubire, quam tanto cum detrimento tuorum, pugnam devitare. Quod ſi minutis quibuſdam urbibus te contineas, manifeſtum ſubis periculum. Nam obſidebit te hoſtis, atque ita rebus neceſſariis deſtitueris, fame laborabis, & ipſa neceſſitate ad deditionem compelleris, Fabium autem imitari nou poteris, ni tam fortem exercitum habueris, ut te hoſtis iis locis adoriri non auſit, quibus tu, muniendi tui cauſa conſediſti. Neque enim cunctando prælium detrectabat, ſed occaſionem quærebat commodam pugnandi: Quod ſi iis locis cum illo congredi voluiſſet Annibal, quibus ille continebat: nequaquam pugnam detrectaſſet. Sed id ipſi periculoſum eſſe cernebat Annibal: itaque eum non invadebat: neque Fabius ab iis locis diſcedebat, quibus ſe tutiorem eſſe cernebat. Itaque fiebat, ut neutra pars prælium urgeret, quod ſi enim vel Annibal vel Fabius omnibus modis conatus fuiſſet dimicare: nulla extitiſſet ratio detrectan-

trectandi prælii, quam vel cedendo, vel munitas urbes occupando, vel plane fugiendo. Id ita ſe habere apparuit bello Macedonico, in quo Philippus, cum aliquoties fortunam tentaſſet, eaque res illi minus proſpere ſucceſſiſſet deſerta quædam loca occupavit, ſperans Romanos eo non fuiſſe ſequuturos. Sed cum illi ſequerentur, & Macedonas trepidos, ex ſtationibus, præſidiisque deturbaſſent: cum reliqua exercitus parte fugere coactus eſt. Hoc periculo edoctus, cognovit ſe pugnandi neceſſitatem evitare non poſſe, quandiu Romanum exercitum propinquum haberet: Itaque longe ab illo caſtra ſua habere, & cum is unam aliquam regionem invaderet, ipſe aliam ingredi cœpit. Quam rem, cum cerneret ſibi itidem incommodam eſſe, & ſuas conditiones ſubinde deteriores fieri, tandem cum Romanis prælio decertare coactus, ſuccubuit. Quæ cum ita ſint tunc demum cunctandum fuerit, cum eædem rationes nos movebunt, quæ Fabium, & Cneum Sulpicium impellebant: ſi modo exercitum talem habueris, quem hoſtis non auſit quovis loco adoriri. Nam ſi hoſtis tuos fines nuper ingreſſus, nondum multa loca occupavit, nec commeatum percipere adhuc queat: proderit utique ne te fortunæ adverſus eum hoſtem committas, quem tempus deteriorem indies & locus alienus faciat. Aliis ex cauſis ſi prælium evitare coneris, non ſine damno, ac vituperio tuorum id facies: Nam cedendo uti Philip-

Livius lib 31.

Philippus, videberis antequam fortunā experiaris, fractus eſſe: nec evitabis periculum, ſi hoſtis te conſequi volet. Annibal certe ſummus Imperator fuit, ſed idem, cum in Africam adverſus Scipionem revocatus eſſet, bellum protrahendum eſſe non cenſuit, cum tamen ea in re Fabium imitari potuiſſet, ob inſignem quem ducebat exercitum. Quicunque igitur belli dux inſignem habet exercitum, ſtulte agit ſi non fortunam experiatur, antequam ei vel pecunia, vel commeatus deficiat, vel ex alia alique cauſa, aut miles defluat, aut ſocii deficiant: quod in hiſce accidentibus certiſſimum periculum ſit, in pugna non deeſſe queat viris fortibus aliqua victoriæ ſpes. Illud vero imprimis etiam ſpectare debemus, ut gloriam atque laudem comparemus: quæ certe major erit, ſi fortiter dimicando ſuccubueris, quam ſi ex alio errore fueris oppreſſus, antequam periculum fortunæ tentaveris. Veriſimile eſt etiam, Annibalem iiſdem hiſce cauſis permotū, cum Scipione congredi voluiſſe: neque enim Scipioni pericullum ullum incumbere cernebat, ut vel pecunia deficeret, vel commeatus deeſſet, vel iniquo loco ſecum congredi cogeretur, quę Fabium in Italia, ut cunctaretur movebant. Nam Scipio Syphacem jam prælio vicerat, plurimas urbes occupaverat, & exercitum tutum iam in Africa habebat, perinde ac ſi in Italia eſſet. Qui vero infeſto exercitu externum hoſtem invadit, multo adhuc minus detre-

ctare

ſtare prælium poteſt, cum neceſſario pugnandum ſit cum iis, qui te aditu eius regionis prohibere conantur. Idq; vel imprimis fieri oportet tunc, cum ad obſidendam aliquam urbem caſtra ponuntur. Nam ei re coniuncta eſt perpetua pugnandi neceſſitas, ſicuti apparuit, cum Carolus Burgundiæ dux Moratum Helvetiorum oppidum obſediſſet. Nam tunc ab Helvetiis prælio petitus ſuccubuit: Idemque accidit Gallis Novariam obſidentibus, qui ab iiſdem Helvetiis fuſi ſunt.

CAPUT XI.

Qui adverſus multos bellum gerit, eos ſuperare poteſt, quamvis viribus inferior ſit, ſi modo ſuſtinere queat primum impetum.

MAGNA erat vis Tribunitiæ poteſtatis, in Republica Romanorum, uſque adeo, ut Senatui quoque formidabilis eſſet. Sed eadem quoque perneceſſaria erat ad frenandam ambitionem Optimatum, qua neceſſe fuiſſet corrumpi eam Rempublicam longe prius quam corrupta fuit. Sed ut cæteris quoq; in rebus accidit, ita hic quoque evenit, ut in re optima, & Reipublicæ utiliſſima formidabile quoddam lateret malum: cui vel legibus, vel alia aliqua ratione obviam eundum fuit. Nam tanta eſſe cœpit tribunorum plebis inſolentia, ut terrori eſſet cum patrib. tum univerſæ civitati: ex qua re natum eſſet proculdubio malū aliquod, publicum

blicæ libertati contrarium, niſi Appii Claudii prudentia modum inveniſſet, quo temperari frenarique illorum impetus, furoreſq; poſſent per collegarum interceſſionem. Deligebant enim aliquem ex tribunis, quem vel Patriciorũ amore, vel patriæ reverentia, vel alia aliqua ſpe, facilius permoveri poſſe ſperabant, eique autores erant, ut ſi quam rogationem proponere conarentur cæteri tribuni, quæ patribus aut bono publico adverſari videretur, ipſe illis ſeſe opponeret, eamque impediret. Quæ res ad frenandam illam petulantiam tribunorum, plurimum profuit, & Reipublicæ longo tempore extitit ſalutaris. Nobis vero documento eſſe poteſt ad expendendos diverſorum hoſtium conatus, & utrum plus poſſint plures, qui conjunctis viribus inferunt bellum uni alicui an unus adverſus plures? Certũ eſt enim plures illos, quorum conjunctæ vires perſæpe ſuperant unius potentiam, minus tamen efficere ſolere, quam unicus, quamvis ille longe inferior ſit. Nam ut cætera omittamus, quæ Apparatus ab unius voluntate conſilioque pendentes, faciliores reddere poſſunt iis, qui à pluribus gubernantur: hoc certe hujuſmodi, ſive fœderibus, ſive conjurationibus ſummi momenti æſtimari debet, quod qui unicus eſt, ſiquidem prudentia aliquantum polleat, & primos impetus vel leviter ſuſtineat: facile poſſit fœderatorem aliquem in ſuas partes pertrahere, atq; ita plurimum illorum potentiam frangere, ut ipſe superior

perior evadat. Hujus rei exempla ab antiquis petere non opus eſt, quamvis multa apud illos extent: recentia enim magis movere videntur. Anno Servatoris noſtri 1484. conjuravit adverſus Venetos univerſa Italia. Illi vero primo impetu oppreſſi, & vehementer afflicti, ut ne producere quidem in campum militem auderent: paulo poſt Ludovicum, Mediolanenſem præfectum, muneribus corruptum, in ſuas partes pertraxerunt: quo facto, cum cæteris conjuratis ita pacti ſunt, ut non modo recuperaverint omnia, quæ prius amiſerant, ſed Ferrarienſis quoque Imperii partem obtinuerint: ita quidem, ut qui paulo ante bello ſuccubuiſſent: poſtea conditionibus pacis cæteris ſuperiores extiterint. Ante paucos annos, contra Gallos, univerſus prope Chriſtianus orbis conjuravit: ſed nihilominus, antequam id bellum perficeret, Hiſpania à cæteris conjuratis ad Gallos defecerunt: & cum iis tranſegerunt: ex qua defectione, reliqui conjurati, à propoſito deſiſtere, & cum Gallis etiam componere coacti fuerunt. Ex quibus facile conjicere poſſumus, quotieſcunque à multis conjunctim bellum contra unum aliquem principem aut Rempublicam motum fuerit; toties unicum illum, ſi modo primos impetus tolerare queat, ſuperiorem evaſurum ſed ſi tantas vires non habeat, ut primos impetus tollerare poſſit, multis periculis obnoxius erit: ſicuti Venetis, Anno 8. accidiſſe vidimus: Nam & ii, ſi Gallorum pri-

mos impetus ſuſtinere potuiſſent, & cunctando eo uſque bellum producere, donec conjuratorum aliquem in ſuas partes pertraxiſſent: ruinam illam, quam paſſi ſunt, facile devitaſſent: quam utique, ea ſola cauſa devitare nequiverunt, quod non habuiſſent eas vires, quibus primos hoſtium impetus excipere ac ſuſtinere potuiſſent. Cui rei argumento eſt, quod Pōtifex primum ſtatim illis, poſtquam res ſuas recuperaſſet, reconciliatus eſt: Cujus exemplum ſecutus eſt etiam Hiſpanus deinde: & ſi ulla extitiſſet occaſio: maluiſſet poſtmodum eorum uterque, Longobardiæ Imperium Venetis conſervatum eſſe, quam à Gallis fuiſſe occupatum videlicet ne Gallorum vires in Italia tantæ forent. Potuiſſent equidem tunc Veneti imminentibus malis occurrere, ſi aliquam imperii ſui partem, ante motus bellicos, hoſtibus tradidiſſent, ut reliquum poſſint conſervare: ſed ea res, ut prudenter antequam arma contra ipſos ſuſcepta fuiſſent, fieri potuiſſet: ita inter ipſos motus bellicos, nequaquam honeſta fuiſſet. Sed pauci erant Venetiis, qui ante motus ipſos, talia pericula prævidere potuerint: & adhuc pauciores eorum, qui morbi ejus remedium cernere, aut ſuadere potuiſſent. Finem ergo huic diſputationi faciens, pronuntio: ſicuti Romanis olim ſalutare remedium, contra Tribunorum ambitionem fuit ipſa multitudo Tribunorū, ob quam ſemper aliquis eorum, in partes Reipub. pertrahi potuit: ita ſemper

per remedio eſſe poſſe unicuique Principi, cum multi hoſtes contra illum nunc conjurarunt, ipſam hoſtium multitudinem: ſi modo prudēs ſit, & convenienti modo aliquos ex conjuratis ad defectionem ſollicitare, & in ſuas partes pertrahere poſſit.

CAPUT XII.

Prudentem Imperatorem operam dare debere, ut ſuis militibus pugnandi neceſſitatem imponat: hoſtibus vero omnem pugnæ neceſſitatem demat.

OSTENDIMUS alio loco quam utilis ſit Neceſſitas ad humanas actiones expediendas: ſimulque monſtravimus, neceſſitate coactos homines, ſæpe res geſſiſſe quibus ad gloriam ſingularem ſint evecti. Morales quoque Philoſophos prodidiſſe, linguam & manus, quamvis per ſe nobiliſſima ſint inſtrumenta: nunquam tamen res humanas ad eam, in qua nunc ſunt, perfectionem dignitatemque promovere ac producere potuiſſe: ni neceſſitas quædam ipſas coegiſſet. Quæ res, antiquis Imperatoribus, cum ignota non eſſet, iique facile intelligerent, animos militum neceſſitate coactos, ad dimicandum, fortes & obſtinatos fieri: in id maxime incumbebant, ut ſuis neceſſitatem pugnæ, captata quavis occaſione, imponerent: hoſtibus vero eandem de induſtria adimerent. In quem utique finem, per ſæpe hoſtibus tranſitum per ea itinera aperuerunt, quæ

cuſtodiri facile potuiſſent: & ſuis iter clauſerunt, quod facile potuiſſent aperire. Quicunq; ergo cupit, ſive cives urbis alicujus fortes, audaces: & obſtinatos ad ſui defenſionem efficere: ſive alium exercitum fortem & pertinacem ad pugnandum in prælio reddere: is ſummo ſtudio in id incumbere debet, ut neceſſitatem hujus rei ipſis imponat, aut certe, ut eorum animi perſuaſi ſint, talem ſibi neceſſitatem incumbere. Ex quo ſequitur etiam hoc, ut qui expugnare cupit urbem aliquam, & quam facile difficileque ſit hoc ipſum, deliberat: ex ſola neceſſitate iſtud poſſit metiri, quam habent cives ſeſe defendendi. Quibus enim civibus magna impoſita eſt neceſſitas defenſionis, ii graves cauſas habent ſtrenue pugnandi & proinde fortiter ſeſe defendent: nec facile illa urbs occupabitur. Contrarium autem eveniet, quoties nulla ſingulari neceſſitate coguntur. Hinc fit, ut qui ſemel rebelles facti, à ſuis dominis defecerunt: longe difficilius recuperentur, quam qui prius nunquam defecerant: illis metuenda eſt pœna rebellionis, ſi recuperentur: & proinde gravem cauſam habent ſeſe defendendi, ne in pœnam incidant. Cum econtra ii, qui nunquam prius defecerunt, ſi maxime à novo hoſte occupentur, non metuũt pœnam delicti talis, quia idipſum non commiſerunt. Et hæc quidem, ut plurimum hiſce de cauſis ita eveniunt: tamen ſolet etiam obſtinatos hominum animos ad defenſionem efficere,

natu-

naturale quoddā odium, quo ſe mutuo proſequuntur Reſpublicæ liberæ & principes, præſertim qui vicini ſunt: nimirum ob imperandi cupiditatem, quæ principibus ſolet ineſſe: & libertatis amorem, qua flagrant Reſpublicæ liberæ: ſicut in Hetruria præcipue cernere licet: ubi hæc ipſa æmulatio, valde pertinaces tam principum quam Rerumpublicarum animos ad defenſionem ſemper effecit. Hinc etiam factum, ut Florentini, quamvis in Rembellicam longe plures ſumptus fecerint, quam Veneti nequaquam tamen potuerint tantum imperium comparare: quoniam vicina loca, oppidaque omnia Hetruriæ ſemper libertatem ſuam acerrime defenderint, nec unquā aliorum imperio parere conſueverint. Sed Veneti habuere in circuitu vrbes, ſervituti jam ante aſſuetas, quibus perinde fuit parere illorum imperio, atque eorum, qui ipſis prius imperaſſent. Nam qui conſueverunt ſub alicujus vel principis, vel Reipublicæ Imperio vivere: ii non magni faciunt domini mutationem, ſed ſponte quandoque illam expetunt, præſertim ſi durior videatur eſſe ſervitus illius, cui nunc parent. Habuerunt igitur Veneti potentes quidem urbes in circuitu ſitas, ſed quę parere aliorum Imperio ſemper conſueviſſent: Florentinorum vicinæ urbes, quamvis exiguæ fuerint, tamen libertate fruebantur, ſervituti aſſueſcere neſciebant, nec proinde expugnari potuerunt abſque ſumma difficultate. Imprimis igitur ſa-

pienti Imperatori providendum eſt, cum urbem aliquam occupare conatur, ut demat civibus neceſſitatem illam, quæ eos ad defenſionem tam obſtinatos efficit. Quod quidem efficere poterit, partim promittendo impunitatem criminu, partim oſtendendo, non violatam iri publicam libertatem, ſed privatos tantum quoſdam ambitioſos loco movendos eſſe. Et hujuſmodi promiſſiones permultum ſæpe valuerunt. Nam etſi ſapientes viri animadvertant, quid ſub hiſce latere ſoleat, & ſub dulci melle, venena recondita videant: populi multitudo tamen pacis præſentiſque boni cupiditate tantopere permovetur, ut dolos ſub tantis promiſſis latentes minime obſervet: ob quam cauſam permultæ civitates publicam libertatem amiſerunt, quemadmodum Florētiæ quoque ante paucos annos contigit. Et M. Craſſus, quamvis ſuſpicaretur vanas fore tantas Parthorum promiſſiones, militi ſuo tamen perſuadere non potuit, ut eas contemnerent & ſtrenue dimicarent: itaque captus eo dolo illius exercitus, una cum Imperatore ſuo interiit. *Liv. lib. 8. & 9.* Samnites ambitione quorundam ſuorū, pacem cum Romanis pactam violaverant, & prædam ex eorum agro egerant: ſed cognito periculo quod inde immineret: fœciales Romam miſere, qui & prædam & rebellionis autores dederent, & pacem denuo poſtularent. Verum cum legati, infecta pace, Romam rediiſſent, Pontius illorum Imperator, hoc uno argumento ſuos ad for-

ad fortiter dimicandum hortabatur, quod neceſſitas defenſionis ipſis incumberet: Romanos enim bellum velle, non pacem: itaque neceſſario pugnandum: juſtum autem eſſe bellum, ubi neceſſarium: & pia arma, quibus niſi in armis ſpes eſt: atque ex hoc fundamento certam victoriæ ſpem pendere. C. Maulius conſul cum adverſus Thuſcos pugnaret, & Thuſcorum Vejentumque manus, ex acie in caſtra Romanorum irrupiſſet, eaque oppugnaret: oppoſito præſidio ad ſingulas portas caſtrorum, hoſtibus viam retro redeundi clauſerat. Sed ea deſperatio Thuſcis rabiem magis, quam audaciam accendit. Nam cum incurſantes, quocunque exitum oſtenderet ſpes, vano aliquoties impetu iſſent: globus juvenum unus ipſum cōſulem inſignem armis invadit. Conſul mortifero vulnere ictus cadit, fuſique circa omnes, Thuſcis creſcit audacia, Romanus terror per tota caſtra trepidos agit: & ad extrema ventum foret, niſi legati rapto Conſulis corpore, patefeciſſent una porta hoſtibus viam, ut ea erumperent, & effugere poſſent. Atque hic præclare licet cognoſcere, Thuſcos tamdiu ſummo cum impetu dimicaſſe, quamdiu neceſſitas illos cogebat: ſed cum fugiendi occaſio ſeſe obtuliſſet, relicta pugna aufugerunt. Simile eſt illud exemplum quod accidit populo Romano adverſus Æquos Volſcoſque pugnanti. Nam cum Volſci à Romanis circumventi, in magno diſcrimine verſarentur; idque Vectius Meſſius

Liv. lib. 2.

Liv. lib. 4.

eorum Imperator, vir inſigni virtute, cognoviſſet: oſtenſa neceſſitate, quæ ipſis incumberet: ſuos ad pugnandum ſic hortatus eſt: Ferro via facienda eſt, hac qua me prægreſſum videritis. Agite qui viſuri domos, conjuges liberoſque eſtis, ite mecum, non murus, nec vallum, ſed armati armatis obſtant: virtute pares, neceſſitate, quæ ultimum ac maximum telum, ſuperiores eſtis. Itaque cernimus hîc Neceſſitatem à Livio ſummum, atque ultimum telum appellari: quam quidem rem, cum Furius Camillus præclare intelligeret, edixit militi ſuo, ne quemquam inermem læderet: idque palam audientibus hoſtibus, in Vejorum expugnatione imperavit, ne de ſua ſalute deſperantes, neceſſitate aliqua ad reſiſtendum impellerentur: quæ res illi tam facilem reddidit ejus urbis expugnationem, ut illam ſine cædibus occupaverit.

CAPUT XIII.

Vtrum plus præſtare poſſit Imperator egregius cum exercitu infirmo, An vero egregius exercitus, ſub imperito ineptoq; duce.

CUM Martius Coriolanus Romæ damnatus, exulatum in Volſcos abiiſſet, collectoque exercitu rediiſſet, patriæ infeſtus, ut vindicaret injuriam ſibi à civibus illatã: ſolis precibus matris tandem victus, ab inſtituto deſtitit. Ex cujus rei occaſione Hiſtoricus inquit, appa-

apparuiſſe illinc, ducibus validiorem: quam exercitu, rem Romanam eſſe, quod Volſci vicerint Coriolano duce Romanos tũc, qui ſemper vinci prius conſueviſſent: ſed non deſunt tamen in contrariam partem exempla, quod exercitus Populi Romani perſæpe victis occiſisque Conſulibus, fortius cõtra hoſtem, vel ipſo Livio teſte, dimicarint, quam dum vivos adhuc duces haberent. Hujuſmodi fuit pugna illa, quæ binis Scipionibus ducibus in Hiſpania commiſſa eſt, in qua, interfecto utroque duce tanta tamen extitit virtus militis, ut ſeipſum conſervarit, victoriam obtinuerit, & populi Romani provinciam defenderit. Quæ omnia dum mecum animo reputo, exempla extare cenſeo, cum eorum, qui abſque ducibus, ſola virtute militum hoſtem fuderint: tum ducum, qui ſua fortitudine tantum præſtitere, quantũ integri exercitus vix præſtare potuiſſent. Atq; hinc omnibus manifeſtum eſſe debere, quod alter altero opus habeat. Nam & miles Imperatore eget, & Imperator exercitu. Sed hoc obſervatione dignum cenſemus, utrum magis formidabilis eſſe debeat inſignis Imperator, minus firmo exercitu, inſtructus, an vero egregius exercitus ſub imperito ineptoque Imperatore? C. Cæſar ſane utrumque parvi facere ſolebat. Nam cũ in Hiſpaniã adverſus Afranium Petrejumq; proficiſceretur, quorum exercitus firmiſſimi erant, nullam difficultatẽ metuebat; quod ire ſe diceret ad exercitũ ſine duce: Rur-

ſus autem, adverſus Pompejum ſuſcipiens expeditionem in Theſſaliam, Vado inquit, ad ducem ſine exercitu. Relinquitur ergo, ut expendamus, num exercitus præpotens, ac firmus egregium ducem facilius efficiat, an vero præſtans egregiusque dux exercitum inſtituere, ac diſciplina militari ita exercere poſſit, ut bonus fortiſque evadat? Sed huic quæſtioni facile reſponderi poſſe credo, quod multis præſtantibus viris, qui in bono exercitu continentur, facilius ſit unum aliquem virum fortem ex ſuo numero deligere, eumq; inſtituere eos uſque, ut cæteris commode poſſit imperare, quam ut unus aliquis, vel præſtantiſſimus Imperator, totum exercitum inſtituere formareque poſſit. L. Lucullus, cum adverſus Mithridatem Imperator eligeretur, plane adhuc imperitus erat rei militaris: quia tamen præſtantem exercitum habebat, qui multis fortiſſ. viris inſtructus erat, mox evaſit egregius Imperator. Sempronius Gracchus etiam, cum Reſp. cogeretur magnum ſervorum numerum armare, eos ita exercuit officiis militaribus, ut brevi temporis ſpatio, præſtantiſſimos milites effecerit. Pelopidas atque Epaminondas, poſtquam Thebanos è ſervitute Spartanorum liberaſſent, eos diſciplina militari inſtituerunt, ut mox viri fortes evaſerint, quibus Spartanorum vires fregerunt. Par igitur utrinque facultas ſimul, ac difficultas eſſe videtur. Nã egregius quoq; exercitus, amiſſo Imperatore, laſcivire, atque inſolens fieri conſuevit,

ſuevit, quod accidiſſe novimus exercitui Macedonico, poſt mortem Alexandri, & Veteranis militibus, in civilibus diſcordiis ſemper. Ut plus confidi poſſe exiſtimem egregio Imperatori, ſi tempus habeat ad inſtituendum militẽ, quam firmo ſed inſolenti exercitui, cui tumultuarius aliquis dux præficitur. Quæ cum ita ſint, eos duplici modo gloriam meruiſſe cenſemus, qui non modo hoſtem vicerunt: ſed ad vincendum illum, præparare ſibi prius exercitum, atque inſtruere coacti fuerunt.

Caput XIV.

Quantum poſſint inter dimicandum, aut ſtratagemata, aut alias voces aliquæ, præter ſpem emiſſæ.

Quod ſummi momenti perſæpe ſint in præliis, vel leviſſima accidentia, quæ, aut ex emiſſa voce aliqua, aut conſpecta aliqua re, oriuntur, multis patet exemplis. Quintius certe Conſul, cum adverſus Volſcos pugnaret, & cerneret alterum cornu exercitus ſui cedere: vehementer vociferatus eſt, ſuosq; hortari ad dimicandum cœpit, ac affirmare quod in altero cornu victoriã jam penes ſuos eſſet: quo utique clamore & ſuis animum addidit ad pugnandum, & hoſtibus terrorem tantum incuſſit, ut victoriam obtinuerit. Et in exercitu tumultuario, minuſque recte inſtituto, longe magis adhuc poſſunt hujuſmodi caſus, quod iis tãquam vento quodam omnia moveantur. Cujus rei

memorabile exemplum eſt illud, quod ætate noſtra apud Peruſinos accidit. Nam cum ea civitas civilibus diſcordiis laboraret, totaque in duas factiones Oddorum & Balionum diviſa eſſet, quorum hi potentiores facti, illos in exilium expulerant: Oddi exules amicorum opera exercitum collegerant, & nocte quadam Peruſiam ingreſſi, clanculum ad occupandum forum contendebant. Sed quia ſingulæ plateæ catenis tranſverſis præmunitæ in ea urbe, equitibus tranſitum impediunt: præcedebat eos quidam cum malleo ferreo, qui ſeras catenarum effringebat: jamque perfractæ erant catenæ omnes, præter eam ſolam, quæ ingreſſum in ipſum forum claudebat: quam dum idem frangere conaretur magno conatu, & quo minus ſatis attollere malleum poſſet, impediretur ab iis, qui ſequebantur à tergo, & jam ad arma cõclamaverant: Retrocedite, inquit ad eos; (ut liberius videlicet effringere catenam poſſet.) Sed hæc vox veluti Echo, à primis ad poſteriores, atque ab his ad alios emiſſa, ſenſim uſque ad ultimos pervenit: cauſaque fuit, ut ultimi, qui non intelligebant qua de cauſa emiſſa eſſet, effugerent magno cum impetu: quos reliqui ſenſim ſequuti, inſtitutum deſeruerunt, & cauſa ipſi extiterunt interitus ſui: ex tam levi fortuitoq; caſu commoti. Ordinum igitur cõſervandorum ratio haberi debet, in prælio, non tantum, ut dimicare liceat, ſed quod iis perturbatis, quilibet caſus exercitum in fugam conjicere

jicere poſſit: atq; iiſdem hiſce de cauſis, inutilis bello eſſe ſolet multitudo ſervorũ, mulierumque. Nam ex quocunque vel leviſſimo metu in fugam coniicitur, & cæteris metum incutere ſolet. Itaque vel imprimis hoc curare debebit prudens Imperator, ne tales aliquæ voces à ſe, vel ſuis in alium finem emiſſæ, male intellectæ, motus alicujus cauſa fiant: præſtabit autẽ id, ſi militem aſſueſcat, ne curet cuiuſquam dicta mandataque, quam eorum, qui ei præfecti ſunt, & ab illorum imperio, ut totus pendeat, vulgares illos ſive clamores, ſive ſtrepitus plane contemnat, neque iis ullo modo terreatur: quod alioquin ex levi caſu magnum oriri malum queat. Ex iis vero quæ inter dimicandum conſpecta, terrorem aut audaciam alterutri exercituum afferre ſolent, & ad victoriam comparandam, aut amittendam, magnum habere momentum, ſunt illa, quæ prudentia quadam imperatorum excogitantur, & vel in inſidiis collocantur, vel alias opportuno aliquo loco ponuntur, ad hoſtem terrendum. Cujuſmodi illud fuit quod Sulpicius adverſus Gallos excogitavit. Juſſit enim mulis detrahi ſtrata, biniſq; tantum centunculis relictis, iiſque agaſones impoſuit armis captivorum, ægrorumq; ornatos: His mille effectis, centum admiſcuit equites, & noctu ſuper caſtra in montem evadere, ac ſylvis ſe occultare juſſit, neque inde moveri, priuſquam ab ſe acciperent ſignum. Ubi diluxit, inſtructo vani terroris apparatu, *Liuius lib. 7.*

exercitum eduxit ad pugnam, & cum acerrime utrinque pugnaretur, iis qui in monte erant, ſignum, quod convenerat, dedit. Illi autem novo ſublato clamore, ad caſtra Gallorum, obliquo monte, tendere videbantur: Quod cum Galli ex improviſo vidiſſent, metu ne excluderentur, omiſſa pugna, curſuque effuſo ad caſtra ferebantur, à quibus cum impedirentur, ad montes ſilvasq; vertunt fugam atq; cæduntur. Sed prudenter in hiſce ſtratagematibus providendum eſt ſapienti Imperatori, ne fucus iſte hoſti patefieri queat: & ſi ab hoſtibus tale quiddam excogitatur: ut ipſe id obſervet, & ſuis patefaciat, antequam terror aliquis inde oriatur. Semiramis olim adverſus Indiæ Regem pugnatura, Camelis ſtrata quædam impoſuit, quibus Cameli Elephanti eſſe videbantur, ut, cum Rex tantum Elephantorũ numerum cerneret, terrore afficeretur. Sed cum Rex vani hujus apparatus certior fieret: non modo prodeſſe Semiramidi ullo modo non potuit, sed vehementer nocuit. Fidenates quoque, cum à Mamerco Dictatore oppugnarentur, interea dum acerime pugnabatur, ex urbe derepente emiſerunt magnum numerum peditum, qui in haſtis igneas faces præferrent, ut Romani novæ rei ſpectaculo terrerentur. Sed in omnibus hiſce apparatibus obſervandum eſt, ut ſicuti illi, qui terroris veri quippiam continent, hoſti patefieri poſſunt: ita ſi qui plane ficti vanique fuerint, celari omnino debent, ne

Liuius lib. 4.

inno-

innoteſcant, aut plane omitti. Eaque cauſa fuit, ut Sulpicius Agaſones ſuos procul à pugna collocare voluerit, & cum ſignum iis daret, non accedere ad prælium, ſed obliquo itinere ad caſtra hoſtium tendere, ne id hoſti patefactum, efficeret, ut ſuo fine fruſtaretur. Quemadmodum Semiramidi accidit & Fidenatibus, quorum apparatus non modo inutilis, ſed pernicioſus quoque fuit. Etſi enim ignes Fidenatum primo occurſu, Romanam aciem aliquantum turbaſſent: tamen cum Dictator milites hortaretur, ne fumo fugari ſe tanquam apes paterentur, ſed Fidenates, quos beneficiis placare non potuiſſent, ſuis ipſorum ignibus delerent, victi fuerunt.

CAPUT XV.

Vnicum debere exercitui Imperatorem præfici, non plures.

CUM Fidenates defeciſſent, Colonoſque Romanorum occiſſent: creati ſunt Romæ quatuor Tribuni militum, Conſulari poteſtate, quorum unus ad urbis cuſtodiam relictus, cæteri delectu habito, ad conficiendum id bellum profecti ſunt. Sed iidem hi, cum diverſis ſententiis agerentur, locū hoſti aperuerunt ad rem bene gerendam. Nam cum alii ſignum dare, alii receptui canere juberent, milites incerti utris obtemperandum, à Vejentibus pulſi, in vicina caſtra ſe receperunt, ita ut ignominiæ plus, quam cladis acceperint. Ob quam cauſam *Liuius lib. 4.*

mœſta

mœſta civitas, odiſſe Tribunos, Dictatorem poſcere, in eoque ſpem poſitam habere cœpit. Atque hinc licet obſervare, quam periculoſum ſit, ut plures Imperatores exercitui præficiantur, ſive domi patriā defendere, ſive foris bellum gerere oporteat, ut recte Livius de hac re dixerit, Tres conſulari poteſtate creati Tribuni militum, documento fuere, quam plurium imperium bello inutile eſſet. Tendendo enim ad ſua quiſque conſilia, aperuerunt ad occaſionem locum hoſti. Sed recentibus exemplis idem comprobari poteſt. Ludovicus XII. Galliæ Rex, recuperato Mediolano, Anno Servatoris noſtri 1500. exercitum miſit Florentinis auxilio ad Piſas recuperandas. Ei cum bini duces, Ioannes Baptiſta Rudolphus, & Lucas Antonius Albizius præficerentur: hic junior cum eſſet, alteri honorem deferebat, & omnia pro arbitrio adminiſtrare permittebat. Sed interim hoc ipſo ambitionem ſuam ſatis declarabat, quod nullo modo collegam iuvaret, & ad omnia, quæcunque ille faceret, tacebat, perinde ac ſi rei bellicæ plane imperitus eſſet. At cum aliquanto poſt Baptiſta Florentiam revocaretur, & Albizius totum Imperium iam penes ſe haberet: tunc demum induſtriam virtutemq; ſuam declaravit: quæ omnia, præſente collega, ambitione quadam permotus, demonſtrare nolebat, ne fructum ſuæ virtutis ei tradere videretur. Huic exemplo ſimile eſt quod Livius alio loco dixit, Populum Romanum

num adverſus Æquos, olim Quintium & Agrippam Imperatores delegiſſe. Sed Agrippam voluiſſe, ut omnis belli adminiſtratio penes Quintium eſſet. Saluberimum enim eſſe dicebat, in adminiſtratione magnarum rerum, ſummam Imperii apud unum eſſe. Secus autem faciunt ætate noſtra cum Principes, tum Reſpublica qui ad gerenda bella, plures Imperatores, æquali poteſtate, deligere conſueverunt, non ſine maximo ſui detrimento. Equidem, ſi quis cauſas conſiderare velit, tot cladium, quas ætate noſtra, cum Italici, tum Gallici exercitus acceperunt: ex plurium Imperatorum diſcordia, maiorem partem earum eveniſſe comperiet. Ut ſatius eſſe videatur, unum eligere Imperatorem ad conficiendum bellum, cum mediocri rei militaris peritia: quam plures præſtantiſſimos, qui dignitatis gradu eodem imperent.

CAPUT XVI.

Veram virtutem in ſummis difficultatibus tantum apparere: cum res ſecundæ ſunt, non virtutis inſitæ, ſed opum, familiarum, ac gratiæ rationem haberi ſolere.

SEMPER ita comparatum fuit, eritq; porro ſemper ita, ut qui excellenti virtute in aliqua Repub. præſtant: ii pacis tempore, rebuſq; ſecundis negligantur. Virtutem enim non modo laus, & gloria comitatur, ſed invidia quoque: atq; hinc fit, ut multi non æquare modo

do auſint ſe illis, qui inſigni virtute excellunt, ſed etiam anteponere. Exemplum, quo probare iſtud commodiſſime poſſumus, ſuppeditabit inter cæteros Thucydides, Græcus hiſtoricus. Nam cum bello Peloponneſiaco Athenienſium civitas Spartanos ſubegiſſet, ac fere totius Græciæ Imperium comparaſſet: ad tantum faſtigium evecta eſt, ut de occupando Siciliæ Imperio cogitaret. Quæ res cum in deliberationem veniſſet, Alcibiades, non tam publici boni, quam ſui commodi rationem habens, eam ſuadebat: quod futurum omnino ſperaret, ut ipſe imperator ad id bellum deligeretur. Sed Nicias, qui ſumma virtute apud Athenienſes excellebat, hoc bellum diſſuadebat. Et ut Populus certo conſideret, ſe non tam priuati commodi, quam boni publici cauſa id facere: aſſerebat, in pace Athenis multos cives eſſe, qui ipſi præferentur: In bello ſe primarium fore. Ut hinc cernere liceat, antiquiſſimum eſſe hunc morbum, quo Reſpulicæ omnes ex invidia laborant. Sed hinc fieri etiam ſolet, ut iidem illi, quorum virtus pacis tempore negligitur: indignentur, & inique ferant, cum aut æquari vident ſibi, aut anteponi illos, qui virtute ſunt inferiores. Ex qua re multa ſæpe male oriuntur. Nam qui negligi virtutem ſuam vident, atque contemni, ob tranquillitatem publicam, reſque nimium ſecundas Rempublicam perturbare perſæpe conati ſunt. Sed qua ratione mederi hiſce malis oporteat, etſi

ſæpe

ſæpe multumque cogitarim: tamen id unum remedium præſentiſſimum mihi videtur: Primo, ſi non patiaris, ut cives admodum diteſcant, ne forte opes ſine virtute quempiam nimium extollant. Deinde ſi ratio quædam ſit bellum perpetuo gerendi, ut viris virtute excellentibus liceat exercere fortitudinem ſuam: veluti Romani fecerunt, in primis præſertim annis. Nam, cum perpetuis bellis impliciti eſſent, ſingulis facultas dabatur, gloriam laudemque promerendi, pro virtutis ſuæ ratione: nec quiſquam indignus ad gradum aliquem dignitatis inſignem ita evehi poterat, quin rei indignitas ſtatim appareret. Cæteræ urbes atque Reſpublicæ quæ raro bellum gerunt, ab hoc malo liberæ eſſe non poſſunt: itaq; ſemper etiam metuere debent, ne contemptam virtutem vindicta ſequatur: præſertim ſi ii, qui negliguntur vindictæ cupidi ſint, & clientelas aliquas habeant. Roma etſi aliquandiu hoc morbo libera fuerit: tamen eadem ipſa tandem, confectis bellis Punicis, & devicto Antiocho, cum nullus metus ſupereſſe videretur: multos deligebat exercitus duces, non tam ratione virtutis eorum quam gratia ea, qua apud Populum valerent. Paulus Æmilius certe aliquoties Conſulatum petens, repulſam paſſus eſt, neque ad illum gradum pervenire potuit ante Macedonicũ bellum: quod cum arduum, atq; difficile videretur, omnium conſenſu ei demandatum fuit. Anno ſervatoris noſtri 1494. cum

cum noſtra Reſpub. multis bellis occuparetur, nec quiſquam noſtrorum civium ſingulare aliquod virtutis exemplum edidiſſet: tandem ſors in Antonium Iacominum incidit, qui ſingulari rei militaris peritia præditus, modum oſtendit exercitibus imperandi. Et excelluit illius virtus tandiu, quam difficilia illa, atque periculoſa bella durarunt; nullo cæterorum civium ſe illi per ambitioné opponenti. Sed confectis iis, cum alia faciliora, levioraque bella gerenda eſſent: ſemper multos habebat competitores, uſque adeo, ut cum tres eligendi eſſent duces, qui Piſas obſiderent, ipſe ex illorum numero unus eſſe non potuerit. Ex quo errore, etſi nemo obſervarit. id profecto ſequutum eſt, ut Piſæ, quæ Antonii induſtria ad deditionem facile compelli potuiſſent, adverſus hoſce imperitos duces ſe tam fortiter defenderint, ut à Florentinis non niſi pecunia emi potuerint. Sed interim ſingularis fuit Antonii humanitas, & patientia, qui de vindicando hoc ſui contemptu, injuriaq; nunquam cogitavit.

CAPUT XVII.

Eum civem, qui gravi injuria affectus eſt, non debere adhiberi ad magnum imperium.

ILLUD quoq; in Repub. diligenter providendum, ne civi, qui inſigni aliqua injuria affectus ſit, demandetur provincia adminiſtrandi rem magni momenti. Claudius Nero, qui ab exercitu, quem Annibali oppoſitum habebat,

bat,

bat diſcedens clanculum, cum parte copiarum, ad Livium collegam profectus eſt, ut conjunctis viribus cum Aſdrubale pugnarent, antequam ille fratri Annibali ſe conjungere poſſet. prius Hiſpaniæ Imperium ſortitus, cum eodem Aſdrubale infœliciter bellum geſſerat. Nam quanvis occupatis ſaltibus quibuſdam, iuxta Iberum fluvium, Aſdrubalem in tam arctum locũ coegiſſet, ut ipſi vel iniquo loco pugnandum, vel fame pereundum fuiſſet: tamen ab eodem deceptus fuerat fraude Punica, ita ut ſub ſpecie conſcribendarum pacis conditionum, Aſdrubal aliquot dierum dilationem nactus, interim noctu clanculum ex ſaltus illius anguſtiis exercitum deduxerit in tutum locum: non ſine inſigni ignominia Claudii. Quæ res Romam perlata, Claudio magnum vituperium cum apud patres, tum apud plebem pepererat. Sed idem hic poſtea Conſul factus, tam audax conſilium arripuit, ut relicto exercitu ſine duce, ſolo Annibalis errore confiſus, qui eum abire ignoraret, cum exercitus parte è Lucanis in Picenum, ad Livium collegam, quantis potuit itineribus, contenderit, ut Aſdrubalem, à quo prius fallacibus pacis conditionibus eluſus fuerat, opprimeret. Quæ res uſque adeo ſollicitam reddidit Rempub. ut uniuerſa civitas in luctu, terroreque fuerit, donec nuntium rei bene geſtæ accepiſſet. Ferunt autem Claudium interrogatum poſtea, qua de cauſa tam audax conſilium arripuiſſet, quo publica liber-

Liv. li. 26. & 27.

M. Livy. non Claudy

tas, totaq; Reſpub.in ſummum diſcrimen adducebatur? Reſpondiſſe eum, ſe id propterea feciſſe, quod ſciret fore, ſi ſuccederet ejus inſtituti ratio, ut macula illa deleretur, quam ad Iberum fluvium, ob eiuſdẽ Aſdrubalis fraudem accepiſſet. Si non ſucceſſiſſet, vindicatas iri calumnias, quas in immeritum ſe tunc Populus Romanus conjeciſſet. Itaq; cum hæc ita ſe habeant, & videamus in illa Repub. quæ nondum tanta morũ corruptela laborabat, quanta noſtra ætate omnium hominum mores occupavit, tantã fuiſſe, in egregio cive, vindictæ cupiditatem: facile intelligere debemus, quid de noſtris hominibus, ſi quando magna injuria afficiantur, ſperare, aut expectare debeamus. Maxime vero ſi conſideremus, hiſce malis nullo remedio obviam iri poſſe.

CAPUT XVIII.

Summa laude dignum eſſe illum Imperatorẽ, qui hoſtis ſui cogitationes, conſiliaq; providere, ac præcognoſcere novit.

RECTE Epaminondas Thebanus, nihil in Imperatore tam laudabile aſſerebat, quam ſi hoſtis ſui deliberationes, conſiliaque prænoſceret. Quæ res, cum per ſe ardua, atq; difficilis ſit: prudentiſſimum illum eſſe oportet, qui conjecturis id aſſequitur, quod certis indiciis haberi nequit. Neq; vero conſilia hoſtiũ tantum difficulter intelliguntur, verum etiam actiones: & actionum non illæ ſolum, quæ clandeſtinæ

ſunt,

ſunt, verum etiam quæ coram fiunt in exercitu. Nam ſæpe accidit, ut cum pugna ad multam noctem uſq; durarit, is qui vicit, victum ſe eſſe putaverit, & victus victorem ſe eſſe errore quodam exiſtimaverit. Ex quo factum, ut conſilia ſæpe inita ſint, plane autoribus ſuis pernicioſa. Tale quiddam accidit Bruto ſimul atq; Caſſio, qui de eventu pugnæ male inſtituti, cõſilia inierunt ſaluti ſuæ contraria. Nam cum victoria penes Brutum eſſet, in illo Cornu, cui ipſe præerat: Caſſius in altero cornu victũ Brutum eſſe putavit, & in fugam verſum illius exercitũ: itaq; de ſalute ſua deſperans, ſibi mortem conſcivit. In prælio, quod Galliæ Rex cum Helvetiis, ad S. Cæciliam in Inſubria, ætate noſtra, commiſit, cum pugna ad noctem uſque protraheretur: exiſtimarunt Helvetii illi, qui integris ordinibus ſuperfuerant, ſe eſſe victores, neque de iis qui [cæſi profligatiq;] fuiſſent, quicquam ſciebant: eaque cauſa fuit, ut ſaluti ſuæ non conſuluerint, quod exiſtimarent, ſibi die ſequenti profligandas eſſe hoſtium reliquias. Tantuſque fuit iſte error, ut Pontificium Hiſpanumque exercitum in ſummum diſcrimen adduxerit: quod ii confidentes victoriæ, quam penes Helvetios eſſe putabant, Padum trajecerint, ac in Gallorum manus propemodum inciderint. Tale quiddam etiam, in Romanorum Æquorumq; caſtris olim accidit, cum duce Sempronio Conſule dimicaſſent. Nam cum varia Fortuna ad noctem uſq; acriter pugnaretur:

tur: ſuperveniente nocte graviter læſi erant utriq; exercitus: itaque de victoria utriq; deſperantes, non in caſtra redire auſi ſunt, ſed vicinos colles occuparunt, in quibus ſe tutos fore confidebant. Sed Romanorum exercitus bifariam diviſus, partim Sempronium Conſulem ſequutus eſt, partim Tempanium Centurionem, cujus ſingularis virtus in illo prælio enituiſſet, ac propemodum ſola obſtitiſſet. quo minus univerſi eo die delerentur. Poſtero die cum & Sempronius penes Æquos eſſe victoriam crederet, & Æqui penes Romanos: diſceſſere utrique, Sempronius Romam, Æqui alio, & caſtra deſeruerunt. Sed Tempanius, qui Romani exercitus partem ſecum habebat, ea re cognita, in caſtra Romanorum rediit, ea conſervavit, & hoſtium inſuper caſtra ſpoliavit, Romamque magna cum laude, & opimis ſpoliis rediit. Cujus rei occaſio, ei ex utriuſq; exercitus errore cognito oblata fuit. Atque hinc licet intelligere, quod facile contingere queat inter dimicandum, ut utrinq; laborent exercitus iiſdem difficultatibus: & eum ſemper victoriam reportaturum, qui citius animadvertere potuerit hoſtium difficultates. Hujus rei evidentiſſimum exemplum eſt, quod accidit Anno ſalutis noſtræ 1498. quo tempore Florentini noſtri Piſas magnis copiis obſidebant. Cum enim Piſani obſidione cincti multis difficultatibus laborarent: Veneti, in quorum clientelam ii ſeſe dediderant, non aliter auxilia afferri poſſe puta-

putabant, quam ſi bellum averterent, & in alium locum transferrent: & magnis copiis imperium Florentinorum alio loco invaderent. Itaque Lamonam vallem ingreſſi, occuparunt Matradium vicum, & Caſtalioneam arcem, in alto colle poſitam, obſederunt. Florentini interim obſidione Piſana non diſcedendum putabant: quamobrem collecto novo exercitu, cum Jacobo Quarto Appiano, & Rinucio comite Marliano, ducibus, Marradiis in auxilium miſerunt. Cum eo perveniſſent: Venetus exercitus relicta arcis Caſtalioneæ obſidione, Marradium ipſe quoque ſe contulit. Sed cum jam per aliquot dies vicini fuiſſent bini exercitus, magna commeatus penuria utrinque laborabant, & cæteris quoque rebus neceſſariis indigebant. Itaque cum neuter alterum ad prælium provocare auderet, neque intelligeret quæ in alterius caſtris fierent, aut quibus indigerēt: deliberatum conſtitutumq; eſt in utroque exercitu eodem die, de movendis inde caſtris. Et Venetus quidem Berzigellam, Faventiamque verſus flectere decreverat: Florentinus Coſaliam Mugelliumque ducere volebat. Cum dies movendis caſtris conſtitutus adeſſet: & impedimenta expedirentur, forte in Florentinorum caſtra advenit mulier quædam, vetula, paupercula, è vico Marradio, ut cognatos quoſdam nviſeret quos in Florentinorum caſtris ſe habere putabat. Ex hac cum Florentini duces cognoviſſent, Venetum quoque jam caſtra Mar-

radio movere: audaciores facti conſilium mutarunt & conſtiterunt: literiſque Florentiam miſſis, ſignificarunt, ſe coegiſſe hoſtem inde diſcedere, & victoriam obtinuiſſe. Gujus rei bene gerendæ occaſio, ex ſola ea re ipſis contigit, quod priores animadvertiſſent hoſtium difficultates. Quod ſi idem nuntius prius ad Venetum, quam noſtrum exercitum perveniſſet: idem iis utique præſtitiſſet, quod præſtitit Florentinis noſtris.

Vid plura Sic. c. 22.

CAPUT XIX.

Pœnane an obſequium magis neceſſarium ſit, ad regendam populi multitudinem.

REpub. multiplici bello afflicta, delecti Imperatores erant Appius Claudius & Volumnius Cōſules, ille in Hetruriam, iſte in Samnium. Appius homo ſuperbus, & durus Imperator, multa prælia locis, & temporibus iniquis commiſit, nihil ſcite aut fortunate geſſit: & jam prope erat, ut neque dux militibus, nec milites duci ſatis confiderent. Volumnius humanus, & erga militem benignus, rem tam fœliciter geſſit, ut ex ſua provincia Appio in auxilium vocaretur. Quæ cum ita ſint, plus ad gubernandam populi multitudinem prodeſſe videtur humanitas, & benevolentia, quam crudelitas. Sed Cornelius Tacitus, & alii etiam aliqui contrarium ſentire videntur, quod dicant, In multitudine regenda plus pœnam, quam obſequium valere. Ego vero cenſeo diſtinctione quadam

opus

opus eſſe hîc, & quandoque ſeveritatem, pœnamq; magis eſſe neceſſariam, quandoque obſequium prodeſſe. Nam ſi gubernanda ſit hominum multitudo, quæ alioquin tibi ſubdita non ſit, ſed ex civibus tuis conſtet, quales erant cives Romani, qui eodem cum Patriciis jure utebantur: eam benignitate potius, atque obſequio gubernare decet, quam pœnis coercere, & cogere. Nec decebat igitur Romanos Imperatores, quibus Imperium ad certum tempus demandabatur, cives ſuos tanta acerbitate tractare: neque ſi id conarentur, commode, utiliterque faciebant: niſi excellens alicujus virtus tanta eſſet, ut ejus ſæveriſſimis Imperiis omnes obediendum cenſerent: ut cum Manlio Torquato factum novimus. Qui ſubditis ſuis imperat in exercitu, ei ratio habenda eſt, ne inſolentes fiant, & proinde pœna tunc, quam obſequium, utilior: quæ tamen interim ita moderata eſſe debet, ne odium concilier: quod odium ſubditorum, Principi nunquam prodeſſe poſſit. Evitabit autem odium, maxime quidem, ſi à rapinis abſtineat, ne ſanguinem propter rapinam ſitiiſſe videatur. Nam cum alias cædes per ſe principibus ingratæ ſint, extra magnam neceſſitatem: ob prædam rapinamque ad hujuſmodi crudelitatem permoveri putantur, atque ita incidunt in odium ſubditorum. Ut benevolentiæ ſumma ratio habenda ſit ab Imperatoribus, curandumque, ut ab hoſtibus etiam humani, bonique eſſe putemur.

Caput XX.

Humanitatis unicum exemplum ad Faliſcos occupandos plus potuit, quam magna vires.

Cum Furius Camillus Faliſcos aliquandiu obſedíſſet, & commiſſis aliquot prælíis, voti compos fieri non poſſet: accidit, ut Pædagogus quidam, cui demandati erant Principum civitatis aliquot liberi, eos exercendi ludendique cauſa, ante urbem, ut pacis tempore cōſueverat, produxerit. Quos ubi variatis ſermonibus, luſuque à porta longius ſolito abduxiſſet: ubi res dedit, progreſſus inter hoſtium ſtationes, in caſtra Romana ad prætorium Camilli perduxit. Atque hic Faliſcos ſe in manus Romanis tradidiſſe, inquit: quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum ſint, in poteſtatem dediderit. Quæ ubi Camillus audivit, non ad ſimilem, inquit, tui nec populum, nec Imperatorem ſceleſte veniſti, cum ſceleſto hoc tuo munere. Denudatumque eum, manibus poſt tergum religatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgas eis, quibus proditorem in urbem agerent verberantes, dedit. Ad quod ſpectaculum concurſu populi primum facto, deinde à magiſtratibus de re nova vocato ſenatu, tanta mutatio animis injecta eſt, ut qui modo efferati ira odioque adverſus Romanos eſſent, legatos ultro ad poſcendam pacem & dedendam urbem, ad illos miſerint. Egregium ſane

Liv. lib. 5.

ſane exemplum, quo diſcere queamus, Juſtitiam fidemque aliquando magis commovere homines, quam ullæ vires, aut bellicæ machinæ id poſſint præſtare. Ut urbes quæ tantis viribus occupari nequiverint, humanitate fideque hoſtium permotę, portas ultro aperuerint. Neque vero deſunt in hiſtoriis alia quoque hujuſmodi exempla. Nam cum etiam Pyrrhus armis Romanorum ex Italia depelli non poſſet, Fabritii liberalitate receſſit, poſtquā nimirum oſtendiſſet, quantam pecuniam repudiaſſet, quę offerebatur à Pyrrhi familiari, ut illum veneno tolleret. Scipioni Africano quoq;, nequaquam peperit tantam gloriam Carthago nova ſubito occupata, quantam attulit liberale illud facinus, quo captā Alluci Celtiberorum Principis ſpōſam inviolatam ſponſo reſtituit. Nam ad illius rei nuncium univerſa Hiſpania commota eſt, & populi Romani juſtitiam, fidemq; colere cœpit. Eſt enim apud omnes gentes ita comparatum, ut viri magni, atque excellentes, juſtitiæ cultum ament, liberalitatem fidemque expetant: quo fit, ut Philoſophi in doctrina de moribus, & vitæ Politicæ inſtitutione, eadem hæc ſemper inculcent: & in deſcribenda Principum vita, Hiſtorici hoc unum videntur ante oculos poſitum habere, ut ſi quem laudare velint, eum iiſdem hiſce virtutibus exornatum fuiſſe demonſtrent. Xenophon ſane in eo maxime laboravit, ut oſtenderet Cyrum, multas victorias humanitate & familiaritate quadam

Liv. li. 26.

naturali comparaſſe: & quod à ſuperbia luxuria, crudelitate, avaritia, cæteriſq; hujuſmodi vitiis, quæ humanam vitam contaminare ſolent, abſtinuerit.

CAPUT XXI.

Vnde factum ſit ut Annibal in Italia, vitiis, Scipionis virtuti contrariis, idem præſtiterit, atq; Scipio in Hiſpania?

HÆc cum ita ſe habeant admirari licet eos Imperatores, qui contrario modo viventes, tamen ad eundem finem pervenere. Nam hinc ſequi videtur, quod neque ab humanitate neque juſtitia victoriæ pendeant: cum ex contrariis habitibus, liceat eandem laudem atque gloriam comparare. Neque vero longe petitis exemplis opus eſt. Ille idem Scipio, de quo paulo ante diximus, Hiſpaniam ingreſſus, fide, juſtitia, humanitate, ac liberalitate, univerſam eam provinciam in ſui admirationem, amoremque compulit. Econtra autem Annibal, poſtquam in Italiam cum exercitu adveniſſet, vitiis virtuti Scipionis contrariis, eadem præſtitit, atq; ille in Hiſpania. Nam crudelitate ſua, perfidia, rapiniſque effecit, ut brevi temporis ſpatio, univerſæ Italiæ urbes ad illum deficerent. Quæ omnia, dum ipſe mecum diligenter cogito, ex variis cauſis oriri videntur. Primum enim videntur homines rerum novarum cupidi eſſe, non ii tantum, qui ſub tyrannide vivunt verum etiam illi, qui fœlici ac tranquilla pace fruun-

fruuntur. Verum enim eſt, quod alias quoque monuimus, homines, ut rebus adverſis affliguntur, ita rurſus ſecundis rebus luxuriari. Atque hoc novitatis deſiderium, portam aperire ſolet unicuique, qui forti aliqua manu regionem quampiam ingreditur: ut eum, ſi peregrinus ſit, adeant: ſi domeſticus, etiã circumdent, foveant, & ejus vires augeant. Parum videlicet curantes, num humanitate, juſtitiaque, an crudelitate, in gerendis rebus, utatur. His accedit, quod homines non minus mali metu moveantur, quam boni cupiditate, ac ſpe: atque hinc fit, ut non minus ei obtemperent, quem metuunt, quam illi, quem diligunt: videnturque etiam magis dicto obtemperantes eſſe illi, quem timent illi, quam ei, quem diligunt. Quæ cum ita ſint, nihil intereſt ad laudem atque gloriam comparandam, hocne an illo modo egregius Imperator vivat. Nam ſi excellenti virtute præditus ſit, magnam apud omnes exiſtimationem ſibi comparabit, qua delebuntur vitia, in utroque extremorum ab illo commiſſa. Hujuſmodi fuit virtus cum Scipionis tum Annibalis: qua obſcurati, deletiq; ſunt omnes errores, quos commiſerunt, alter ut diligeretur atq; amaretur: alter vero ut omnibus formidabilis eſſet. In utroq; enim imperandi modo, mediocritas quædam eſt, & termini quidam obſervandi: quos ſi quis tranſgreditur, vehementer errat, uſq; adeo, ut ex iiſdem hiſce cauſis vehemẽter periclitari queat. Nam qui in id nimium

incumbit, ut ametur, & facilis, humanuſque habeatur: contemptui hominum facile ſeipſum expoſuerit. Qui terrori eſſe vult omnibus, in odium incurrit. Mediocritatem qui in utroque ſervare potuerit, is vero ſapientiſſimus ac prudẽtiſſimus haberi debebit. Sed q̃a id difficile eſt, inſigni virtute opus erit in Imperatore, ut ea deleantur, quæcunque in utroque extremorum commiſſa fuerint vitia. Quæ etſi in Scipione ſimul, atque Annibale eſſet: non potuere tamen, ne illi quidem ſemper cavere, quin vel nimia facilitas ei, vel huic extrema ſæveritas aliquando periculum crearet. Nam à Scipione defecerunt in Hiſpania, cum amici multi, tum magna exercitus pars, ob unam illam cauſam, quod cum facilis, atque benignus eſſet, eum nemo metueret. Nam ita comparatum eſt inter homines, ut accepti beneficii pauci recordentur: itaque ſi quæ occaſio ſe offert, quæ utilis eſſe videatur obliti benevolentiæ Principis, ambitione ſua in præceps aguntur. Quod cum ſibi eveniſſe Scipio tunc animadverteret, vel nolens coactus fuit, eam ſæveritatem adhibere, quam prius ſtudio, ac diligentia evitare conabatur. Annibalem vero, ſi quis putet, non dediſſe pœnas nimiæ crudelitatis: is cogitare debet, Neapolitanos & alios quoſdam Italiæ populos, metu ejus perfidiæ, ac tyrannidis ſolum permotos, ſeſe illi cum cæteris dedere noluiſſe, ſed in fide pop Romani permanſiſſe. Eadem vero ipſius crudelitas, atque perfidia effecit

effecit, ut eum populus Romanus tanto odio proſequeretur, quãto nullum unquam hoſtem ꝓſecuti ſunt. Quod ut ita ſe habere intelligas, expende an nõ Pyrrhum cum exercitu Italiam vaſtantem, monuerint periculi, quod ab illo impendebat, qui eum veneno tollere cupiebat? Sed Annibalem ſemper odio proſecuti ſunt, etiam inermem, & tandem interitus ejus cauſa fuerunt: quod impium illum perfidumque cenſerent. Hæc igitur illi ex perfidia, & crudelitate mala evenerunt: ſed eadem hæc crudelitas, militem ſuum in officio continuit, uſqueadeo, ut quamvis exercitum haberet ex diverſis gentibus compoſitum: nunquam tamen memoriæ proditum eſt, aliquam in ipſius caſtris, vel ſeditionẽ, vel rebellionem fuiſſe: quod inſignis ejus virtus, cum illa ſæveritate conjuncta, efficeret, ut omnibus terrori eſſet. Quæ cum ita ſint, cõcludimus ad laudem & gloriam comparandam, ex rebus præclare ac fortiter geſtis, nihil referre, an inſigni humanitate fideque Imperator omnia tentet, an vero ſæveritatem atq; duritiem adhibeat: dummodo inſigni virtute, & rei militaris peritia excellat. Nam illa teguntur errores in utroque extremorum commiſſi. Conclusio.

V 5 CA-

CAPUT XXII.

VI. Sic cap. 19. libro.

Manlii Torquati duritiem, & humanitatem Valerii Corvini, eandem utrique gloriam peperiſſe.

BINI fuerunt per idem tempus Romæ inſignes Imperatores, T. Manlius Torquatus & M. Valerius Corvinus, pari gloria & rerum geſtarum magnitudine: hoſtibus quoque pari modo terrori erant, & virtute eadem adverſus illos utebantur: ſed in exercitu contrario fere modo imperabant. Manlii imperia dura erant, quod neque delicta ulla condonaret, neque à labore unquam quieſcere militem permitteret. Valerius humanus erat, benignus, familiaris militi, & ad ignoſcendum facilis: utque tanto magis obſequentem eum, atque obedientem haberet, neminem unquam læſit: cum econtra, Manlius filium ſecuri percuſſerit, ut reliqui milites metu pœnæ magis eſſent obedientes. Sed in tanta animorum diverſitate, par utrinque gloria parabatur, & ad Rempub. eadem redundabat utilitas, adverſus hoſtes denique eadem patrabantur facinora. Neutri miles vel pugnam detrectavit unquã, vel quocunque modo, aut repugnavit, aut defecit. Idque in Manlio magis admiratione dignum videtur, cum tanta fuerit ejus Imperii ſæveritas, ut non in præſens modo horrenda, ſed in poſterum quoque triſtis exempli foret, ex qua factum, ut Manliana Imperia in proverbium abie-

abierint. Quæ cum ita ſe habeant, videndum nobis eſt, quæ Manlianæ ſæveritatis cauſa fuerit? Quid Valerium ea utentem facilitate ad res gerendas adjuverit? Cur idem præſtiterint? & utrum ſatius fuerit hunc, an illum imitari? Manlium ſi recte, ut ab hiſtorico deſcribitur, expenderis: natura fortem virum fuiſſe comperies, erga patrem ac patriam pium, & religioſum. Nam patrem à tribuno plebis accuſatum, vitæ ſuæ periculo liberavit, & cum Gallo ſingulari certamine pro patria pugnavit: nec tamen id extra ordinem injuſſu Imperatoris facere voluit: ſed, cum vaſtæ magnitudinis ille Gallus in pontem prodiiſſet, & Romanum provocaret, ad Dictatorem pergens, Injuſſu tuo, inquit, Imperator, extra ordinem nunquam pugnavero, non ſi certam victoriam videam. Permittente Dictatore pugnavit, & hoſtem vicit. Tantus autem vir, ſi quando ad Imperium evehitur, omnes reliquos ſimiles eſſe ſibi cupit: & quia vir fortis eſt, res quoque fortes, atq; arduas imperat, utque illæ fiant, ſicut imperatæ ſunt, adhibita ſæveritate efficit: quod res magnæ atque arduæ, non niſi ſævero imperio perficiantur: Ut igitur obedientes habeas eos, quibus tu imperas, recte imperare oportet: & in recte imperando id ſpectare, ut proportionem obſerves, quæ eſt vitæ tuæ, atque conditionis, ad vitam naturamque ſubditorum & pro illius modo metiaris rerum, quæ jubentur, magnitudinem, ac parvitatem: Ita quidem, ut ſi ea ſit pro-

Liv. lib. 7.

proportio magnitudinis tuæ, erga ſubditorum conditionem, ut jure hoc illis imperare poſſis, imperes: ſin minus, abſtineas. Recte enim ac ſapienter quidam pronuntiabat: tamdiu per vim conſervari Imperium poſſe, quamdiu vis Imperantis major eſſet, quam eorum quibus imperatur. Nam cum proportio hæc ſolvitur, majoresq; eſſe incipiunt ſubditorum vires, quam Imperantis: periculum imminere, ne Imperium iſtud amittatur. Res igitur magnas atque arduas imperare non debet is qui non eſt vir magnus, ac fortis: & arduas hujuſmodi res ſi imperarit: nequaquam credere debet, ſubditos humanitate ac facilitate Imperatoris, motos iri ut imperata faciant. Nã ſæveritate opus eſt & metu pœnæ, ut res arduæ, atque difficiles obſerventur: à qua ſæveritate quicunque alienum ſe eſſe videt, cavere debet ab omni extraordinario imperio. Nam mites delictorum pœnæ legibus attribuuntur, ſed atroces ab ipſius Imperatoris natura pendere creduntur. Manlium igitur cenſere debemus ad eam ſæveritatem naturæ ſuæ ductu, compulſum eſſe, quæ in Rebuſpublic. perſæpe neceſſaria eſt, ad emendandos civium mores, & leges quodammodo renovandas. Quod ſi quæ Reſpublica tam fœlix eſſet, ut ſtatis temporibus tales quoſdam viros ſortiretur, à quibus vitia publice graſſantia emendarentur, leges renovarentur antiquę, & tollerẽtur illa omnia, quæ eam corrumpũt, & ad interitum ducunt: perpetua eſſe

poſſet

poſſet. Valerius Corvinus natura facilis erat, nec curabat, ut miles quicquam aliud faceret, quam ea, quæ jam longa conſuetudine in caſtris uſitata eſſent. Ea vero quia & ſalutaria erant, & minime difficilia, non urgebant eum ad atroces pœnas infligendas: & ſi qui puniendi eſſent, ii ob ipſas leges, non Imperatoris duritiem, puniri ſeſe putabant. Ex quibus omnibus accidebat, ut apud militem benevolentiam ſimul, & autoritatem ſibi compararet. Ex quo factum eſt, ut quanvis diverſis vitæ inſtitutis, atque Manlius uteretur, ad eundem tamen finem pervenerit: quod utriq; miles ex æquo obſequens eſſet; alteri propter atrocis pœnæ metum, alteri propter modeſtiam, & humanitatem, qua omnium illi conciliabantur animi. Et ſi quis horum alterum imitari deſiderat, hoc unum ante oculos poſitum habere debet, ne vel in eos errores incurrat, in quos Scipionem ſupra incidiſſe docuimus; aut illos, quibus ſe Annibal contaminavit. Ad quos evitandos delendoſque, una ſingularis virtus conducet. Hiſce ita conſtitutis, ſupereſt ut cōſideremus nunc, ſatius ne ſit Imperatori, ut Manlium, an vero ut Valerium Corvinum imitetur? Qua de re non deſunt in utramque partem argumenta. Nam qui ſcribunt de viri principis inſtitutione, Valerii mores Manlii moribus anteponunt ut apud Xenophontem cernere licet, qui Cyri humanitatem, totiuſque vitæ rationem talem deſcribit, qualem in Valerio Livius commemorat,

morat, præſertim tunc, cum adverſus Samnites Conſul profectus fuiſſet. Nam cum milites ad pugnam blanda admodum, ac facili oratione hortatus fuiſſet, ita de illo loquitur hiſtoricus: Non alius militi familiarior dux fuit, inter infimos militum, omnia haud gravate munia obeundo, in ludo præterea militari, cum velocitatis viriumque inter ſe æquales certamina ineunt, comiter facilis: vincere aut vinci vultu eodem, nec quenquam aſpernari, parē qui ſe offerret: factis benignus, haud minus libertatis alienæ, quam ſuæ dignitatis memor & quo nihil popularius eſt, quibus artibus magiſtratus petierat, iiſdem gerebat. Sed idem hic Livius tamen qui Valerii facilitatem tantopere laudavit: de Manlii ſæveritate quoque honeſte & ſentit, & ſcribit. Aſſerit enim atrocitatem illam pœnæ, filio irrogatæ, obedientiorem feciſſe duci militem: utque vigiliæ, cuſtodiæ, & ſtationum ordinis intentior cura eſſet. Profuiſſe quoque eam ſæveritatem tunc, quando in prælium deſcenſum eſt: ut facile convenerit inter omnes Latinos, atque Romanos, qui eius pugnæ memoriam poſteris tradiderunt, utrius partis Tullius Manlius dux fuiſſet, eius haud dubie futuram fuiſſe victoriam. Quæ cum ita ſint, difficile eſt pronuntiare, uter alteri ſit præferendus? Sed nobis tamen de hac quæſtione ſic pronuntiandum videtur, ut dicamus: Eum Imperatorē, qui civis eſt liberæ civitatis, melius facere, ſi Manlii, quā ſi Valerii imperia imitetur

tetur, quod illa omnia publici boni cauſa ita adminiſtrentur: ad privatã utilitatem vero minime referantur: atq; hinc, ut neq; clientes ſibi parare queat talis Imperator ad opprimendam Rempublicam neq; ſui cives de illo quicquam tale ſuſpicari poſſint. Quæ autem imperandi ratio publicum bonum maxime promovet: privati commodi quam minimam rationem habet: ea & Reipublicæ maxime ſalutaris eſt: & Imperatori ipſi, qui vir bonus, & Reipublicæ amans ſit, utiliſſima: cum vacet ab omni ſuſpicione. Contrario modo ſe habent Imperia Valerii. Nam etſi idem ex iis fructus ad Rempublicam redeat: multa tamẽ ſuſpicari ſolent homines de magna illa militum erga Imperatorem benevolentia, ne aliquando ea in Reipub. detrimentum, perniciemque referatur. Valerio ipſi certe nihil tale contigit, quod in urbe nondum corrupti eſſent civiũ mores, nec proinde conſueti de ſuis Imperatoribus male ſuſpicari. Præſertim ſi non tam longo tempore exercitui præeſſent: Quod ſi autem exercitui is imperet, qui alias etiã princeps ſit, ut apud Xenophontẽ Cyrus erat: eum Valerio quam Manlio ſimiliorem eſſe decet. Nã eo ſpectare oportet Principẽ, ſive domi, ſive in militia ſit, ut ſuos habeat & obedientes, & ſui amantes. Obedientes erunt ſi illum videãt eſſe egregiũ, ſtrenuum legũ ac diſciplinæ militaris imprimis obſervantẽ. Amore vero eum proſequentur, ſi fuerit facilis in converſatione, atque humanus, cæ-

teriſque

teriſque virtutibus polleat, quibus Valerium ſimul, & Cyrum excelluiſſe novimus. Neq; unquam cuiquam nocere poteſt hæc benevolentia militum erga illum Imperatorem, qui alioquin eſt eorum princeps. Nam cum unus ille rerum potiatur, unum illum & amare debent, & uni illi parere. Sed aliter ſe habet res cum is in exercitu imperat, qui civis eſt ejuſdem urbis, cujus cives ſunt & ſui milites. Nam hunc decet iiſdem legibus ac magiſtratibus parere, quibus & ipſi parere coguntur. In Annalibus Venetorum legimus, cum eorum naves aliquando appuliſſent, & magna orta eſſet inter remiges, & populum diſcordia, ut ad manus pugnamque jam rediiſſet negotium: non potuiſſe jam ſeditionem, vel per lictores, vel cives, vel ullos alios magiſtratus ſedari: ſolo adventu Petri Lauredani tandem, qui anno ſuperiori illorum Imperator fuiſſet, ſedatam eſſe: quod ejus iuſſu remiges à pugna quieviſſent. Sed eandem illam obedientiam remigum, tantopere ſuſpectum Lauredanum Senatui reddidiſſe, ut metu, ne quid adverſus Rempub. moliri conaretur, eum poſt paucos dies carceribus incluſum, mortis ſupplicio affecerint. Itaq; cum hæc ita ſe habeant, ei Imperatori imitanda ſunt Valerii Imperia, qui etiam extra militiam Princeps eſt. Illi vero qui alicujus Reipu. civis eſt, nequaquam: quod nec ſibi, neq; Reipub. ſalutaris ſit, Reipu. ſalutaris eſſe non poteſt hæc imperandi ratio, quod per eam Imperatori aditus ad occupandam

dam tyrannidem præparatur. Imperatori quoque perniciosa eſſe ſolet. Nam etſi nil mali cogitet, ſeipſum tamen reddit ſuſpectum, & in periculum conjicit. Sed Manlii imperia viro principi nequaquam conveniunt: Civi obeſſe non ſolent, niſi rariſſime: nimirum ſi forte inſignis illa ſæveritas, cum tantæ virtutis exiſtimatione conjuncta fuerit, ut nimiam invidiam pariat, quemadmodum Furio Camillo accidit.

CAPUT XXIII.

Quibus de cauſis Furius Camillus in exilium pulſus fuerit?

QUOD ſuperiori capite docuimus, Valerii Corvini imperia, neque Patriæ, neque Imperatori ſalutaria eſſe, Manliana autẽ Reipu. quidem utilia: ipſi Imperatori nonnunquã ob invidiã nocere: id Furii Camilli exemplo, ita ſe habere ſatis cõmode demonſtratur. Erat enim is Manlio, quam Valerio ſimilior, ut milites ejus virtutem admirarẽtur ſimul, atq; odio proſequerentur, Livio atteſtante. Nã magnanimus erat, prudens, in obeundis omnibus officiis militaribus diligens, & rei militaris peritiſſimus: quæ omnia efficiebant, ut militi admirationi eſſet. Sed odiũ illi, apud plebem præſertim conciliabat rurſus, quod ſæverior in puniendis militũ delictis foret, quam remuneranda illorum virtute. Vejentanam prædam à milite, poſt expugnationẽ ejus urbis, captam, æſtimare coegit,

Livius lib. 5.

gis,

git, & decimam partem in publicum, ad uſus ſacros conferre. Triumphum deinde duxit, ſupra conſuetum modum, cum in urbem curru, equis albis juncto, invectus fuerit. Id enim populo non modo civile parum videbatur, ſed ne humanum quidem, Dictatorem Jovis, ſoliſq; equis æquiparatum: ut clarior, quam gratior ille triumphus fuerit. Quo loco cenſere debemus, maximum momentum apud plebē habere, ad odium principi conciliandū, ſi ab illo fraudetur emolumento aliquo inſigni, juſtoq;. Nam qui ſemel re aliqua utili ſpoliatus fuerit, nunquam deponere ſolet ejus incuriæ memoriam: præſertim cum, ob neceſſitatē, ſubinde admoneamur rerum utiliū, quas ſemel amiſerimus, eaſq; magno cum direptoris odio expetamus. Secundum locum obtinet ſuperbia, quæ liberis hominibus vehementer odioſa eſſe ſolet. Nam etſi nemini noceat, ferre tamen eam non poſſunt liberi homines: Itaque ab ea cavere debent viri excellentes, perinde ut à ſcopulis in mari, quod odium pariat. Nemo autem ſapiens odium adverſus ſe concitare debet, ſine inſigni aliqua cauſa.

Caput XXIIII.

Roma ad ſervitutem redacta eſt, Imperiorum prorogatione.

Reipub. Romanorum formam, ſi quis accuratè intueatur, is deprehendet primariam illius interitus cauſam, ex Agrariis contentioni-

tionibus, & magiſtratuum prorogatione ortam eſſe. Quibus morbis, ſi in tempore proſpectum fuiſſet: diuturnior eſſe publica libertas potuiſſet, magiſque pacata. Nam etſi ob prorogata imperia, ſeditiones Romæ ortæ nullæ videantur: conſtat tamen eos, quibus prorogati fuere magiſtratus, ad tantam autoritatem, potentiamque perveniſſe, quæ publicæ libertati pernicioſa fuerit. Equidem ſi omnes, quibus aliquãdo continuati magiſtratus ſunt, L. Quintio ſimiles fuiſſent: nullum ex ea re periculum creari publicæ libertati potuiſſet. Nam cum inter plebem ac patres contentiones eſſent, & Plebs eoſdem Tribunos (quod aptos illos ad reſiſtendum patribus putarent) in ſequentem annum denuo creaſſet: & patres ob eandem cauſam Quintio Conſulatum prorogare vellent: reſtitit ille vehementer, nec paſſus eſt ut patres plebem, in re quæ mali exempli eſſet, imitarentur, magnaque contentione obtinuit, ut novi conſules crearentur. Hunc ſi cæteri cives Romani fuiſſent imitati, nequaquam peſſimo exemplo, antiquum de continuandis magiſtratibus Senatuſconſultum ſolviſſent: neque etiam ex hac magiſtratuum cõtinuatione, ad prorogationem Imperii ventum fuiſſet, quæ res perniciem Reipubli. attulit. Primus, cui Imperium prorogatum eſt Romæ fuit P. Philo. Nam cum is Palæopolim obſideret, & ſub finem Conſulatus ſui, videretur in manu victoriam habere: nullum illi ſucceſſorem miſerunt,

Livius lib. 3.

ſed

ſed prorogato Imperio, eum Proconſulem renuntiarunt. Sed hæc res, etſi publici boni cauſa à Senatu decreta fuiſſet, tamen ſucceſſu temporis, in peſſimum exemplum abiit, & Reipu. tyrannidē induxit. Nam quanto magis procul ab urbe bellum gerendū erat, tanto magis neceſſaria videbatur iſta Imperii prorogatio. Hinc autem factum, ut pauciores cives Romani, in re bellica excellere potuerint, cum pauciores Imperatores fierent: omnisque belli gloria ad paucos quoſdam, quibus Imperia prorogabantur, rediret. Præterea facile poterat is Imperator, qui egregio exercitu longo tempore imperaſſet, eum ſibi devincire, ut Senatus P. Q. Romani quodammodo oblitus, ſolos Imperatoris faſces agnoſceret. Nam ob haſce cauſas factum eſt, ut & Marius, & Sylla exercitum adverſus Rempub. comparare potuerint, & Cajus Cæſar ipſam Rempub. invadere, & occupare. Quæ mala nunquam accidiſſent S. P. Q Romano, ſi illa magiſtratuum, & Imperiorū prorogatio non in uſu fuiſſet. Quod ſi obiicias, nō potuiſſe res tantas geri à Populo Romano, in locis tam remotis ab urbe, niſi continuati fuiſſent Imperatoribus magiſtratus. Ad id ego reſpondeo, tardius quidem tantum Imperii faſtigium forte potuiſſe occupari: ſed idem illud poſtea durabilius fuiſſe; nec tam cito potuiſſe Monarchiam, ſublata publica libertate introduci.

CA-

CAPUT XXV.

De Quintii Cincinati, & multorum aliorum civium Romanorum paupertate.

ALIO loco à nobis diſputatum, & oſtenſum eſt, ad publicam libertatem in Repu. conſervandam, plurimum intereſſe, ne cives opibus admodum augeantur. Id, utrum aliquo ſtatuto Romæ cautum fuerit, aut quodnam illud eſſet, ignorare me fateor: præſertim cum leges agrarias toties oppugnatas eſſe noverimus. Sed hoc tamen conſtat, circa annum quadringenteſimum à condita urbe, plurimos Romanorum civium pauperes fuiſſe. Nec veriſimile eſt aliam hujus cauſam, quam quod paupertas nemini obſtaret, ad honores & magiſtratus quoslibet adeundos. Virtutis ratio habebatur ſolum, eaque expetebatur in deligendis magiſtratibus & muneribus diſtribuendis, quacunq; tandẽ ſeu domo, ſeu caſula habitaret. Quæ res efficiebat, ut opes divitiæque contemnerentur. Hæc ita ſe habere vel uno hoc exemplo apparuit. Cum Minutius Conſul adverſus Æquos bellum gerens, ab iis circumventus, & obſeſſus eſſet: tantaq; jam iu urbe Roma trepidatio foret, ac ſi mœnia obſiderentur, ad id remedium ventum eſt, quod rebus afflictis unicum habebant, ut Dictatorem L. Q. Cincinarum, conſenſu omnium dixerint. Hic vero, ut Livius ait, operæpretium eſt audire, qui omnia præ divitiis humana ſpernunt: neque honori magno

Livius lib. 3.

gno

gno locum, neq; virtuti putant eſſe, niſi ubi effuſe affluant opes. Spes unica imperii populi Romani L. Quint. Cincinatus, trans Tyberim quatuor jugerum colebat agrum. Ibi ab legatis, ſeu foſſam fodiens bipalio innixus, ſeu cum araret, operi certe agreſti intentus, ſalute data invicem redditaque: rogatus, ut quod bene verteret ipſi Reiquepub. togatus mandata Senatus audiret: Admiratus togam propere è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet, qua, ſimul abſterſo pulvere, ac ſudore, ubi velatus proceſſit, Dictatorem eum gratulantes conſalutant: in urbem vocant, & qui terror ſit in exercitu exponunt. Ille in urbem veniens, collecto mox exercitu, Minutium liberavit, Æquos, à quibus obſidebatur, ſpoliatos omnibus rebus nudos ſub jugum miſit: prædam ingentem ſuis tantum militibus diviſit: Conſularem exercitum ipſumque Conſulem increpans. Carebis, inquit, prædæ parte ex eo hoſte, cui prope prędæ fuiſti: & tu ô Minuti, donec Conſularem animum incipias habere, non conſul deinceps, ſed Legatus his legionibus præeris. Idem hic Dictator, Magiſtrum equitum in hac expeditione dixit, L. Tarquitium Patriciæ gentis, ſed qui, propter paupertatem ſtipendia pedibus feciſſet, bello tamen primus Romanæ juventutis eſſet. Uſque adeo non obſtabat iis temporibus virtuti paupertas: ut viro forti, atque egregio Quintio Cincinato, ſufficerent ad victum quatuor agri jugera. M. Attilii Reguli tempori-

Livius lib. 18.

bus,

bus, etiam fuiſſe videtur civium Romanorum eadem paupertas. Nam cum is in Africa contra Carthaginenſes fœliciter bellum gereret, petiit à Senatu, ut liceret ſibi redire in Italiam, & villam, quam mercenarii devaſtaſſent, reſtaurare. Eam igitur frugalitatem populi Romani admirari debemus, qui non opes ex bello, ſed laudem atque gloriam quærebant: prædam in ærarium conferebant. Quod ſi ex bello opes quærere ſtuduiſſent, parum curaſſet ille, qui in Africa militabat, num agri illius Romæ recte colerentur an non? Modeſtiam autem & magnanimitatem civium Romanorum quis non evehat ad cœlum uſque? qui cum exercitui præficerentur, majores ſe quolibet Rege cenſebant. Non reges illos, non populi aut Reſpub. ullæ terrebant. Domum reverſi, ac depoſito magiſtratu, deinde humiles erant, parci, ad rem attenti, & exiguorum prædiorum aſſidui cultores: magiſtratibus obſequebantur, majores ſuos in honore habebant, & reliqua modeſtorum civium officia tam diligenter ob.bant, ut quis magnopere admiretur, in iiſdem animis tantam mutationem eſſe potuiſſe. Duravit hæc civium Romanorum frugalitas, uſque ad tempora L. Pauli Æmilii: quæ ultima fuit ætas Reipub. fœlix, fauſtaque. Nam idem cõparata ingenti præda, ærarium ditavit: parum curans, ſi interim ipſe conſueta fortuna contentus eſſe cogeretur: uſque adeo enim nullus ob paupertatem cõtemptui habebatur, ut cum generum, qui

qui in eo bello præclaram operam Reipub. na vaſſet, argenteo vaſe donaſſet: id primum ar gentum fuerit, quod in illam domum prius un quam perveniſſet. Quo loco non incommod occaſio ſe offerret, de paupertate diſſerendi, & oſtendendi, illam longe utiliorem human generi, magiſque ſalutarem extitiſſe, quam o pes: quod ob illam multæ præclaræ artes in ventæ excultæque fuerunt: quas opes & luxu poſtea perdere conſueverunt. Sed cum de ea dem hac re, à multis hominibus alias quoqu ſit diſputatum: hoc loco eam non amplius at tingemus.

Caput XXVI.

Propter mulieres, magnos ſæpe motus excitari.

Liv. lib. 3. Apud Ardeates ſemel orta civilis diſcor dia eſt, inter Plebem & Optimates, eo quod virginem plebei generis forma maxim conſpicuam bini peterent Juvenes: Alter virgi ni genere par, ad id tutorum opera utebatu alter nobilis, ſola forma captus, quem adjuva bant Optimatum ſtudia: idem hic matris judi cio ſuperior erat, quæ ſplendidiſſimis nuptii jungi puellam cupiebat. Cum diſcordia hæ intra parietes componi nequiviſſet, in jus ven tum eſt. Poſtulato audito matris, ac tutorum magiſtratus ſecundum parentis arbitrium da jus nuptiarũ. Sed tutores de injuria decreti pa lam concionati in foro, manu facta virginem

e

x domo matris rapiunt. Adverſus quos infe-
ior coorta Optimatium acies, ſequitur incen-
um injuria juvenem. Fit prælium atrox. Pul-
plebs armata ex urbe proficiſcitur, & colle
uodam occupato, in agros Optimatium cum
rro, ignique excurſiones facit: evocataque o-
ificum multitudine ad ſpem prædæ, urbem
bſidet. Parum utrique parti domi armorum
ellique viſum eſt. Optimates Romanos ad
uxilium urbis obſeſſę, Plebs ad expugnandam
oſcos excivere. Priores Volſci venerunt, &
œnibus hoſtium vallum obiecerunt. Eos
aulo poſt ſecuti Romani, firmiori monumē-
circumvallarunt, quam ipſi urbem. Victi
ndem Volſci, à Romanis ſub jugum miſſi
nt, & Ardeæ res compoſitæ, principibus ejus
ditionis ſecuri percuſſis. Quo loco obſervare
ecet, memorabile exemplum turbarum, quæ
ulierum cauſa excitentur, quod multa talia
Rebuſpublicis ſubinde & oriantur, & dudum
rta ſint, quæ à parvis initiis cœpta, magnas
rbas tandem dederunt, & quandoque amit-
ndi imperii cauſa extiterunt, veluti ſtuprum
ucretiæ illatum Tarquiniis, & tentata Virgi-
iæ pudicitia, Appio, cæteriſque Decemviris.
nimadvertit Ariſtoteles quoque id in Politi-
is, itaque inter primas cauſas ejectæ tyranni-
is, cenſet referendas eſſe injurias, quæ mulie-
bus vel per ſtuprum, vel per adulterium infe-
untur: de qua re nos quoque ſupra docuimus,
um de conjurationibus diſputaremus. Itaque
X vel

vel imprimis providendum erit in Reip. gube natione, ne quid tale oriatur, & ſi quid tale ja ortum ſit, ut ei remediũ adhibeatur, antequa morbus tam altas radices agere queat: ne quc Ardeatibus accidit, nobis quoque evenire m gno noſtro malo contingat.

Caput XXVII.

Quæ ratione componendæ ſint civiles di cordiæ: Falſumque eſſe quod quidam dicunt melius ſub imperio tuo conſervari poſſe civit tem ſeditionibus laborantem, quam conco dem.

IN reconcilianda civitate, diſcordiis civil bus laborante, imitari debemus Conſul Romanos, & modum obſervare, quo Arde tum res, ſeditione turbatas, compoſuerunt principibus ejus ſeditionis ſecuri percuſſis, eorum bonis in publicum redactis. Tres enii in univerſum ſunt modi, quibus componu tur in civitate res, ſeditionibus civilibus turb tæ: quod earum principes aut è medio toller di ſint, ut apud Ardeates factum eſt: aut in ex lium pellendi: aut ad pacem cum adverſari faciendam cogendi, & indicta pœna, ne ſe mu tuo lædant, prohibendi. Sed ex omnibus tri bus deterior, aut ſane minus utilis eſt poſtre mus: quod omnino fieri nequeat, ut partes quæ multis utrinque cædibus, injuriiſque exa cerbatæ ſunt, pacem eam ſervent, ad quam co actæ ſunt per vim. Nam cum ſingulis diebu

ſeſ

ſeſe mutuo & videant, & audiant, & inter ſeſe converſentur, ab injuriis abſtinere non poſſunt: cum ſubinde cauſæ quædam incidere ſoleant, quibus ad iram, vindictamque permoveantur. Exemplo ſit nobis civitas Piſtola, quæ ante quindecim annos tota in Panciaticos & Cancellarios diviſa erat, ita ut armis quoque inter ſeſe geminæ hæ factiones certarent: eoque tandem rediit res, ut neque à cædibus, neque rapinis abſtineretur, ſed domos etiam alii aliis diruerent. Florentini igitur, quibus curæ erat, ut eorum res componerentur, tertio modo utebantur: & pacem inter partes facere conabantur: ſed interim majores utrinque injuriæ ſubinde inferebantur, donec experientia ipſa edocti, ſeditionum principes partim in exilium mittere, partim carceribus mancipare inciperent; quo modo ſedati ſunt motus illi, & pax in hodiernum uſque diem duravit. Sed longe ſatius fuiſſet proculdubio, ſi ſtatim ab initio principes illorum motuum ſuſtuliſſent: Neque vero ulla alia de cauſa, aut tunc à noſtra, aut alias ab aliis Rebuſpub. negligitur hæc ratio componendarum ſeditionum, quam quod ſæveritatem quandam, & animi magnitudinem requirat: quæ infirmis Rebuſpub. non facile invenitur. Sed hi ſunt errores principum virorũ, qui diſceptandis hujuſmodi controverſiis præficiuntur, ex eo utique dependentes, quod ad mores, & conſuetudines antiquorum, parũ in hujuſmodi negotiis reſpiciant. Uſque-

X 2 adeo

adeo enim ſunt puſillanimes, ob pravā quandam educationem, ut exiſtiment veterum exempla aut crudelia eſſe, aut nimis difficilia. Et à veritate diſcedentes, in pravas quaſdam opiniones incidunt: ex quarum præſcripto de rebus arduis poſtea judicant, non ſine magno Reipublicæ detrimento. Tale eſt, quod per idem tempus Principes noſtræ civitatis jactabant: oportere urbem Piſtolam ſub Imperio noſtro cōſervare, per civium diſcordias: quemadmodum Piſanam, per propugnacula, & arces. Utrumque autem abſurdum eſt. Et de arcibus quid ſentiendum ante docuimus. Nunc dicimus, factiones civium nequaquam prodeſſe, neque moderatoribus urbium, neque principibus ac dominis earum, ad illos melius vel compeſcendos, vel in officio continendos. Primum enim, cum natura hominibus inſita ſit quædam inconſtantia: nunquam fieri poterit, ut quæ factiones à te nunc pendent: ſemper eodem modo erga te ſint affectæ: cum modo hunc, modo illum fautorem, patronumque expetant. Quod ſi quæ ſunt igitur partes, in civitate factionibus laborante, quæ non tibi confidant, aut à te læſas eſſe ſe putent: ex prima belli occaſione ad hoſtem tuum deficient, cauſaq; erunt, totam urbem amittas. Si ea civitas quæ factiones habet, ſub imperio ſit liberæ alicujus Reipublicæ, longe majora adhuc mala orientur: quod ſingulæ factiones, ſuos patronos in Rep. quæ illis imperat, quocunque tandem modo

modo præhenſare, muneribus corrumpere, aut aliis officiis ſibi devincire conabuntur. Ex quo id certe conſequetur, ut in Rempublicam quæ imperat, etiam ſenſim introducantur diſcordiæ civiles, quæ ſubinde cum magiſtratuum commutatione, de uno cive in alium ſerpent: ut neque ſubita civitas unquam vere amica eſſe poſſit ei, ſub cujus imperio continetur: neque ipſius imperantis Reipublicæ cives, unquam vera certaque tranquillitate fruantur. Animadvertit id Biondus in Hiſtoria Florentinorum noſtrorum: quos, inquit, dum Piſtolenſium res ſeditionibus turbatas componere voluerunt in ſuam Rempublicam diſcordias civiles tranſtuliſſe. Anno Salutis noſtræ 1501. defecerat à noſtra Republica Aretium; & vallem Tyberinam, Cianamque univerſam, occupaverant Vitellii ſimul, & Valentinus dux. Ob quam cauſam miſit in Italiam Galliæ Rex Lãtii dominum, ut Florentinis hæc loca reſtituenda curaret. Is vero ut erat vir ſapiens, cum ſingula loca obequitãdo, ubiq; inveniret quoſdam, qui ſe Marziocæ factionis eſſe dicerẽt: vehementer factiones haſce vituperabat: & nunquam laturum Gallię Regem aſſerebat, ut in aliqua urbe cives aliqui ſe factionis alicujus eſſe pronuntiarent ne Regiæ quidem. Nam ſi qui ſint Regiæ factionis ſequitur alios eſſe Regi adverſarios, ſed omnes amicos, & charos eſſe, cũ ſibi, tum inter ſeſe, nec patitur ullas eſſe factio-

nes. Quod igitur quidam principes exiſtimant aliquas Imperii ſui urbes, non poſſe domari, niſi per factiones civium: id certum eſt eorum imbecillitatis indicium. Nam cum per vim eás compeſcere nequeant, ad haſce artes ſeſe convertunt: quæ pacis tempore aliquid proſunt, ſed cum bella ingruunt, plane ſunt pernicioſæ.

Caput XXVIII.

Obſervandas eſſe civium Actiones: quandoque enim ſub ſpecie pii alicujus officii latere tyrannidis principium.

Livius lib. 4. CUM aliquando fame civitas laboraret, Sp. Melius ex equeſtri ordine prædives, rem utilem peſſimo exemplo eſt aggreſſus. Frumento namque ex Hetruria, privata pecunia coëmpto, largitiones ejus facere inſtituit, plebemque hoc munere delinire: ut eam, quacunque incederet, ſupra modum hominis privati, ſecum traheret, haud dubium Conſulatum deſpondentem. Et quoniam Conſulatus eripiendus eſſet invitis patribus, de regno cogitare, quod id unum dignum tanto apparatu conſiliorum præmium foret. Sed cum patefactum jam eſſet, tela in domum Melii conferri eumque domi conciones habere, ac non dubia regni conſilia eſſe: Senatus Dictatore electo, ejus vim, conſiliaque oppreſſit. Memorabile exemplum, ut obſervemus, perſæpe evenire poſſe, ut quæ bona, piaque officia videantur, ea in Reipubli-

publicæ perniciem converti poſſe, niſi remedium in tempore adhibeatur. Non poſſent equidem Reſpublic. neque gubernari, neque conſiſtere, abſque præpotentium, ac magnorum virorum auxilio: eadem vero potentia, & exiſtimatio virtutis, inſtrumentum eſſe ſolet quibuſdam civibus, ad tyrannidem occupandam. Quamobrem diligenter providendum in Rep. ut cum magnates, claroſque viros habere oporteat, non niſi ex iis rebus cives potentes exiſtimationem, laudemque comparare poſſint, quę Reipublicæ utiles, ac ſalutares eſſe queant. Modi igitur expendendi ſunt, quibus autoritatem ſibi, & exiſtimationem comparare ii cives poſſunt, & providendum quinam à publicis officiis, muneribuſque dependeant? aut privata ambitione nitantur? Ex officio publico laudem comparant ſibi cives potentes, cum ad munus aliquod publicum adhibiti, id bene adminiſtrant, & publico bono bene conſulunt ſive in bello, ſive in pace res gerantur. Quæ vero autoritas, & exiſtimatio his modis comparantur, Reipub. ſalutares ſunt: debetque non modo non prohiberi quiſquam, ab hac ratione laudis, & gloriæ comparandæ: verum etiam propoſitis potius præmiis invitari. Illam vero exiſtimationem formidare in Repub. oportet, quam privata ambitione ac largitione affectare ſolent cives aliqui, quemadmodum Sp. Melium feciſſe modo docuimus: & alii quidam præpotentes atque ambitioſi cives, etiamnum

facere conſueverunt, qui ut clientes habeant, per quos ſuo tempore innovare, ac perturbare Rempublicam poſſint, multis beneficiis plebem ſibi devinciunt. Itaque legibus inſtitutam, munitamque Rempublicam eſſe oportet, quibus impediantur, arceanturq; hujuſmodi ambitioſorum hominum conatus: Et econtra, præmia iis propoſita ſint, qui ex re bene geſta autoritatem, & gloriam merentur. Romæ certe iis, qui in bello ſe bene geſſiſſent, triumphi pro ampliſſimo præmio concedebantur, & alii item honores aliis dabantur, pro ratione rerum ab ipſis geſtarum. Ad compeſcendam vero ambitionem eorum, qui Rempublicam quocunq; modo perturbare conarentur: ſummum remedium erat in publicis accuſationibus poſitum, quod diem dicere coram populo liceret, cuiq; vel potentiſſimo civi: Et ſi minus hujuſmodi accuſationes aliquando ſufficerent, ob plebem largitionibus corruptam: ad Dictatoris abſolutum, ſummumque Imperium confugiebant, qui regia quadam potentia hoſce motus compeſcebat, & tranquillitatem Reipublicæ comparabat: ut in ejuſdem Spurii Melii caſu factum eſt, de quo paulo ante docuimus. Quod ſi quando enim hujuſmodi ſive conatus, ſive facinora impune ferantur, ita commovetur Reſpub. ut vix reſtitui, ſanariq; poſſit.

CA-

CAPUT XXIX.

Populi errores plerumq; à principibus dependere.

VIRI principes nequaquam inique ferre debent delicta ſubditorum, aut iis graviter infenſi eſſe propter illa: ſed exiſtimare ſe cauſam eſſe eorum: ſive propter negligentiam exigendæ pœnæ: ſive quod iiſdem vitiis ipſi quoque contaminati ſint. Neque vero opus eſt longe petitis exemplis id probare, ætatem noſtram intueamur, & conſideremus, qui populi ob rapinas ac latrocinia maxime celebres fuerint. Videbimus enim eorum principes iiſdem vitiis contaminatos fuiſſe. Antequam è Flaminia, Æmiliaq; pellerētur ab Alexandro VI. Pōtifice Reguli ii, qui illam ſub Imperio habebāt: erant eæ regiones latrociniis plenæ. Nam & cædes, & rapinę quotidie frequentiſſime erant. Quæ res nequaquam ex natura loci, ut quidam per id tempus putabant, ſed principum malitia oriebantur. Nam cum eſſent pauperes, & nihilominus ſplendide, ac magnifice vivere vellent: omnis generis prædas, rapinasque excogitabant. Nam ut de cæteris artibus taceamus: hęc inſignis erat illorum malitia, quod cum lata lege quippiam publice interdixiſſent: ipſi deinde primi erant, qui in latam à ſe leegm peccarent, ut cæteros invitarent. Neque etiam cæterorum, qui in eandem legem deliquiſſent quenquam puniebant, donec eſſet magnus

illorum numerus: ac tunc demum, non juſtitiæ conſervandæ cauſa, ſed prædæ dulcedine permoti, pœnas ab omnibus ſimul graviſſimas exigebant. Ex qua re hoc ſequebatur abſurdum, ut expilati aſſiduis illis mulctis homines, ad paupertatem redigerentur: atque hinc impellerentur ad vexandos alios, quibus exiſtimarent ſe viribus eſſe ſuperiores: quo quidem modo vitia non emendabantur, ſed ad ea homines inſtituebantur: dependebantque hæc omnia ex prava eorum Regulorum natura. Hiſce ſimile eſt quod Livius narrat, de legatis populi Romani ad ferendum Apollini donum, ex præda Vejentana miſſis. Nam cum hi, navi longa Siculum fretum prætervecti, in piratas Liparenſes incidiſſent: Liparas devecti, ex more ejus civitatis, tanquam res publico latrocinio parta, dividendi erant inter cives una cum dono, quod ſecum ferebant, niſi Timaſitheus quidam, qui eo anno in ſummo magiſtratu erat, Romanis, quam Liparenſibus, ſimilior, Legatorum nomen, donumque, & Deum, cui mitteretur, & doni cauſam, veritus eſſet ipſe, & multitudinem, quæ regenti ſemper ſimilis eſt, eadem hac religione impleviſſet, legatoſq; tutatus, cum præſidio, Delphos uſque fuiſſet proſequutus. Nam hîc quoque evidenter cernis, civitatem Liparenſium rapinis, cædibuſq; ſub prioribus magiſtratibus aſſuetam, Timaſithei tamen autoritatem ſequutam à ſacrilegio abſtinuiſſe: ut veriſſimum ſit, quod Laurentius

Liv. lib. 5.

noſter

noſter Mediceus in ore habere ſolebat, ex Oratore illo Romano petitum: Talis eſt civitas, quales ſunt principum mores.

CAPUT XXX.

Arcendam eſſe invidiam, ſi quis autoritate ſua in Rempublicam boni quippiam introducere cupit. Et quæ ſit ratio urbem defendendi.

POST captam à Gallis urbem, eandemque Camilli virtute recuperatam: deſierant jam ulla contemni bella. Itaque cum Latini, Volſci, Hernici, Antiates, Hetruriaque omnis in armis eſſet, Senatus diis gratias agere, quod Camillus in magiſtratu eſſet. Dictatorē namque eum dicendum fuiſſe, ſi privatus eſſet. Sed cum foret tribunus militum conſulari poteſtate: quinque illius collegæ, fateri regimen omniū rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in uno viro eſſe, ſibique in animo deſtinatum, Camillo ſubmittere Imperium, nec quicquam de ſua majeſtate detractum credere, quod majeſtati ejus viri conceſſiſſent. Camillus pro tanto collegarum obſequio, & talibus Senatus de ſe judiciis gratias egit, anniſurum ſe, ut conceptam tanto civitatis conſenſu de ſe opinionem, conſtantem efficiat. Circumſederi urbem Romanam invidia, & odio finitimorum: itaque pluribus exercitibus opus eſſe. Te igitur P. Valeri, inquit, ſocium Imperii cum legionibus adverſus hoſtem duco. Te, Q. Servili, alte-

ro exercitu inſtructo paratoque, in urbe caſtra habere placet, intentum ſive Hetruſci, ſive Latini aut Hernici ſe moverint. Tertius exercitus ex Cauſoriis, ſenioribusq; ſcribatur à L. Quintio, qui urbi mœnibuſque præſidio ſit. L. Oratius arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poſcent, provideat. Te, Servi, Corneli, præſidem hujus publici conſilii cuſtodem religionum, comitiorum, legum, rerumque omnium urbanarum facimus. Patres cum Tribunos militum cernerent tam concordibus animis junctos, ut parere juxta atque imperare parati forent, optime de bello, pace, univerſaq; Repub. ſperare. Nobis vero ex hoc exemplo diſcere licet, quantum Reip. prodeſſe queat, unus aliquis vir excellenti virtute præditus, ſi ea tanta fuerit, ut omnem invidiam ſuperare queat. Præterea non poſſe cujuſquam virtutem tantam eſſe, quæ multum Reipub. proſit, ubi obſtant invidi illius conatibus & gloræ. Evitandam igitur, extinguendamque invidiam, contra illos excitatam, qui patriæ vehementer prodeſſe cupiunt, idque duobus potiſſimum modis fieri poſſe dicimus. Nam in re difficili, atq; ardua primum, ubi omnes periclitari ſe cernũt: depoſita omni ambitione, ad eum confugiunt, eique ſponte obediunt, cujus ſpectata virtus juvare poſſe videatur. Sic enim Camillo accidiſſe vidimus, qui cum ter prius Dictator fuiſſet, ſemperque ſe egregium Imperatorem, & Reipublic. amantem oſtendiſſet: ſui vero commodi

modi rationem non habuiſſe, & publico bono tantum incubuiſſe videretur, talem de ſe opinionem ſuis civibus præbuerat, ut Imperii ipſius magnitudinem, atque potentiam nemo formidaret, nemo invideret, nec quicquam de ſua majeſtate detractum credebant, quod majeſtati ejus viri conceſſiſſent. Alter extinguendæ invidiæ modus eſt, qui fit ſublatis invidis tuis, ſive fato naturali, ſive per vim. Idque uſurpari ſolet tunc præſertim, cum cernis tantam eſſe invidiam, ut conatibus ſuis obſtare nunquam deſinant, quamvis ii Reipub. maxime ſalutares futuri ſint. Non deſunt enim, qui tanta invidia laborent erga viros excellentes, in urbibus iis præſertim, quibus corrupti ſunt mores civium, ut malint vel patriæ interitum cernere, quam virtute & gloriæ eorum favere, per quos illa conſervari poſſet. Neque ullum aliud eſſe ſolet remedium adverſus tantam invidiam, quam ſublatis hujuſmodi hominibus invidis. Quod ſi igitur tam fortunatus eſſe poſſit quiſpiam, ut naturali fato illi tollantur, qui obſtant ſuæ virtuti: is ſine cædibus, aliisque ullis motibus tantum malum evincere poteſt, & ſuæ virtutis ſpecimina edere, pro ſalute patriæ. Si tam fauſtus fortunatusq; eſſe nequeat: de alia ratione cogitandum eſt, qua impedimenta virtutis tuæ è medio tollantur: idq; longe prius faciendum, quam ullum ſingulare virtutis exemplum edere poſſis. Hæc ita ſe habere vel ex ſacris hiſtoriis comprobatur. Nam antequam

Moſes Dei Opt.M. juſſu leges ſuas ratas facere poſſet, & id expedire, quod ille in mandatis habebat, quam plurimos homines ſublatos eſſe oportuit, qui invidia commoti, ejus obſtabant conatibus. Hanc neceſſitatem præclare agnoſcebant, cum Hieronymus noſter Savonarola, tum Petrus Soderinus Florentiæ. Sed Monachus eam evincere non potuit, cum illi autoritas & potentia deeſſet: neque ab iis ſatis intelligeretur, qui illi auxilio eſſe & potuiſſent, & debuiſſent: non defuit ille tamen officio ſuo, ut ex ipſius Concionibus apparet, quibus invehit contra ſapientes hujus ſeculi. Nam hoc modo nuncupat invidos illos, qui ipſius doctrinæ, & vitæ inſtitutis obſtabant. Soderinus vero fore ſperabat, ut beneficiis aliquando, ac recta vivendi ratione hos ſcopulos ſuperaret, præſertim cum & juvenem ſe adhuc eſſe intelligeret, & novos ſubinde clientes, amicoſque conciliari ſibi cerneret: Itaque ab omni violento motu cavebat, ignorans, quod ubi tanta hominum malitia obſtat, fruſtra expectatur commoda rerum gerendarum occaſio: quod maligni illi homines nullis neque donis, neque officiis placari poſſint. Uterque horum igitur interiit tandem, alter quod invidiam ſuperare nequiviſſet: alter quod eam, uti conveniebat, oppugnare in tempore neſciviſſet. Hæc in Camillo obſervari hoc loco oportet: quemadmodum etiam ratio, quam in defendenda urbe obſervavit, non in alium finem procul dubio ex-

preſſa

preſſa ab hiſtorico, quam ut exemplum haberemus ad imitandum. Voluit Camillus exercitum à ſe conſcriptum, in urbe caſtra habere, ad ejus cuſtodiam. Quamvis enim cives illi alias homines bellicoſi eſſent, & imminente neceſſitate arma capere potuiſſent: ſatius tamen putavit tantus Imperator, in rebus præſertim afflictis, ut antequam ex urbe exercitum educeret in hoſtem, domi omnia parata eſſent ſcriptique milites, quibus nova, ſi quæ orirentur, pericula propelli liceret: nec concedendum, ut tandem, cum neceſſitas urgeret, tumultuarie homines ad arma vocare oporteret. Id enim ſapienti Imperatori unice cavendum: ne ad urbis defenſionem, tumultuario quodam modo cives vocare neceſſe ſit: ſed providendum longe prius, ut ſinguli ad certa quædam munia obeunda, certis locis atque temporibus decreti conſtitutique ſint: cæteri vero omnes intra ſuas ædes contineantur, eaſque ſolas defendant, cæteris actionibus ſeſe nequaquam immiſceãt: Nam qui ſecus faciet, urbem adverſus hoſtem, eam oppugnantem, nequaquam commode defendet.

CAPUT XXXI.

Reſpublicas potentes, & viros excellentes, ſibi ſemper ſimiles eſſe quæcunque tandem fortuna aſpiret.

INTER cætera, quæ à M. Furio Camillo, ceu virtutis certa argumenta, dicta factaque memo-

memorantur, illud etiam fertur, quod milites ad prælium hortatus, dixerit, Romanos ſemper eoſdem eſſe, ac ſimiles ſui: ſibi vero neque Dictaturam animos unquam feciſſe, neq; exilium ademiſſe. Nobis igitur diſcendum hinc, quod viri excellentes ſemper eodem modo affecti ſint, quacunque tandem fortuna fruantur. Neq; enim aut ſecundis rebus efferuntur, aut adverſis magnopere deterrentur: ut fortuna in iis nihil habere dominii videatur. Contrario modo agunt puſillanimes viri, atq; viles. Nam rebus ſecundis uſque adeo ſuperbiunt, & efferuntur, ut inebriati proſpera illa fortuna videantur, exiſtimantque tantam eſſe ſuam virtutem, ut & hanc fortunam pepererit, & aliam huic ſimilem ſemper parere queat: Sed cum adverſa tempeſtas oritur, tantopere terrentur, ut omnem ſpem abiiciant, ceu viles abiectique plane homines Atque hæc cauſa eſt ſubitæ eorum mutationis fortunæ. Nam qui viri principes ita affecti ſunt, ii magis de fuga cogitant, in hujuſmodi adverſitatibus fortunæ, quam ut defendere ſe ſuosq; conentur: propterea quod ſecundis rebus male uſi ſunt, neque ſeſe præpararunt, ut adverſis venientibus ventis, forti animo reſiſtere poſſent. Hæc naturarum diverſitas, non in ſingulis hominibus tantum, ſed in univerſo populo, & ipſis Rebuſpub. deprehenditur. Quod ut ita ſe habere intelligamus, conferamus inter ſe Romanam illam Rempublic. quæ ſub conſulibus ſuis bellum gerebat, cum

Repub.

Repub. Venetorum, quæ patrum noſtrorum, ac noſtra etiam memoria floret. Romani illi nulla adverſitate fortunæ tantopere terrebantur, ut animum deſponderent, neque ſecundis rebus unquam tantopere inflati erant, vt vel ſuperbi, vel inſolentes fierent. Clades ad Cannas accepta, populo Romano vehemens, atque terribilis fuit, quod tertia eſſet earum, quas in Italia maximas accepiſſent. Sed ea nequaquam tantopere territi ſunt, ut quicquam commiſerint, quod antiquæ Populi Romani dignitati repugnaret. Nam de bello continuando cogitarunt, novos exercitus conſcripſerunt, captivos ex hoſte, contra antiquam conſuetudinem redimere noluerunt, pacem autem neq; ab Annibale, neq; à Carthaginenſibus petierunt: ſed ſervos & ſeniores quoque, continuandi belli cauſa, armarunt. Quarum rerum omnium certior factus Hanno, oſtendit in ſenatu Carthaginenſium, quam parum fiduciæ ipſis in illa victoria ponendum eſſet. Romanos igitur cernimus rebus adverſis nunquam magnopere terreri ſolitos, aut animos minuere: Sed neq; proſperis rebus ſuperbiebant ullo modo, quod victis Regibus ac populis magno ſemper animo ac ſingulari clementia ignoſcere ſolerent. Unum vero eorum animi moderationis argumentum eſſe poteſt, pax, cum Antiocho facta. Nam cum, antequam prælium committeretur, Antiochus per ſuos legatos pacem à binis Scipionibus petiiſſet, & impetraſſet eam quidem,

Livius lib. 37.

dem, ſed iniquioribus, quā eam admittendam cenſeret, conditionibus: commiſſo prælio victus Antiochus denuo pacem petiit à victoribus Romanis: eamque iiſdem conditionibus à victoribus impetravit, quas prius repudiaſſet. Etſi enim Zeuſis, Antiochi legatus, à victoribus juſſu Regis, quibuſcunque tandem conditionibus veniam, pacemque impetrare conaretur: Romani tamen tanta victoria neutiquam elati animo, per Scipionem Africanum ita reſponderunt: Romani ſumus, & à diis immortalibus animos habemus, qui noſtræ mentis ſunt, quoſque eoſdem in omni fortuna geſſimus, gerimuſque: neq; eos ſecundæ res extulerunt, neque adverſæ minuerunt. Poſtquam Helleſpontum trajecimus, priuſquam caſtra regia priuſquā aciem videremus, cum communis Mars eſſet, incertuſque belli eventus, de pace vobis agentibus quas pares paribus ferebamus conditiones, eaſdem nunc victores victis ferimus. Sed longe aliter facere ſolent Veneti. Secundis enim rebus uſque adeo efferuntur animis: ut Galliæ Regem olim S. Marci filium nuncupaverint, tanquam ſi virtute ſua, quæ nulla eſt, tantum imperium peperiſſent: ſemperque id eodem modo aucturi, & tandem Imperium, Romano olim ſimile, paraturi eſſent. Uſque adeo ſcilicet omnes Italiæ Principes, ipſamq; Eccleſiam Romanam præ ſeſe cōtemnebant. Sed iidem illi, cum aliquando adverſa tempeſtas orta, cladem quandam juxta

Vailam

Vailam attuliſſet, ut à Galliæ Rege cæſos aliquot ſuorum amiſiſſent: uno propemodum die univerſum Imperium amiſerunt: partim deficientibus eorum ſubditis ad hoſtes: partim quod ipſimet, impetrandæ pacis gratia, cum Pontifici, tum Hiſpaniæ Regi multa tradiderint. Tantaque fuit eorum animi conſternatio ac metus, ut literis ad Cæſarem per legatos miſſis, tributum annuum illi promiſerint. & Pontificem ad ſui miſericordiam flectere, tanta animi ſubmiſſione conati fuerint, ut illorum timiditas, & puſillaminitas illinc facile apparuerit. Ad tantam vero calamitatem quatuor dierum ſpatio pervenerunt, eorũ exercitu uno in prœlio, vix dimidia parte conſumpto. Nam cum inter recedendum eis pugnandum eſſet: ita oppreſſi ſunt, ut multi tamẽ evaſerint: & ut eorum Imperator, Veronam cum viginti quinque millibus incolumis pervenerit. Ut ſi quæ virtus in ea Republica ac rei militaris peritia fuiſſet, facile potuiſſent collecto novo exercitu, hoſti rurſus ſeſe opponere: quẽ ſi vincere nequiviſſent: potuiſſent tamen, aut melioribus conditionibus pacem impetrare, aut ſaltem majori cum laude ſuperari: Sed tanta fuit eorum puſillanimitas, malaque inſtitutio ad militarem diſciplinam, ut uno eodemque die & Imperium, & vires, & animos amiſerint. Neq; vero fieri poteſt, ut aliter iis eveniat, qui ſecundis rebus tantopere ſuperbiunt, & adverſis terrentur: quod hæc conſuetudo oriatur

ex

ex prava inſtitutione, qua homines inepti fiunt ad quamcunque fortunam moderate ferendam. Quod ſi vero recte inſtituantur à teneris ut rerum humanarum varietatem obſervare diſcant: fortiores, melioreſq; cives fiunt, ut neque Proſperitati fortunæ nimium cõfidant, nec adverſitate perturbentur. Ex ſingulis autẽ civibus bene aut male inſtitutis conſtat Reſpublica & firmior, aut imbecillior redditur, pro ut illi melius, aut deterius inſtituti fuerint Jam ante autem à nobis ſæpe oſtenſum eſt, & nunc repetere non piget, Imperiorum omnium fundamentum, eſſe in militari diſciplina poſitum: qua ſublata nullæ nec leges, nec inſtituta in civitate ſalutaria eſſe poſſunt, ad noſtri defenſionem. Ea autem bona eſt diſciplina militaris, quæ multis exercitiis confirmatur: itaque conſtare militiam oportet ex noſtris civibus, non alienis, ac ſtipendiariis hominibus. Quomodo enim exerceri queat domi, niſi conſtet ex noſtris civibus; Stipendia enim peregrinis perpetuo ſoluere, ut eos penes te habeas, inſtituaſq;: id potentiſſimis quoque Rebuſpublicis grave eſt. Camillus certe in ea expeditione, cujus paulo ante fecimus mentionem, cum perturbatos ſuorum militum animos comperiſſet, propter multitudinem hoſtium, in equum inſiliit, & ante ſigna obverſus in aciem, ordines anterequitans, eorum triſtitiam, & cunctationem reprehendit, & cum multa ad excitandos eorum animos in rem præſentem dixiſſet: tan-

dem

dem rem uno quaſi faſce comprehendens, Simul concurrite, inquit, quod quiſque didicit ac conſuevit, facite: *Vos vincetis: illi fugient.* Nam ex hoc loco cernere licet, Imperatorem in prælium deſcendentem tantundem dixiſſe, ac ſi nihil novi faciendum militibus jam foret, quod non prius, cum domi in pace, tum in bello facere & didiciſſent, & conſueviſſent: & proinde exercendos milites ad officia militaria, longe prius quam in aciem deſcendant. Nam qui nihil ſtrenue didicerunt, nil ardui attentare conſueuerunt, iis, ne ſi Annibal ipſe imperet, confidere poſſis, quod rem præclare geſturi ſint. Nam dum comminus pugnatur, non poteſt Imperator omnibus locis ipſemet præſens eſſe: quo fit ut neceſſario illi ſit pereundum, niſi locis ſingulis tales habeat milites, qui in aciem diſtributi, mandata Imperatoris exequantur, & virorum fortium officia faciant. Quæ cum ita ſe habeant, Romanorum diſciplinam militarem decet imitari: qui cives ſuos officiis militaribus, cum domi in pace, tum foris in bello, perpetuo exercebant, talesque efficiebant, ut cum in aciem deſcenderent ad pugnandum: nihil novi, nihilque non conſueti facere viderentur: Atque hinc accidebat, ut quæcunque tandem fortuna aſpiraret, eoſdem tamen animos ſemper gererent, nihilque unquam facerent, quod dignitati populi Romani repugnaret. Quæ autem Reſpublica cives ſuos inermes habet, nec officiis militaribus eos

vel

vel adhibet, vel exercet: eam fortunæ varietati obnoxiam eſſe oportet, uſque adeo, ut adverſis tempeſtatibus nulla virtutis ſingularia exempla edere queat, perinde ut de Venetis ante docuimus.

Caput XXXII.

Quæ ratio à quibuſdam in perturbanda Republica ac pace frangenda, obſervari ſoleat.

DEFECERUNT à populo Romano Circei ſimul, atque Velitræ, Coloniæ, ea ſpe ducti, quod à Latinis putarent ſe contra Romanorum vim poſſe defendi: Victis autem Latinis, cum ſe ſpe ſua fruſtratos cernerent: deliberabant de mittendis Romam oratoribus ad veniam petendam. Sed qui autores ipſis fuerant rebellionis, huic conſilio obſtabāt, quod fore putarent, ut pœnæ ſibi ſolis eſſent perſolvendæ Hoc autem ut commodius perficerent, omniaque pacis conſilia irrita redderent: concitata multitudine, in agros Romanorum excurrerunt, & prædas inde abegerunt. Horum igitur inſtitutum ſi ſequi voles: facile omnem ſpem conſequendæ pacis intercipies: quod is, qui tale quoddam facinus patravit ab eo, in quem deliquit, ſupplicii metu, nunquam pacem ſit petiturus. Principem igitur tuum avertere poteris, & impedire, quo minus cum alio aliquo pacem, aut fœdus ineat: ſi curaveris, ut ma-

magnum aliquod facinus aduerſus illum perpetret. Sic enim, ne ſi offerantur quidem conditiones pacis æquæ, acceptare illas audebit, vel ſola conſcientia ſceleris permotus. Poſt primũ bellum punicum, pace facta redierunt in Africam Pœni quidam milites, qui ſub Carthaginenſium imperio in Sicilia, ac Sardinia militaverant: & cum iis ſtipendia à Carthaginenſibus non ſolverentur: arma adverſus illos ſumpſerunt, & Matho Spendioque ducibus, aliquot eorum urbes occuparunt, ac diripuerunt. Carthaginenſes ne pugnandum eſſet, Aſdrubalem, cujus autoritatem apud ipſos multum poſſe putabant, cum in bello prius illorum Imperator fuiſſet, Legatum miſerunt, ut de pace cum illis ageret, Spendius autem, & Mathus impediendæ pacis haſce rationes invenerunt, ut & Aſdrubalem, & alios quoſcunque haberent Carthaginenſium apud ſe, interficerent & diris ſuppliciis lacerarent. Cui facinori hoc quoque ſcelus adjecerunt, ut jurejurando omnes adegerint, non paſſuros ſe quemquam Carthaginenſium vivere, qui in ipſorum manus veniret: ſed omnes iiſdem ſuppliciis affecturos. Atque hoc modo & irritam fecerunt pacis tractationem & militem contra Carthaginenſes exacerbarunt.

* * *

CA-

Caput XXXIII.

Ad victoriam ex prælio obtinendam, oportere milites audaces eſſe, & cum ſuis propriis viribus, tum Imperatoris virtuti confidentes.

AD vincendum, & prælio ſuperandum hoſtem, neceſſe eſt ut exercitum habeas qui hoc ſibi perſuadeat, ſe facturum eſſe, ac facere poſſe. Confidentia autem illa oritur ex bona militari diſciplina, & convenienti omnium rerum adminiſtratione. Inter cætera vero hoc etiam requiritur, ut cognoſcant ſe mutuo milites, tanquam ſi enutriti quaſi ſimul ſint. Imperatorem vero imprimis talem eſſe oportet, ut ejus exiſtimatio apud militem magna ſit, & talis, ut de illius virtute, prudentiaque nullo modo dubitare poſſit. Ut autem eam ſibi comparare poſſit, prudenter omnia adminiſtranda ſunt, & accurate, ut vel ipſis teſtibus tua virtus enitere videatur. Imprimis vero curandum, ne fruſtra militem laboribus fatiges, aut delicta præſertim gravia, impunita relinquas: quæ vero promittit, ſervare debet, & victoriæ viam facilem oſtendere, quæque ei obſtare videntur, aut plane celare, aut ſi patefiant eorum vim minuere verbis, & extenuare. Quæ omnia ſi recte obſerventur, permagnum pondus habent, cum ad autoritatem Imperatori conciliandam, tum ad victoriam comparandam. Populus Romanus ad hæc omnia religione utebatur. Itaq; auſpicato & ipſos Conſules creabant, & delectus

ctus militum habebant, & exercitus educebāt, & prælia committebant: nec quicquam horum à ſapiente Imperatore vnquam factum, quin prius auſpicia conſuleret; vt deorum immortalium voluntate atque juſſu bella gerere viderentur: ex quo fiebat, vt miles certam, atque promiſſam à Diis victoriam fore confideret. Quod ſi quis Imperator contemptis auſpiciis infeliciter prælio dimicaſſet: eas pœnas luebat, quas Claudius Pulcher ſolvere coactus eſt, cum aves, quæ non paſcebantur, iuſſiſſet ſubmergi. Hujuſmodi exemplorum pleni ſunt omnes hiſtoriæ Romanæ libri: è quorum numero ſi evidentiſs. aliquod habere cupis, Appium Claudium audi, contra Tribunitiam poteſtatem in hunc modum diſſerentem: Eludite nunc religionem, inquit. Quid enim ſi pulli non paſcantur? ſi ex cavea tardius exierint? ſi occinuerit avis? Parva ſunt hęc: ſed parva iſta nō contemnendo, majores noſtri maximam hanc Rempublicam fecerunt. Ob eam nimirum cauſam quod conjunctam cum habeant religionem, animos militum in officio continerent, confidentesque efficerent. Neceſſe eſt tamen, cum hac confidentia virtutem conjunctam eſſe, quod ad victoriam comparandam ſola nequaquam ſufficeret. Exemplo eſſe poſſunt Præneſtini, qui adverſus Romanos bellum geſturi, caſtra poſuerunt ad Alliam flumen, ut ex eo ipſo loco agrum Romanorum popularentur quo illi prius à Gallis fuſi, & in fugam

Liuius lib. 19.

conjecti eſſent: fatalem ſe ubi Romæ locum cepiſſe jactantes: ſimilemque inde pavorem, ac fugam futuram, quæ bello Gallico fuerit. Nam ſi diem contactum religione Romani timeant, quanto magis Allienſi die, Alliam ipſam monumentum tantæ cladis reformidare eos oportebit? Sed cum inanium rerum cogitationes, ac ſpes ſecum animo volverent, & fortunam ex loco pendere putarent: Romani econtra, ubicunque eſſet Latinus hoſtis, ſatis ſciebant eum ipſum eſſe, quem ſæpe ante deviciſſent, virtutemque ſuam talem eſſe, quæ nullis locorum difficultatibus ſuccumberet. Itaque ad ſuos Q. Cincinatus Dictator ſic locutus eſt: Videtis Præneſtinos, loci fortuna fretos, ad Alliam conſtitiſſe? At nos freti armis animisq;, concitatis equis mediam aciem invademus. Et recte quidem. Vera enim virtus cum militum robore, & diſciplina militari conjuncta, multis victoriis confirmata, levibus hujuſmodi hoſtium momentis, nequaquam perturbatur. Nam & miles ipſe ſine duce, fortis, atque rebus bellicis exercitatus non facile perturbatur: veluti accidit Manliis Conſulibus adverſus Volſcos bellum gerentibus: Qui cum exercitus bonam partem frumẽtatum temere miſiſſent, & interim ab hoſtibus obſiderentur diverſis in locis omnes: evaſere tamen nulla ducum prudentia, ſed propria virtute: ut de iis recte Livius dicat. Militum etiam ſine Rectore, ſtabilis virtus apparuit. Fabii vero induſtria, ad confidentiam

tiam militibus excitandam, ſumma fuit: cujus unum exemplum memorabile extat. Nam cum in Thuſcos, novos hoſtes pugnandum eſſet: adduxit militibus varias rationes, quibus probabat vinci hoſtes poſſe: & præter illas omnes, unum adhuc ſibi argumentum eſſe dixit certiſſimæ victoriæ: ſed id tale eſſe, quod nondum publice explicari oporteret, ne forte hoſtibus innoteſceret.

CAPUT XXXIV.

Quæ voces opinionesque Civi cuipiam apud populum favorem conciliare ſoleant? & utrum ille, an vero princeps honores melius diſtribuere noverit.

IAM ante à nobis oſtenſum eſt, qua ratione T. Manlius, qui Torquati nomen poſtea obtinuit, Patrem adverſus Marcum Pomponium Tribunum plebis, defenderit, cum diem illi dixiſſet. Ea vero etſi violenta, & extraordinaria eſſet: quia tamen ex juſto filii in patrem amore, ac pietate dependebat, & cum quadam animi fortitudine conjuncta eſſe videbatur: magnam illi apud Populum Romanum gratiam & exiſtimationem conciliavit: uſqueadeo ut non modo non reprehenſus à quoquam fuerit, ob tantum facinus: verum etiam mox ad honores evectus. Nam cum paulo poſt creandi eſſent tribuni militum, ipſe unus factus eſt, & ſecundus in ordine renuntiatus. Quo loco

ſe opportuna occaſio offert obſervandi modum, quem ſequi ſolet populus, in honorum diſtributione, eligendisque magiſtratibus: & utrum recte à nobis prius dictum ſit, melius hac in re populum, magiſque conſiderate, quam Principes faciant, judicare ſolere. Sequitur enim vulgi opinionem populus, & de unoquoque ita judicat, ſicuti de eo fama fert: niſi virtutis ſuæ memorabile aliquod exemplum ediderit, quo ſibi & famam, & exiſtimationem comparaverit. Tres enim in univerſum mihi videntur eſſe res, per quas exiſtimationem aliquam apud populum comparare poſſis: & earum quidem primum locum obtinent majores tui, ex quibus prognatus es: qui ſi viri fortes atque excellentes fuerint, ſimilem de te ſpem, atque opinionem apud homines excitabunt: ſoletque eo uſque durare hæc de illis opinio, donec re ipſa contrarium oſtendant. Secundum locum obtinet vitæ tuæ ratio. Itaque non niſi cum viris egregiis, & virtute præditis converſari oportebit, ut ſimilem de te opinionem excites: nam talem te homines eſſe opinantur, quales ii ſunt cum quibus converſaris. Neceſſumque quodammodo videtur, ut ſimilitudo aliqua ſit inter eos, qui ſubinde ſimul ſunt. Summum denique inſtrumentum conciliandæ tibi autoritatis, atque exiſtimationis eſt, ſi aliquid vel publice vel privatim patraveris, quod honeſtum ſimul ac memorabile ſit. Longeque certiora ſunt judicia, quæ ex hiſce argumentis deſu-

mun-

muntur, quam quæ ex binis prioribus dependent. Nam quæ ſumuntur ex parentibus argumenta virtutis, admodum dubia ſunt, & ſæpe hominibus imponunt: nec quicquam certi continent, donec res ipſa ſuo tempore teſtimonium ſuppeditet. Quæ ex vitæ ratione & amicitiis, quas colis, ſumuntur, aliquanto hiſce certiora ſunt nondum tamen tam firma, ut quę ex actionibus & rebus geſtis colliguntur. Nam omnis quæ de aliquo concipitur ſpes, & exiſtimatio virtutis, ſive propter majores, ſive propter homines, cum quibus converſaris, tota tamen illa ſola nudaque opinione nititur: donec re ipſa memorabile quippiam patraveris, ex quo documentum tuæ virtutis conſtet. Plurimum igitur poſſunt, ad conciliandam vel bonā vel malam exiſtimationem apud populum, quæ principio ſtatim ætatis à te memorabilia patrantur, ſive bona, ſive mala: uſque adeo, ut nec facile aboleatur earum memoria, aliis, contrariisque actionibus. Itaque in id ſtudium unice incumbere debent, qui in Republica emergere cupiunt: ut prima ætate alicujus ſingularis virtutis documenta edant. Romæ id certe ita factitatum eſt à multis: quamobrem ſolebant aliqui vel legem aliquam rogare, quæ Reip. ſalutaris futura videretur: aut potentem aliquem civem, qui in leges delinqueret, accuſare: aut aliquid aliud facere, de quo neceſſe eſſet ſermones apud multos haberi. Nec ſemel tantum fuerit tale quiddam patrandum,

ſed iterum atq; iterum, novis virtutum documentis, rerum jam ante geſtarum memoria renovanda, confirmandaque, ut præclare de te ſentiant homines. Itaque T. Manlium hîc licebit imitari, qui cum patrem primo defendiſſet forti animo, & pietatis ſuæ egregium documentum ea in re edidiſſet: paucos poſt annos ſingulari certamine cum Gallo pugnavit, eum vicit, & detracto torque ex ejus collo, Torquati nomen eſt adeptus. Et cum ad maturam ætatem perveniſſet, juſtitiæ atque ſæveritatis documenta in filio quoque edidit: quem, quod adverſus edictum ſuum, in hoſtem extra ordinem pugnaſſet, ſecuri percuſſit: quamvis hoſtem, à quo provocatus erat, interfeciſſet: videlicet ne poſteri haberent exemplum ſolvendæ militaris diſciplinæ. Quibus ternis ſuæ virtutis documentis, tantam nominis celebritatem ſibi comparavit, quantam illi nulli triumphi, aut victoriæ comparare potuerunt. Et merito ſane: neq; enim ullus ille fuit, qui victoriam egregiam de hoſtibus abſtulit: ſed multos habuit cives, qui illi in hac re, & pares, & ſuperiores fuerunt: ſed in ternis hiſce exemplis, aut nullos aut certe pauciſſimos ſimiles habuit. Scipionem quoque non tam celebrem fecere tot præclaræ victoriæ, atque triumphi, quam exempla pietatis in patrem, patriamque demonſtratæ. Nam patrem ad Atheſin fluvium defendit: & juventutis Romanæ nobiliſſimos quoſque; poſt Cannenſem pugnam, per vim juramento ade-

adegit, ne patriam deſererent, cum tantæ cladis metu ex Italia ad Regum quempiam auſugere decreviſſent. Hæc namque exempla virtutis in prima ætate edita, aditum illi ad reliquas Hiſpanicas & Africanas victorias aperuerunt. In quibus ſubinde aliquid præclari gerens, conceptam de virtute ſua opinionem, magis magisque conſtantem effecit. Tale quiddam fuit, quod in Hiſpania filiam patri, & ſponſam viro incorruptam reſtituit. Neque vero in Republica ſolum, & inter eoſdem cives debet eſſe hoc ſtudium comparandæ autoritatis, in ipſa ætate tenera, per aliqua ſingularia virtutis documenta: ſed multo magis in Principibus, & Regibus, ut à ſubditis in honore habeantur. Nihil enim eſſe poteſt, quod principi majorem apud ſubditos autoritatem concilliet, quam ſi in tenera ſtatim ætate, dictis factisve exemplum ediderit alicujus præclaræ virtutis, juſtitiæ præſertim, magnanimitatis, liberalitatis, & aliorum hiſce ſimilium. Nam in proverbium etiam abire ſolent, apud ſubditos, quæ à principibus memoratu digna, aut fiunt aut dicuntur. Hæc cum ita ſe habeant, Populus, qui in diſtribuendis honoribus, rationem habere ſolet ternarum rerum, quibus diximus exiſtimationē civibus comparari: nequaquam inepte judicat: maxime vero ſi nitatur continuis virtutum exemplis. Nam hæc nunquam decipiunt: & in juvenibus documento ſunt de reliquæ vitæ ratione. In iis vero, qui ad matu-

ram ætatem pervenerunt, & vitæ ſuæ rationem per longam experientiam teſtatam fecerunt, minus etiam errare ſolet populus, quam principes ſi ad officia quædam nova magnaque adhibendi ſint. Nam qui errores populo incidũt, plerumque evenire ſolent ob falſam exiſtimationem, quam de hominibus concepit: quod, fama ipſa ſeductus, res majores geſſiſſe illos exiſtimet, quam revera geſſerint: à quo errore principes magis ſibi cavere ſolent, propterea quod certius de virorum magnorum rebus aut bene aut male geſtis erudiantur. Sed in Rebuſpublicis bene inſtitutis, videtur etiam ratio quædam inventa eſſe à legislatoribus, quo populus recte erudiri, docerique poſſit, de virtutibus ac vitiis ejus, qui ad magnam aliquam rem adminiſtrandam eligendus ſit. Idque, per conciones publicas, quæ conceſſæ ſunt omnibus, qui vel in laudem, vel vituperium ejus dicere volunt, qui ad magnum aliquod munus adminiſtrandum, ſit eligendus. Id vero Romæ obſervari ſolitum fuiſſe, docet oratio Fabii maximi, quam adverſus T. Octacilium habuit. Nam cum populi Romani ſuffragia in eum inclinarent, Fabius econtra, gravi oratione demonſtravit, eum non eſſe tantum virum, qui Conſulatum, ex dignitate populi Romani iis temporibus adminiſtraret, quo Reſpublica Punico bello implicita foret. Quæ cum ita ſint, populum dicimus, in diſtribuendis honoribus niti argumentis, quæ ex cujuſq; vita per famam, & ſi-

& ſigna quædam colliguntur: & ſi conſultores in hiſce rebus bonos habere poſſet: uti principes plerumque habent: longe minus delinquere, quam principes. Favorem autem populi commodiſſime ſibi conciliabit, in prima ætate civis egregius, ſi documenta alicujus excellentis virtutis, dictis, factisque declaraverit: ut T. Manlium imitari velle videatur.

CAPUT XXV.

Quæ pericula iis incumbere ſoleant, qui conſilii alicujus autores ſunt, præſertim in rebus arduis, atque periculoſis?

NIMIS longum foret, ſi ex profeſſo diſputare vellemus de iis omnibus, qui in rebus magnis atque periculoſis Reipublic. autores ſunt alicujus conſilii: & oſtendere quanto illi in diſcrimine verſentur. De iis igitur ſolummodo diſputabimus hoc loco, qui cum ſint aut principis, aut Reipub. conſiliarii, mordicus ſententiam aliquam tuentur, & contra multorum ſuffragia evincunt, ut ex ſuo ipſorum ſuaſu, hortatuque magnum aliquod negotium ſuſcipiatur. Primum enim obſervare oportet, ex rerum eventu, ſolere homines judicare de conſiliis: qui ſi infauſtus ſit, atque infortunatus, in unum conſilii autorem refertur. Si vero fœlix, fauſtusque fuerit, laudatur ille quidem etiam, ſed longe minus, quam vituperari ſoleat, cum res male ſucceſſerit. Is, qui ætate noſtra regnat,

Turcarum Imperator Sultanus Selymus, cum aliquando præparaſſet ſe, ad expeditionem in Syriam Ægyptumque: conſilio unius cujuſdam ſuorum præfectorum militiæ, quos Baſſas nuncupant, ſententiam mutavit, & adverſus Sophum Perſiæ Regem infeſto exercitu contendit. Itaque ampliſſimam patentiſſimamque regionem ingreſſus, & majori ex parte deſertam, aridamque, ac fluviis carentem, peſte ſimul atque fame maximam partem exercitus amiſit: ob eaſdem difficultates, propter quas olim quoque multi Romanorum exercitus perierunt. Itaque iracundia permotus Imperator, autorem hujus conſilii trucidavit: ut à fide dignis hominibus, qui ex iis regionibus ad nos venerunt, accepimus. Legimus etiam, cum olim multi cives expeditionis cujuſdam autores fuiſſent: & res minus fœliciter ſucceſſiſſet, eos omnes exilio fuiſſe mulctatos. Simile fuit & illud quod Romæ accidit, cum magna plebis contentione vix obtineretur, ut è plebe unus Conſul fieret. Nam qui primus ex plebe creatus fuit, cum infœliciter pugnaſſet, tantum periculum creavit autoribus ejus conſilii, ut niſi tanta vis plebejorum, contentioque obſtitiſſet, pœnæ illis haud dubie ſolvendæ fuiſſent. Itaq; in hiſce difficultatibus verſantur conſiliarii virorum principum, ac Rerumpublicarum ut ſi non ſuaſerint libere id, quod ex uſu eſſe videatur, officio ſuo deſint: ſi vero id audacter fecerint, periculum ſubire cogantur cum vitæ, tum fortu-

Livius li. 7.

fortunatum : eo quod hæc ſit humanarum rerum ratio, ut ex ſolo eventu conſilia, bonane an mala fuerint, judicari ſoleant. Quæ dum mecum cogito, hoc unum habeo præceptum, quod hujuſmodi conſiliariis præſcribam : ut moderate utrumque extremorum intueantur. Quod exiſtimaverint faciendum eſſe, libere illi quidem ſuadeant, ſententiamque ſuam argumentis, quibus eam amplectuntur, tueantur: ſed hoc tanta animi moderatione faciant, ut qui eam ſequuntur aut principes, aut Reſpub. non magis tuo inſtinctu, ſuaſuque id feciſſe videantur, quam ſua ipſorum libera voluntate. Neque enim veriſimile eſt, ſi quis princeps lubens, volensq; in tuam ſententiam pedibus iverit, eum poſtmodum pœnas à te exigere velle, ſi minus fortunatus eventus fuerit: quemadmodum id alias fieri ſolet, ſi quando adverſus multos cum pertinacia quadã viceris; ut Princeps tuum cõſilium amplectatur: eo quod multi illi tunc, cum rei eventus infœlix fuerit, conjunctim te oppugnare, ac perdere conabuntur. Et quamvis conſilium ejus, qui id cum illa moderatione, de qua diximus, ſuaſit, nequaquam tanta laus atque gloria conſequatur, rebus bene ſuccedentibus, quam ſi magna contentione fuiſſet obtentum, adverſus multos contrarium ſuadentes; tamen ſi res deinde male ſuccedat, longe tutius eſt: adeoque duplici de cauſa alteri præferendũ. Primum enim in malo rei eventu, caret eo periculo, quod eos manere ſolet, qui

magna cōtentione ſuaſerunt. Deinde ſi Adverſario tuo conſilium, quod adverſus ſententiam tuam moderate propoſitam, evicit, infortunate ſuccedat: non exigua laus ad te, atque gloria redundabit, ob conſilium bonum, quod repudiatum ſit, non ſine magno malo Reip. Nam etſi bonus civis ex publico malo laudem quærere non debeat: neque ea, quę ſponte inde evenit, magnopere gaudere: tamen cum res jam facta eſt, ſatius eſt approbari conſilium tuum etiam ab hoſtibus tuis, quam te ob idipſum periclitari. Aliter igitur agendum non cenſeo, nec Principum, nec Rerumpub. conſiliariis, in hujuſmodi arduis rebus, quam ut cum moderatione quadam conſulant. Tacere enim omnino, quæ facienda cenſes: nequaquam decet. Nam id non pertinet ad promovendam utilitatem publicam: Deinde non poteſt etiam ille periculo carere, qui ea ſilentio premit, quæ utilia fore judicabat. Nam ſuſpectus propediem reddetur, perindeque illi poterit evenire, ut Persei, Macedonum Regis, conſiliario. Nam cum is à P. Æmilio victus, ex prælio fuga ſaluti ſuæ conſuleret, & ex amicis conſiliariisq; inter fugiendū, quidam illi objiceret errores, propter quos in tantum periculum incidiſſet: Rex ægre ferens, nimis tarde hæc ſibi jam patefieri, atque objici: conſiliarium illum gladio confecit. Ita non immerito pœnas luit, conſilii non exhibiti ſuo tempore: quod ſi prius cum prodeſſe poterat, ea qua decebat moderatione propoſuiſſet

Livius li. 24.

ſet, ſibi ſimul, atque Regi ſuo profuiſſet, & periculum iſtud evitaſſet.

CAPUT XXXVI.

Quibus de cauſis Galli in primo conflictu feroces eſſe putentur? Paulo poſt puſillanimes timidiq; videantur?

FEROCITAS Galli ejus, qui in Pontem Anienis fortiſſimũ quenq; Romanorum provocabat ad ſingulare certamen, & paulo poſt à T. Manlio Torquato interfectus fuit, admonet me hoc loco, ut expendamus id, quod à T. Livio aliquoties pronuntiatur: Gallos in primo congreſſu ferociſſimos eſſe: paulo poſt timidos puſillanimeſque fieri. Qua de re multi differentes pronuntiant tandem hujus rei cauſam, in ipſorum peculiari quodam affectu naturæ conſiſtere. Ego vero facile confiteor, hanc eorum naturam eſſe: ſed idem contendo, eam poſſe emendari, ita ut quæ ferocitas à pugnæ initio apparet, eadem uſq; ad exitum perduret. Cujus rei demonſtrationem hinc exordior: quod triplex omnino ſit exercituum diſcrimen. Quidam enim exercitus audaciam ferociamque conjunctam habent, cum ordine & diſciplina militari: ex qua diſciplina militari & ordine, videntur ferocitas & audacia ortæ. Ac tales erant Exercitus Romanorum, vt ex omnibus hiſtoriis facile conſtat, in quibus, per longã rerum experientiam, ſingularis diſciplina introducta cernebatur. Nil in iis niſi certo *Livius lib. 7.*

ordine, & Imperatorum juſſu fiebat: non edebant, non emebant, non dormiebant, niſi certo quodam ordine, & interveniente Conſulis decreto. Hi ſoli ergo Romanorum exercitus, qui virtute ſua totum prope orbem ſubjugarunt, nobis ad imitandum exemplo eſſe debent. Qui aliter agunt, male faciunt: & quanvis præclari quippiam aliquando patrent: id tamen non tam virtuti illorum, quam fortunæ tribuendum eſt. Sed ubi audacia ferocitaſq; cum ordine & diſciplina militari conjunctæ ſunt: durat exercitus robur uſque ad extremum: animi militum eriguntur, & victoriæ ſpe confirmantur, perſiſtuntque tandiu, quandiu ordines aciesq; conſervantur. In quibus exercitibus autem audacia & ferocitas militum ineſt, ſine ordine & diſciplina militari: quales tunc erant exercitus Gallorum: in iis contrarium accidit. Nam ſi non vincant primo impetu, ſenſim deficiunt, eo quod non fulciantur virtute quadam ordinata, cui poſſint eorum animi inſiſtere, & certam victoriæ ſpem concipere. At Romani, diſciplinæ militari & ordini inſiſtentes, de victoria non dubitabant, & eadem virtute à principio ad finem uſq; dimicabant: & armorum uſu magis ad pugnandum accendebantur. Tertium Genus eſt eorum exercituum, in quibus nec audacia ulla militibus natura ineſt, nec ordo, nec diſciplina militaris: quales ſunt hiſce temporibus exercitus noſtri in Italia, plane inutiles. Ut ſi illis fortuna non obiiciat ho-

ſtem

ſtem ſponte fugientem, nunquam ſint potituri victoria: quam quidem rem, unuſquiſque ex iis, quæ quotidie apparent, facile cognoſcet. Sed age Livium ipſum audiamus, nobis explicantem, qualem habere oporteat diſciplinam militarem, & qualem rurſus, ceu pernicioſam evitare. Adducit is Papyrium Curſorem, qui Fabium Magiſtrum equitum his verbis reprehendit: Nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat, non edicta Imperatorum, non auſpicia obſerventur: ſine commeatu vagi milites in pacato & in hoſtico errent: immemores Sacramenti, licentia ſola, ubi velint exauctorentur: in frequentia deſerantur ſigna: neq; conveniatur ad edictum: nec diſcernatur, interdiu, noctu, æquo, iniquo loco, injuſſu Imperatoris pugnetur: non ſigna, non ordines ſerventur: latrocinii modo, cæca & fortuita, pro ſolenni & ſacrata militia fit. Hæc Livius. Nos autē ſi conſideremus noſtri temporis militiam, facile videbimus, ſit ne ut illa veterum ſolennis & ſacrata: an fortuita & cæca: Quantum item differat à militia veterum Romanorum, in qua erat virtus & ferocitas militum juſto ordine inſiſtens: vel à Gallorum, qui ſi maxime ordine & diſciplina militari carebant: tamen audaciam & robur obtinebant.

* * *

CA-

Caput XXXVII.

Antequam totius exercitus vires prælio committantur, ſintne leves illæ pugnæ ad dignoſcendam novi hoſtis naturam neceſſariæ, annon?

IN rebus humanis, ſicuti alias quoque diſſeruimus, cernere eſt mala ſæpe ita eſſe vicina bonis, ut quod bonum eſt, ſine aliquo malo aſſequi nequeas. Quod quidem ita manifeſte deprehendemus in omnibus Actionibus humanis: ut hæc ipſa cauſa ſit, cur bonum tanta cum difficultate comparetur. Et niſi inſigni aliquo proſperæ fortunæ auxilio juveris, ſine aliquo malo, bonum nequaquam aſſequi poſſis. Cujus rei memoriã revocat mihi Manlii Torquati monomachia cum Gallo: de qua Livius ita loquitur: Tanti ea dimicatio, ad univerſi belli eventum momenti fuit, ut Gallorum exercitus, relictis trepide caſtris, in Tiburtem agrum, mox in Campaniam tranſierint. Ex quibus ego concludo, Imperatori imprimis operam dandam eſſe, ne quid permittat in exercitu fieri, quod parvi momenti cum ſit, tamen poſſit magnam mutationem parere. Hujuſmodi eſt, ſi quis prælium committat, non adhibitis totis viribus: & tamen periculum ſubeat totius fortunæ belli. Id enim plane eſt temerariũ: ſicuti prius quoque docui cum de itineribus cuſtodiendis, & prohibendo tranſitu diſputavi, Sed idem ego interim non ignoro, prudenti Im-

Imperatori in id quoque eſſe incumbendum, vt cũ in novum hoſtem, qui ſit alicujus exiſtimationis, incidit : levibus prœliis prius ſuos cum hoſtibus committat, quam prælio totis viribus decertet: Idq; ob eam cauſam, ut hoſti novo quodammodo aſſueſcant, & timorem de eo conceptum deponant. Quæ res tanti momenti eſt,& uſque adeo neceſſaria,ut qui cum hoſte ignoto totis viribus decertat, antequam de eius virtute faciat periculum:in manifeſtum diſcrimen ſuum exercitum adducere videatur. Exemplo nobis ſit Valerius Corvinus, qui Senatus juſſu exercitum primus contra Samnites duxit, antequam prius unquam, alter alterius arma & vires fuiſſet expertus. Hic ergo etiam Romanos cum Samnitibus levibus præliis commiſit, priuſquam ad pugnam veniret, ut Saluſtius inquit, ne eos novum bellum, ne novus hoſtis terreret. Sed eadem hæc res dubia exiſtit, & multis obnoxia periculis : nam verendum eſt, ne ſi tui milites in levibus his præliis ſuccumbant, eorum animi metu perturbati,hoſtem vehementius formident: adeoque contrarium plane aſſequaris ejus, quod animo intendebas: Ut hic quoque bonum tam vicinum ſit malo, ut alterum pro altero apprehendere facile poſſis. Ego igitur plane cenſeo cavendum prudenti Imperatori ab omnibus, quæ poſſint militi terrorem incutere. Incipiunt autem militum animi tunc maxime timere, quam primum cernunt aliquos ex ſuis,

cæſos

eæſos eſſe. A levibus prælijs ergo quantum fieri poteſt abſtinendum eſt: nec ea, niſi commodiſſima occaſione, & propoſita certa victoriæ ſpe, admittenda. Similiter neque anguſtiæ aliquæ itinerum cuſtodiendæ iis locis, ubi omnes tuas copias habere nequeas. Nec magno conatu urbes ullæ muniendæ, præter eas, quæ amiſſæ ruinam exercitus tui minãtur: & ſi tales ſint muniendæ, ita fuerint idipſum inſtituendum, ut adverſus hoſtem, qui te illinc expellere & expugnare volet, omnes tuas vires opponere queas. Cæterasque urbes ſine præſidio ſatius fuerit relinquere: dum primarias aliquas recte munire poſſis. Nam etſi amittas aliquam à te deſertam: exercitus autem integer ſit: tamen nec exiſtimationem, nec victoriæ ſpem amittis. Sed ſi quæ tibi ab hoſtibus occupetur, quam defendebas, aut quam defenſuram te omnes putabant: tum vero de tua exiſtimatione multum decedit: ita quidem, ut re parvi momenti, totius belli eventum in diſcrimen adducere queas, ſicuti Gallis hoc certamine accidit. Philippus Macedo, Perſei Pater, Vir magni nominis & rei militaris peritiſſimus, cum à Populo Romano peteretur bello, plurima loca ſuæ ditioni ſubdita deſeruit & devaſtavit, eo quod exiſtimaret, ea à ſe defendi non poſſe. Satius enim eſſe putabat, & ad cõſervandam nominis ſui exiſtimationem utilius: ſi pateretur ea loca, tanquam à ſe neglecta occupari, quam ſi illorum defenſionem fruſtra tentaſſet.

ſet. Romani quoque, rebus poſt cladem Cannenſem valde afflictis, multis ſuorum ſubſidia negarunt: liberumque illis permiſerunt, eo quo poſſent modo, ſeſe defendere. Eſtque hæc conditio longe melior, quam ſuſcipere defendenda, ea quæ noſtris viribus ſuperiora ſunt: quod illo modo, tantum jactura fiet ſociorum & amicorum: ſin defendere conemur, quæ defendi à nobis non poſſunt: & ſociorum & copiarum viriumque jacturam facere oporteat. Ad levia prælia ergo redeuntes, dicimus, ſi quando ea ad novi hoſtis naturam cognoſcendam, neceſſario requirantur: debere prudentem Imperatorem, obſervare occaſiones, & non niſi commodiſſimas captare, in quibus certa ſpes ſit victoriæ. Qua in re Marius nobis exemplo eſſe poterit, qui adverſus Cimbros, homines ferociſſimos, qui in Italiam incurſiones faciebant, exercitum ducens: vidit ſuum militem Cimbrorum ferocitatem & multitudinem formidare, eo maxime, quod prius alter Romanorum exercitus, ab iis fractus fuiſſet. Itaq; neceſſum ſibi eſſe duxit, antequam prælio cum iis totis viribus decertaret, tentare quippiam, ex quo ſperaret, ſuos illo metu liberatos iri, & confidentius poſtmodum congreſſuros. In quem finem loca quædam munita occupavit aliquoties, per quæ, & juxta quę Cimbris tranſeundum foret: ut nimirum cum Romani illos proprius oculis intuerentur, & multitudinem inordinatam, & nequaquam convenientibus

armis

armis inſtructam eſſe cernerent: concepto metu liberarentur, & avidi pugnæ fierent. Quod quidem Marii exemplum, perſæpe imitari convenit, ne in ea pericula, de quibus prius dictum eſt, incidamus: & ne nobis contingat idem quod de Gallis dictum eſt: qui ob rem parvi ponderis, trepidi in Tyburtem agrum, & in Campaniam tranſierunt. Sed quia Valerii Corvini jam fecimus mentionem, idcirco ex ipſius ſententia nunc diſſeremus, de modo eligendi Imperatoris.

Caput XXXVIII.

Qua ratione eligendus ſit Imperator talis cui miles confidere poſſit?

VALERIUS Corvinus, ſicuti prius monſtravimus, contra Samnites, novos populi Romani hoſtes, exercitum eduxerat. Utque animos militum ſuorum contra eos confirmaret: non tantum cum iis, levibus præliis decertandum putavit, antequam ad pugnam cum toto exercitu accederet, ſed in concionem etiam prodiens, vehementer hortatus eſt ſuos, ut contemnerent hoſtem, propriæ vero virtuti cum exercitus, tum ipſiuſmet Imperatoris confiderent. Quo loco obſervare licet, illius Oratione, quæ apud Livium extat, Imperatorem ſemper eligendum eſſe talem, cui miles confidere poſſit. Inducit enim Livius Corvinum, ſic inter cætera loquentem: Tum etiam intueri, cujus ductu auſpicioque ineundæ pugna

gna ſit. Utrum qui audiendus, duntaxat magnificus adhortator ſit, verbis tantum ferox, operum militarium expers. An qui ipſe tela tractare, præcedere ante ſigna, verſari media in mole pugnæ ſciat. Facta mea, non dicta vos milites ſequi volo: nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam à me petere: qui hac dextra mihi tres Conſulatus, ſummamque laudem peperi. Hæc Livius. Nos vero ex hiſce facile colligimus, qua ratione ad Imperatoris militaris officium gradumque conſcendere oporteat: Et illos, qui ad hunc gradum alia ratione evehuntur, ſive id fiat ambitione: ſive caſu & fortuna: temporis ſucceſſu re ipſa percepturos, ſe hoc ipſo plus oneris, dedecoriſque, quam honoris, laudis ac gloriæ conſequutos: Neque enim honorum gradus, homines ineptos illuſtrant: ſed ipſi ab excellentibus virtute viris illuſtrantur. Sed neque hoc fuerit ſicco pede tranſeundum, quod, ex hac diſputatione, cernimus tanti nominis Imperatorem, etiam exercitum qui ex Veteranis conſtabat, confirmare, ante congreſſum cum novo hoſte, voluiſſe: idque magno ſtudio & nova quadam ratione conatum eſſe. Quæ res ſi prudenter ab eo facta cenſetur: quanto magis incumbendum eſſe putamus ei Duci, qui exercitum ex neotericis collectum habet, ut antequam pugna decertet, ſuorum animos ad ferocitatem, propoſita certa victoriæ ſpe, excitet atque confirmet. Quod, ſi enim novus & inuſitatus hoſtis, et-

iam Veteranis militibus formidabilis eſt, tyronibus & inuſitatus & quilibet alius hoſtis, terrori eſſe poteſt. Utcunque autem hæc res habeat: non defuere tamen Imperatores, qui ſingulari rei militaris peritia, omnes has difficultates ſuperarunt, & cum exercitu novo ex tyronibus conſtante, magnas Veteranorum militum copias evicerunt: fregeruntque. Hujuſmodi fuit apud Romanos inter cęteros, Gracchus: apud Græcos Epaminondas Thebanus, de quibus alio loco diſſeruimus. Præparabant ii exercitum, aliquot menſibus, antequam pugna decertandum foret, milites turmatim fictis pręliis committentes, ſicq; eos & ad ordines conſervandos, & ad mandata Imperatoris exequẽda aſſuefaciebant: iisque poſtmodum confidenter ſerio in certamine utebantur. Nam qui rei militaris peritus eſt, ſi modo vir fortis ac ſtrenuus eſſe volet, quamdiu hominibus abundat, ſemper poteſt ſibi egregium parare exercitum. Et quicunque princeps, cum viros habeat, ſibi milites egregios parare nequit: non imbecillitati ſubditorum cauſam ejus rei tribuere debet, ſed potius ſuæ ipſius pigritiæ & ignorantiæ.

CAPUT XXXIX.

Ducem militarem debere locorum notitiam habere.

INTER cætera quæ in Duce militari requiruntur, primarium locum obtinet cognitio loco-

locorum & regionum: non generalis tantum ſed particularis & exquiſita, ſine qua vix quicquam præclari gerere poterit. Cumque omnes ſcientiæ uſum & exercitationem, ad ſui perfectionem requirant: Locorum cognitio imprimis iiſdem hiſce & nititur & perficitur. Quod, ſi autem quæras, quo uſu aut qua exercitatione, Locorum notitiam comparare potiſſime liceat? Reſpondeo, crebris Venationibus maxime aſſequuturum te eſſe, quod velis. Atque hinc factum eſſe, ut Heroes illi, qui antiquitus Mundum ſub Imperio ſuo obtinuerunt, in ſylvis enutriti eſſe perhibeantur: & perpetuis Venationibus exercitati. Nam Venationes, præter quod locorum inſignem cognitionem ſuppeditant: ſimul etiam multa oſtendunt, iis quæ in bellis eveniunt, ſimilia. Sic utique Xenophon in vita Cyri, docet, cum is adverſus Armeniæ Regem bellum ſuſcepiſſet cum ſociis diſſerere ſolitum de hac expeditione, & omnia quæ in ea expedienda forent, ad ea quæ ipſis prius in Venationibus eveniſſent, comparatione quadam retuliſſe. Eos enim qui editos colles occupabant, iis conferebat, qui retia tenderent feris: Qui in planitie excurſiones faciebant, ſimiles eſſe dicebat iis, qui feras ex ſuis ſpeluncis expellunt & in retia agunt. Quæ omnia & hiſce talia ſimilia, in eum finem adducit Xenophon, ut doceat Venationes effigiem quandam rerum bellicarum exprimere: ob quam cauſam Illuſtribus & Magnificis viris

non

non honeſtæ modo ſunt, verum etiam neceſſariæ. Imprimis ob eam cauſam, quod Locorum & Regionum, in quibus exercentur, notitia perfecta poſſit ex iis comparari. Ubi autem unius cujuſpiam Regionis ſitum, perfecte cognoviſti: ad novas regiones earumque ſitus cognoſcendos, majori compendio accedes: Quod videantur omnes Regiones habere aliquid ſimile inter ſeſe, & proportione quadam affectum: ita ut uno cognito, poſſit ad alterius notitiam unuſquiſque poſtea commodius accere. Sed antequam unius alicujus regionis ſitum perfecte ſis aſſequutus, ſi novas regiones ingrediaris: difficulter inveſtigabis cognoſceſque earum ſitus. Cum econtra, ex perfecta unius notitia, facile ſit percunctando, ſpectando & aliis infinitis modis perquirendo, cognoſcere per comparationem, in regione ignota, quonam, exempli gratia, hæc vallis ſeſe exporrigat? Unde hujus montis radices incipiant? quouſque hæc planities ſeſe extendat? & cætera hiſce ſimilia obſervare. Hoc autem ita ſeſe habere intelligemus facile, ſi Livium audiamus: qui Publium Decium tribunum militum, in exercitu Cornelii Conſulis, adverſus Samnites hoc modo introducit Conſulem ipſum alloquentem, poſtquam nimirum Romanorum exercitus in Vallem quandam incidiſſent, in qua à Samnitibus claudi potuiſſent: Vides tu Aule Corneli (inquit Decius) cacumen illud ſupra hoſtem? Arx illa eſt ſpei ſalutisq; noſtræ ſi eam

ſi eam (quoniam cæci reliquere Samnites) impigre capimus. Nam ut paulo ante loquitur Livius Publius Decius tribunus militũ, unum editum in ſaltu collem, imminentem hoſtium caſtris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilẽ conſpexerat. In quem, cum à conſule, cum tribus millibus expeditorum miſſus fuit, reliquum Romanorum exercitum conſervavit. Et cum inde, conſervandi ſui cauſa, proxima nocte diſceſſurus eſſet Decius, tum ſuos iterum hoc modo alloquitur: Ite mecum, dum lucis aliquid ſupereſt, ut quibus locis hoſtes præſidia ponant, qua pateat hinc exitus, exploremus. Hæc omnia ſagulo militari amictus, ne ducem circuire hoſtes notarent, perluſtravit. Hæc Livius. Nos vero, ſi hæc ejus verba diligenter expendamus, cognoſcemus quam neceſſaria ſit Imperatori, perfecta ſitus locorum notitia. Nam ni Decius tali notitia imbutus fuiſſet, haudquaquam illum è longinquo proſpicere potuiſſet, & proſpectum dijudicare, eſſet ne acceſſibilis an non? Et cum illum occupatum tenuiſſet eoque exercitum conſervaſſet: nequaquam ſine ſingulari cognitione ſitus locorum, vias proſpicere, & obſervare itinera, per quę ad conſulem redeundum foret, ſciviſſet.

Caput XL.

In negotiis bellicis, magna cum gloria, poſſe dolum fraudemque uſurpari.

Quamvis in cæteris actionibus omnibus, deteſtabilis ſit uſus fraudis: tamen in bello gerendo, dolo quis ſumma cum laude uti poterit: nec minus glorioſum eſt, hoſtem dolo, atque viribus & robore ſuperare. Cui rei atteſtantur quicunque ſummorum Imperatorum, & cæterorum illuſtrium virorum, ducum maxime militarium vitas hiſtoria comprehenderunt. Nam laudant eos ob hujuſmodi ſtratagemata, quæ dolo nituntur: & inter cæteros Annibalem maxime, qui in iis excogitandis ſolertiſſimus fuit. Cujus exempla, cum plurima paſſim extent: non volo hic in iis recitandis immorari. Hoc unum ſilentio præterire nolo: quod ea fraus, quæ fit in re militari, fidem frangendo, pacta non conſervando: nequaquam glorioſa ſit. Nam etſi per hanc quandoque imperium comparare poſſis, ut ante diſſeruimus: aut laudem certe gloriamque ex hac nunquam acquires. De ea fraude doloque loquor, quæ in ſtratagematibus conſiſtit, qua hoſtem, qui alias tibi minime confidit, decipere deceptumque vincere potes: Hujuſmodi fuit illud Annibalis ſtratagema, quo ad Lacum Peruſinum fugam ſimulavit, ut Romanum conſulem & exercitum in anguſtias locorum conjiceret. Et id quo adverſus Fabium Maximum uſus eſt, ut in tu-

in tutiorem locum ſe ſuoſque recipere poſſet: quando faces & ſarmenta boum cornibus alligata noctu accendit, & armentum in ea loca egit, in quæ cupiebat hoſtem ſeſe convertere. Quibus ſimile fuit illud Pontii apud Samnites per quod Romanorum exercitum in Caudinas furcas impulit. Nam is, cum in ſaltu Caudinarum furcularum, copias ſuas occultaſſet: milites quoſdam habitu paſtorali, qui armenta per planitiem agerent, dimiſit: qui à Romanis comprehenſi, & interrogati de loco ubi Samnites forent? reſponderunt omnes, ut in mandatis à Pontio habebant, Samnites Nuceriam obſidere. Quod quidem, cum Romani propter conſenſum omnium credidiſſent, iter per Caudinas furculas, ut Nucerinis ſubſidium ferrent, ſuſceperunt. In eas autem cum ſemel fuiſſent ingreſſi: deprehenderunt ſe undique à Samnitibus ſeptos eſſe. Potuiſſetque hæc victoria fraude comparata, Pontio magnam gloriam parere, ſi ea uti potuiſſet, & Patris ſui conſiliis obtemperare. Qui ſuadebat, aut omnes Romanos ſine ulla ignominia, liberali animo conſervandos: aut omnes ad unum tollendos: mediam autem viam, quæ neq; amicos parat, neque inimicos tollit, nequaquam ingrediendam.

CAPUT XLI.

Patriam ſemper defendendam eſſe, ſive id fiat honeſte, ſive fiat cum ignominia aliqua.

CLAUSI erant Conſules, cum exercitibus Romanorum: intra ſaltus Caudinos, & à Samnitibus obſeſſi. His cum Samnites iniquiſſimas conditiones pacis proponerent & maxime ignominioſas: nempe quod omnes ſub jugum mittere, & inermes Romam remittere vellent: Conſules dubii, totusque exercitus de eo, quod factu opus eſſet, ſollicitus ac prope attonitus erat. Itaque in tanta rerum difficultate, & cum omnium animi territi eſſent: Lucius Lentulus unus ex Legatis, magno animo ſuaſit, nullas conditiones rejiciendas, dummodo Patria conſervari poſſet. Et cum tota res Romana ab hujus exercitus, qui tum obſeſſus eſſet, ſalute penderet: eum ipſum quacunque tandem ratione conſervandum eſſe aſſerebat. Patriam enim defendi oportere, ſive id fiat cum honore & gloria, ſive etiam cum ignominia. Hic vero, ſi conſervaretur iſte exercitus, fore ut Roma ſuo tempore hanc ignominiam aboleret: rebus præclare geſtis. Quod ſi idem interiret, eoque ſingulare ſpecimen virtutis ederet: Romam tamen cum ipſo perituram, & amiſſam iri patriæ libertatem. Cujus conſilium cæteri ſecuti ſunt: ſimulque nobis occaſionem dederunt: obſervandi quod in Republica cujuſque civis, qui Reipublicæ bene conſultum cupit, officium ſit? Nempe, ut ſpectet ad conſervandam Patriæ libertatem: de qua cum agitur, nihil eſſe debet, quod animos noſtros in aliam ſententiam pertrahere queat:

neque

neq; ab hoc ſcopo avertere quenquam debet, juſti, injuſti, crudelitatis aut miſericordiæ, non denique laudis aut ignominiæ nota. Galli certe videntur obtinere aliquid, quod ad præſens inſtitutum faciat, in defendenda Regis Majeſtate & Regni honore. Neque enim ejus vocem ferre ullo modo poſſunt, qui vel de Rege vel de Regno ignominioſi quicquam pronuntiaverit. Sed quacunque tandem fortuna Rex utatur: quocunq; modo deliberet: quicquid agat aut patiatur: hæc omnia Regia eſſe pronunciant.

CAPUT XLII.

Quæ coactus promiſiſti: non neceſſe eſt ut ſerves.

POSTQUAM Romam reverſi ſunt Conſules cum exercitu, ex Caudina illa clade, inermes & ignominia affecti: primus in Senatu Conſul S. Poſthumius, ſuaſit non ſervandam eſſe pacem illam tam turpem cum Samnitibus factam: Se enim & cæteros, qui hujus fœderis una ſecum autores fuiſſent, iis pactis & conditionibus teneri. Populum vero Romanum nequaquam. Poſſe autem populum Romanum iis pactis plane liberari, ſi ſeſe cæterosque, qui una ſecum, id fœdus feciſſent cum Samnitibus: captivos in Samnium mitterent, eosque hoſtibus traderent. Tanta autem contentione in ſenatu defendit hanc ſententiam Cõſul: ut patres illi aſſenſerint; & pinde ipſum cæ-

teroſque hujus pacis autores, captivos in Samnium miſerunt: ſimulque Samnitibus indicarunt, ſe tradendo pacis ignominioſę autores, iis pactis liberos eſſe, neque amplius teneri. Poſthumo Conſuli, ea in re, fortuna tam proſpera fuit: ut Samnites eum retinere noluerint. Itaque Romam iterum reverſus, majore in autoritate fuit ob rem ad Caudium male geſtam: quam Pontius apud Samnites ob partam victoriam. Hic autem duo ſunt, quæ imprimis obſervatione digna cenſeo. Unum eſt, quod laudem & gloriam ex qualibet actione comparare poſſis. Victoria communiter laudem, & gloriam apud omnes parat. Econtra autem, ſi ipſe victus ſis: iterum laude tua non carebis, ſi monſtres, quod accidit infortunium, non ex tuâ culpa accidiſſe: aut ſi acceptum damnum, aliqua re præclare geſta, iterum compenſaveris. Alterum, quod ſi quæ per vim promiſſa non obſervaveris: id ſine dedecore facere queas. Quæcunque enim promiſſa publico nomine per vim extorta: ea omnia, ubi ceſſaverit vis illa quæ prius cogebat, irrita fieri ſolent, & quidem ſine ignominia ejus, qui non ſervat, quæ per vim coactus promiſerat. Hujuſmodi rerum exemplorumq; plenæ ſunt Hiſtoriæ: & in quotidiano rerum uſu alia infinita occurrunt quotidie. Cernimus enim inter viros principes nullos eſſe, qui ſervent ea, quæ per vim coacti promiſerunt, poſtquam deſiit vis illa quæ coegit. Imo neque reliqua promiſſa ſervant, quando

cauſa

cauſa, quæ eos promittere fecit, non amplius urget. Quæ quidem res, ſitne in principe digna laude, an non? hoc loco non amplius diſquiremus: præſertim cum in tractatu de Principis inſtitutione de hoc genere Argumenti copioſe diſputaverimus.

CAPUT XLIII.

Eos qui in eadem regione naſcuntur, ſemper retinere aliquid, naturæ ejus regionis cognatum & familiare.

VETUS dictum eſt, quod ut ſapientiſſime pronuntiatur: ita diligenter obſervari debet: Res futuras ex contemplatione præteritarum conjici cognoſcique poſſe. Quæcunque enim per univerſum orbem fiunt, habuerunt olim aliquid ſimile, quod eodem modo antiquitus, & ex iiſdem cauſis, ut hęc quæ nunc videmus, factum fuit. Ratio hujus rei hinc pendet, quod omnia iſta, quæ in diverſis temporibus ſimilia cerni dicimus: hominum opera ſunt: cumque una ſit humana natura omnibus ſeculis: neceſſe eſt, ut ſemper eaſdem habeat paſſiones & affectiones. Hoc unum intereſt, quod aliis ſeculis aliæ regiones magis abundant hominibus virtute præditis, quam aliæ: & aliis iterum aliæ: quod ipſis pro diverſo educationis modo evenit: quia ex forma educationis, prima vitæ initia ſumunt originem. Eo magis etiam videris, ex præteritis futurarum rerum eventus poſſe conjicere: quia cerni-

mus certis quibuſdam regionibus peculiares quoſdam affectus inſitos, & nunc & ſemper fere eodem modo fuiſſe. Sic avaritiam quibuſdam populis ſemper fuiſſe familiarem novimus: aliis fraudem: aliis aliam aut virtutem, aut vitium inſitum fuiſſe ſcimus. Florentiam noſtram intueamur, ejuſque res geſtas ex antiquis monumentis erutas, cum præſentibus conferamus: ſic enim deprehendemus, eam ab exterorum & barbarorum hominum avaritia, ſuperbia, ferociaque ſemper plurimum eſſe paſſam. Ecce enim, quoties Carolus VIII. Galliæ Rex, accepta à noſtris civibus pecunia, promiſit illis reſtituere arces quas tenebat Piſanas? Sed nunquam reſtituit. Omittamus hæc nimis recentia, videamus antiquiora. In bello quod geſſit noſtra Reſp. Florentina, adverſus Vicecomites Mediolani duces: cum cæteris auxiliis deſtituta foret: cogitavit de Germanorum Imperatore in Italiam evocando, ut autoritate & potentia ſua Longobardiam invaderet. Imperator eorum petitioni aſſenſit, promiſitque ſe cum magnis copiis venturum, bellum illud contra Vicecomites perfecturum, Florentiamque defenſurum, ſi illi Florentini ſolverent in ipſo expeditionis initio, centum millia aureorum nummum: & totidem ſtatim ubi Italiam fuiſſet ingreſſus. Aſſenſerunt Florentini iis cōditionibus, & ſolverunt primam pecuniæ ſummam primo, deinde etiam alteram. Sed Imperator poſtquam pecuniam recepiſſet, non ultra

Vero-

Veronam progreſſus: de reditu cogitavit, re plane infecta: hanc unam ſui reditus cauſam prætexens, quod ipſi pacta promiſſa, non fuiſſent ſervata. Florentia ergo niſi neceſſitate coacta & perturbata fuiſſet: atque ex antiquis monumentis ſi Barbararum gentium naturam indagare voluiſſet: nequaquam toties mulctata eſſet. Ita enim potuiſſet harum Gentium naturam, ſemper ſibi ſimilē deprehendere. Cujus rei exemplum, de Gallis certe valde manifeſtum legimus in hiſtoria Herruſcorum & Romanorum. Nam cum Thuſcis bellum diuturnum adverſus Romanos fuiſſet: jamque ipſi aliquoties à Romanis cæſi & in fugam converſi, agnoſcerent ſe Romanis, viribus pares nō eſſe, Gallos, qui in Ciſalpina Gallia tunc habitabant ſtipendio conduxerūt, ut conjunctis viribus ſeſe à Romanis defendere poſſent. Sed Galli tūc, pecuniam à Thuſcis quidem acceperunt: contra Romanos vero arma pro Thuſcis ferre noluerunt: ajebantq; ſe hanc pecuniam à Thuſcis accepiſſe, non ut opem ipſis ferrent: ſed tātummodo, ut ab excurſionibus in eorū agrum abſtinerent. Quo factum eſt, ut Thuſci ſimul & pecunia mulctati, & auxilio quod ſperabāt deſtituti fuerint: Nos vero ex antiquiſſima hac hiſtoria, facile conjicimus, eandem olim Thuſcis naturam fuiſſe, quæ nunc eſt, & in ipſis maxime Florentinis cernitur: eundemque exterarum gentium animum erga ipſos, jam olim fuiſſe: quem adhuc hodie experimur.

CAPUT XLIV.

Sæpe fieri, ut impetu quodam atque audacia obtineatur id, quod legitime progredienti nunquam contigiſſet.

ERANT Samnites à Romanis obſeſſi: neque aperto prælio cum iis decertare audebant, quod ſe viribus inferiores eſſe agnoſcerent. Itaque aliud conſilium ineuntes, urbibus per Samnium undique communitis, exercitum in Thuſciam, quæ populo Romano confœderata erat, duxerunt, ut præſentia ſua Thuſcos ad defectionem & ad ſumenda contra Romanos arma una ſecum impellerent: quam rem cum prius per legatos tentaſſent, impetrare nequiverant. Eo cum perveniſſent: partim, expoſitis rationibus, ob quas & ipſi contra Romanos arma ſumpſiſſent, & Thuſcos idipſum facere oporteret: quodque pax ſervientibus gravior, quam liberis bellum foret: partim exercitum præſentem eorum oculis objicientes, impetrarunt quod voluerunt. Quo loco obſervare decet: Si quis Princeps ab altero quippiam impetrare cupiat, cujus multum interſit: tunc ſæpe commodiſſimam eſſe eam occaſionem, quæ ei à quo petis, nullum deliberandi ſpatium concedit: ſed potius illi reſpondendi ſubitam neceſſitatem imponit, & præſens periculum demonſtrat, ſi negetur id quod petitur: aut etiam ſi deliberandi ſpatium petatur. Quo conſilio præclare uti potuit noſtra memoria

moria Julius Pontifex cum Gallis: & Foiſſeus Dux cum Mantuano Marchione. Julius quidem, cum Bentivolorum familiam Bononia expellere decreviſſet, & in eo inſtituto intelligeret ſibi opus eſſe, ut Veneti huic bello non ſe immiſcerent Galli autem etiam ſubſidia ſua ipſi mitterent: Cumque idipſum per legatos à ſingulis petiiſſet, & dubia variaque reſponſa ab utriſque accepiſſet, decrevit novo hoc conſilii genere, & nullum deliberandi ſpatium concedendo, utrumque in ſuam ſententiam pertrahere. Itaq; collectis tantis, quantas per id tempus potuit copiis, Bononiā verſus iter ſuſcepit; & ex itinere Venetis mandavit, ut ab armis abſtinerent: Gallo autem ut ſibi auxilia mitteret. Uterque illorum, cum præſentem neceſſitatem cerneret, certi quippiam reſpondendi, nec ullum ſupereſſe tempus deliberandi, ac metuerēt Pontificis indignationem ambo, ejus poſtulatis aſſenſerunt, & Veneti quidem abſtinuerunt ab armis, Gallus autem miſit ei ſubſidia. Foiſſeus vero Galliæ regis dux militaris, cum eſſet aliquando Bononiæ cum exercitu Gallico, & intellexiſſet Brixiam à Rege defeciſſe: ad eam recuperandam proficiſci cupiebat. Duplex autem erat via eo perveniendi. Una per ea loca, quæ Galli tenebant, longa & tædioſa. Altera multo brevior per ditionem Mantuani Marchionis, perque loca quædam paludoſa, & anguſtias arcibus communitas, in quibus Mantuanus habebat præſidia. Cum igitur Foiſ-

ſeus breviori via ingrediendum ſibi eſſe cerneret, & cuperet, Marchionem Mantuanum liberum tranſitum ſibi concedere: idipſum ab eo hoc conſilii genere impetravit. Nam movens cum exercitu, iter per eadem loca direxit, & ex itinere Mantuano mandavit, ut ſubito claves earum artium, quæ eas locorum anguſtias muniebant, ipſi mitteret. Itaque Mantuanus præſentis periculi neceſſitate coactus, cum nullum tempus deliberandi ſupereſſet: claves illi miſit, quas nunquam miſſurus fuiſſet, ſi Foiſſeus lentior tardiorque extitiſſet. Propter amicitiam nimirum, quam ſemper cum Venetis & Pontifice Romano coluerat: quodque per idem tempus filium in Pontificis poteſtate haberet. Sed ſubita neceſſitas reſpondendi, petitioni aſſentiendi, aut in præſens periculum incidendi, effecit apud eum, ut liberum iter permitteret. Eodem plane modo, quo Thuſcos præſentia Samnitum, impulit ad arma contra Romanos capienda: quæ alias nequaquam ſumpſiſſent.

Caput XLV.

Vtrum in prælio ſatius ſit, hoſtis impetum excipere, exceptumq; ſuſtinere & oppugnare: an vero hoſtem ipſum cum impetu invadere.

Cum Decius & Fabius Conſules, cum binis Romanorum exercitibus Samnites Thuſcosque bello petiiſſent: jamq; prælio decertandum utiq; eſſet: memorabile & dignum obſervatione fuit, quomodo quiſq; ex conſulibus,

bus,hoſtem invadendum putaverit? & quis agendi modus præſtantior habendus? Decius in hoſtem impetum fecit ſummis viribus: Fabius autem ipſe non invaſit hoſtem, ſed impetum facientem excepit ſuſtinuitque. Exiſtimavit enim ſatius eſſe, in primo conflictu lentius agere, & impetus vehementiam eo uſque reſervare, donec hoſtis pugnando primum fervorem amiſiſſet. Atque illic cernere eſt, Fabii conſilium fœliciorem habuiſſe ſucceſſum, quam Decii. Hic enim cum in primi impetus vehementia vires prope amiſiſſet, obſervavit ſuos laſſos eſſe, & de fuga potius quam de victoria cogitare. Itaq; cum hoſtem vincendo non ſperaret gloriam ſe aſſequi poſſe, ad patris ſui imitationem ſe pro legionib. Romanorum devovit, ut quam laudem vincendo aſſequi non poſſet, morte conſequeretur. Quod Decii factum poſtquam Fabius intellexiſſet, ut non minorem laudem vivendo compararet, quam Collega morte ſua fuiſſet conſequutus: totius exercitus vires, quas eo uſque conſervaverat, excitavit & adverſus hoſtem impulit ſummo cum impetu, & præclaram inde victoriam reportavit. Ex quo videtur is modus hoſtem adoriendi, quem Fabius ſervavit, commodior tutiorque eſſe, quam ille, quem ſequutus eſt Decius.

CAPUT XLVI.

Quæ cauſa ſit: cur in una quoque urbe ſoleant uniuscujusq; familiæ mores quidam peculiares & conſuetudines longo tempore conſervari.

NON modo diverſarum urbium Regionumque diverſi ſunt hominum mores & conſuetudines: ſolentque aliæ, alios homines procreare, mollitie duritie, manſuetudine ac ferocitate differentes: ſed in eadem urbe, plerumq; familiæ etiam inveniuntur, eodem modo differentes. Cumque ubique exempla extent: ſatis manifeſte tamen idipſum in Romana hiſtoria licet contemplari: in qua urbe conſtat Manlios omnes fuiſſe ſæveros & duros homines: Publicolas benignos ac populares: Appios ambitioſos, ſuperbos & plebis adverſarios & aliarum denique familiarum alios quoſdam peculiares mores & animi affectiones extitiſſe. Quæ res certe, nō poteſt tantummodo ex temperamenti diverſitate provenire: quod id pro Matrimoniorum varietate immutare neceſſe ſit. Sed magis pendet ex diverſo educationis modo, quem habent ſingulæ familiæ. Plurimum enim intereſt, ut à teneris annis, hiſce aut illis moribus aſſueſcas: & de re quapiam bene aut male ſentias. Nam quæ in ipſa tenera ætate imprimuntur animis opiniones de quibuſque rebus, eæ ſolent ad extremam ætatem uſq; perdurare: & ex eo, quo in teneris annis imbu-

tus

tus fuerit animus, ſolent homines rerum naturas metiri. Quomodo enim alias fieri potuiſſet, ut (quod Livius teſtatur) Appii omnes eodem modo affecti, iiſdemque cupiditatibus agitati ambitioſique fuerint? Ex ultimis ejus familiæ unus fuit, qui cenſor creatus, exactis 18. menſibus, ſecundum legis præſcriptum, ſe una cum collega Magiſtratu abdicare noluit: ſed antiquam cenſoriam quandam legem proferens contendit, ſibi per legem, quinque annis licere eo Magiſtratu fungi. Et quamvis multa adverſus eum publice in concionibus dicerentur, multæ ſuper ea re orirentur ſeditiones atque tumultus, reſiſteretque ipſi & plebs, & major pars Senatus: is tamen cenſura ſe noluit abdicare. Ob quam cauſam Publius Sempronius tribunus plebis, oratione habita, demonſtravit Appiorum gentis ſuperbiam & inſolentiam, contra reliquorum civium benignitatem atque pietatem.

CAPUT XLVII.

Bonum civem debere privatarum injuriarum oblivisci, patriæ cauſa.

CUM aliquando Marius Conſul, adverſus Samnites bellum gerens, vulnus in conflictu accepiſſet, nec proinde munere ſuo fungi poſſet: Senatus ut provideret, ne exercitus aliquid ex Conſulis morbo pateretur mali, decrevit ei ſucceſſorē mittere, Papyrium Curſorem Dictatorem. Hunc ipſum autem per le-

ges

ges oportebat nominari à Fabio, qui in Thuſcia exercitui præerat: cumque Senatus cognoſceret, quæ inimicitiæ inter Fabium & Papyrium intercederent, metuebat ne Fabius hunc Dictatorem deſignaturus non eſſet: itaque per legatos Fabium rogavit, ut poſtpoſitis injuriis privatis, Patriæ cauſa hunc Dictatorem deſignare vellet. Cui Senatus petitioni Fabius, permotus patriæ amore, aſſenſit: quanvis, ad multa interrogata tacendo, & aliis inſuper ſignis manifeſte declararet, diſplicere, odioſamque ſibi eſſe hujus Dictatoris electionem. Atque hinc exemplum ſibi ſumere debent ad imitandum, omnes qui boni cives eſſe cupiunt, ut contemptis privatis inimicitiis, publici boni rationem potiſſimum habeant.

CAPUT XLVIII.

Cum hoſtem cernimus aliquid agere, quod plane videatur imprudenter actum, & abhorrere à ratione: tunc ſuſpicari debemus, dolum aliquem ſubeſſe.

IN bello adverſus Samnites, cum ex Thuſcia Conſul, ceremoniarum quarundam cauſa Romam profectus, Fulvium legatum interim exercitui præfeciſſet: Thuſci ut Romanos dolo adorirentur, inſidias illis ſtruxerunt non procul ab illorum caſtris: utque Romanos in ipſas inſidias pellicerent: dimiſerunt mili-

tes

tes quoſdam, qui habitu paſtorali armentum paſcerent in ipſorum conſpectu: videlicet ut prædæ cupiditate irretiti Romani, prodirent & ita inciderent in inſidias. Sed legatus, hanc temeritatem primum admiratus: deinde cœpit cogitare dolum ſubeſſe: quem poſtquam ſingulari induſtria inveſtigaviſſet: irrita fuerunt Thuſcorum fraudulenta conſilia. Ex qua re, occaſionem ſumere debet prudens Imperator, cogitandi ea, quæ ab hoſte quandoque imprudenter facta videntur, perſæpe dolum fraudemque ſub ſe continere: eo quod rationi conſentaneum non ſit, tam ſtolidum eſſe hoſtem, ut tale quiddam faciat, ſine occulta quadam ac fraudulenta cauſa. Quod etſi ita ſit, & cogitari facile queat: tanta ſolet tamen eſſe cupiditas vincendi, ut ea tantum quæ ante oculos occurrunt, & pro nobis facere videntur, ſpectemus, de occultis eorum cauſis nequaquam cogitemus. Galli certe, cum ad Alliam Romanos prælio viciſſent: & ad urbem accedentes, inveniſſent portas apertas & ſine cuſtodibus: toto eo die, & insuper nocte ſequenti ingredi noluerunt, metu inſidiarum: quod nunquam exiſtimaſſent Romanorum animos tam viles, aut uſque adeo metu perculſos, ut patriam miſerando ſpectaculo deſererent. Sed anno Salutis noſtræ 1508. cum Florentini Piſanam urbem obſediſſent, captivum tenebant Alphonſum Mutolum Piſanum: qui promiſit ſe effecturum, ſi eum vinculis

culis ſolverent dimitterentque, ut una ex portis Piſanæ urbis ipſis traderetur. Is dimiſſus, ſæpe una cum legatis Piſanorum ad Florentinos redibat, tanquā tractaturus de modo, quo portam tradere ipſis vellet, & remotis cæteris Piſanis, cum quibus veniebat, clam cum Florentinis de hoc conſilio loquebatur. Quia igitur non clam ad Florentinos, ſed aperte una cum Piſanorum legatis veniebat: conjiciendum erat Florentinis, non habendam eſſe fidem Alphonſi promiſſis. Sed obtinendæ urbis cupiditas tantopere Florentinorum animos occæcavit, ut Alphonſi mandata ſequuti, ad Lucenſem portam, tanquam eam apertam accepturi, acceſſerint: ibique per inſidias cæſi, magnam cladem acceperint, & primarios ſuos duces militares amiſerint. Quę omnia ipſis, duplici Alphonſi fraude, acciderunt.

CAPUT XLIX.

Quæ Reſpublica libertatem tueri vult, ſubinde indiget novis inſtitutis: & qua de cauſa Fabius Maximus id nomen obtinuerit.

ACCIDIT neceſſitate quadam naturæ ſic uti ante quoque monuimus, ut in magna urbe ſubinde novi quippiam eveniat, cui tempeſtive occurrendum medendumque ſit, ne civitas corrumpatur. Et quanto majora hæc Acciden

cidentia fuerint: tanto magis exquiſito egent remedio. Romæ vero imprimis hujuſmodi extiterunt motus multi, novi, inopinati & quandoque planè terribiles. Qualis inter cæteros ille fuit, cum viſæ ſunt matronæ omnes propemodum in Maritos conjuraſſe, & plurimæ jam ſuos veneno ſuſtulerant. Plures venenum coctum paratumque habuerant. Quam ſcelerata aũt fuit Bacchanalium illa conjuratio Baccharumque Sacra. Quę bello Macedonico detecta ſunt? Quibus multa hominum utriusque ſexus millia ſeſe polluerant, & niſi in tempore remedium fuiſſet adhibitum: potuiſſet Reipublicæ perniciem afferre. Quo loco etiam admirari licet, quanta ejus urbis, in puniendis ſceleratis hominibus fortitudo, ſæveritas, ac Magnanimitas fuerit, ex quo Reipublicæ potentia, ac virtus emicuit: tanta ſcilicet, ut quandoque integram legionem mortis pœna ſupplicioque afficere auderet: aliquando civitatem quampiam totam evertere: nonnunquam octo aut decem millia in exilium mittere, iisque graves inſuper exilii conditiones injungere: ſicuti iis accidit: qui infœliciter ad Cãnas pugnaſſent: quos populus Romanus in Siciliam relegavit, vetuitque ne urbem quampiam ingrederentur: ſed morarentur in agris. Præ cæteris vero omnibus terribilis horrendaq; fuit pœna, qua de integris quandoque exercitibus, decimum quemq; ad ſupplicium ſorte poſcebant:

Quo

Quo quidem genere ſupplicii, nullum credo inveniri magis formidabile, ad puniendam hominum multitudinem. Eo quod, ſi quando magna hominum multitudo vehementer deliquit, nec cognoſcatur is, qui autor cauſaque mali extitit: tunc omnes ad mortem poſcere nimium eſt, aliquos necare, & aliquos impunes dimittere, injuſtum exiſtit, ſimulque occaſio præberetur his iterum peccandi. Sed cum omnes ex æquo deliquerunt, decimum quemque ſorte ad ſupplicium poſcere: iis, quos ſors contigit, horribile & formidabile eſt. Nam cæteros quoque metus ſortis terret, & ſuadet à delictis cavendum, ne quando ipſi quoque per ſortem poſcantur. Sed Veneficas & Baccharum ſacerdotes omnes convenienti meritoque ſupplicio affecerunt. Cæterum etſi hujuſmodi motus, quales fuerunt Veneficarum & Bacchanalium, multa mala in Republica pariant: tamen Reipublicæ formam nondum tam facile poſſunt immutare: quod ſatis ſpatii detur ad eos ſedandos emendandoſque. Sed qui motus eo ſpectant, ut Reipublicæ forma mutetur: ii vero maxime ſunt periculoſi & ſubito auxilio indigentes, alioquin enim perdunt Rempublicam. Exemplo nobis ſit, quod Romæ olim accidit. Cum enim eſſet ea urbs liberalis, in largiendo jure civitatis hominibus exteris: eo tandem res devenerat, ut in tanta novorum civium copia, multitudo ſuffragio-

giorum, Imperii vim, ab antiquis civibus, ad Inquilinos transferre videretur. Quam rem animadvertens Quint. Fabius Cenſor, imminentibus periculis mature providit, & omnes hoſce novos homines in quatuor peculiares tribus digeſſit: ne in tam anguſtum ſpatium reducti, amplius Reipublicæ formam corrumpere poſſent. Quod quidem tanti mali remedium ſalutare, uſque adeo populo Romano gratum fuit, ut Maximi agnomen inde ſit conſequutus.

NICOLAUS MA-CHIOVELLUS ZOMOBIO

BONTEMONTIO, ET COſmo Rucelaio S.

HOC *munus vobis mitto, Viri Clariſſimi: quod, ſi non tantum eſt, quantum veſtra merita poſtulant: attamen tantum exiſtit, quantum à* Nicolao Machiavel*lo offerri potuit: Expreſſi enim in hoc, quicquid ſcio, & quicquid diuturna lectione & longo rerum uſu potui comparare.* Et cum *neque vos, nec quiſquam alius, à me plus requirere debeat, quam idipſum, quod poſſum & habeo: contenti hoc ipſò debetis eſſe. Poteſtis equidem de mea tenuitate conqueri, & de ingenii imbecillitate, quæ multis in rebus diſputando, intricetur & fallatur, quod etſi ita ſit: neſcio tamen an hac de cauſa, ego magis de vobis conqueri debeam, qui ſcribendi provinciam hanc, humeris meis impoſueritis,*

ritis, quam ſponte nunquam ſuſcepiſſem: an vos de me, qui veſtræ expectationi non ſatisfecerim. Accipite tamen hoc munus à me, eo animo, quo ab amicis accipere decet omnia: ita nempe, ut non tam munus ipſum ſpectetur, quam voluntas ejus qui id offert. Hac certe in re ſaltem recte videor feciſſe: quod vos ipſos elegerim, quibus hoſce labores meos, hasque diſputationes commendarem. Cum ob eam cauſam, quod ſperem, me pro acceptis beneficiis, aliquam gratitudinis ſignificationem declaraturum: tum quod recedendum eſſe putaverim, à Communi conſuetudine ſcriptorum, qui monumenta ſua, non niſi principibus viris dicare ſolent, eosq; dedicationibus iis, ambitionis & avaritiæ gratia, laudibus ad cœlum uſq; extollunt: tanquam ſi virtutibus pollerent, cum ipſos ob infinita ſcelera potius vituperare oporteret. Itaq; ne ego quoq; eodem modo errarem, ut plurimi faciunt: eos eligendos putavi patronos mearum vigiliarum, qui non ſint quidem Principes: propter virtutem inſignem tamen Principatu digni forent. Et qui, ſi nequeant me opibus honoribusq; exornare: cuperent tamen idipſum mihi ex animo

præſta-

præſtare, ſi poſſent. Non enim ex ſtatu fortunæ, metienda virtus hominum eſt: ſed ex animi dotibus & qualitate. Quarum reſpectu præſtantior haberi debet is, qui aptus eſt ad regnandum, ſi maxime careat regno: quam is qui regnat, & interim regnãdi ſit imperitus. Atque hinc etiam factum eſt: ut magis laudaretur Hieron Syracuſanus etiam tunc, cum privatam vitam ageret: quã Perſeus Macedonum Rex, eo ipſo tempore quo regnabat. Hieroni enim ut Rex eſſet, Regnum ſolummodo deerat. Sed Perſeus nil Regium habebat, præter ſolum regnum. Fruimini ergo vos laboribus hiſce meis, qualeſcunque ſint: cum ipſi eorum cauſa fueritis. Equidem ſi intellexero, hæc mea ſtudia vobis probari, dabo operã, ut quod reliquum eſt Hiſtoriæ, compleam: ſecundum quod jam dudum vobis promiſi. Valete.

* * *

FINIS.

CATA-

CATALOGVS OMNIVM CAPITVM
LIBRI PRIMI.

In quo prior numerus, numerum capitis, poſterior autem pagellæ demonſtrat.

QVALIA *ſint urbium in univerſum omnium principia, & Romæ ipſius, cujuſmodi origo extiterit. cap.1.pag.3.*
Quot ſint Reipublicæ ſpecies : & ſub qua Romana comprehenderetur.cap.2. 9.
Qui motus Romæ in cauſa fuerint, ut Tribuni plebis crearentur, utq; Reipublicæ forma perfectior eſſet.cap.3. 18
Diſcordias quæ inter plebem & Senatum Romæ fuerunt, in cauſa fuiſſe, ut ea Reſpublica libera ſimul & potens efficeretur.cap.4. 20
Vtrum libertatis cuſtodia optimatibus, an populo tutius committatur: & utrum itē majorem cauſam tumultuandi habeant ii, qui conſervare res jam ante partas cupiunt, aut qui novas acquirere vellent.cap.5. 23
Vtrum Romæ potuerit talis Reipublicæ forma inſtitui, qua diſcordiæ illæ & inimicitiæ in-

Aa ter

ter patres & plebem, tollerentur. cap.6.27
Quam neceſſum ſit, ad conſervandam Reipublicæ libertatem, ut libere poſſis aliquem accuſare. cap.7.35
Ut juſta accuſandi ratio Reipublicæ ſalutaris eſt, ita pernicioſæ ſunt calumniandi occaſiones. cap.8.39
Quam multũ interſit, in inſtituenda Republica plane nova, ut omnis potentia ab uno ſolo dependeat. cap.9.43
Ut laude digni ſunt quicunq; aut regni aut Reipublicæ alicujus juſta fundamenta ponunt: ita viciſſim vituperandos eſſe, quicunque inſtituunt tyrannidem cap.10.74
De religione Romanorum. cap.11 55
Quantum interſit ad conſervandam Rempublicam ut ratio divini cultus atque religionis habeatur: & quod ea in Italia, propter Romanam Eccleſiam, deficiente, ruina imperii ſecuta ſit. cap.12.58
Romanos perſape religionis quadam ſpecie uſos eſſe cum ad inſtituendam rempublicam tum ad ſuſcipienda bella ſedandaſq; ſeditiones atq; tumultus. cap.13.63
Romanos interpretari ſolitos auſpicia ita, ut ad illorum inſtitutum atq; voluntatem accommodarentur: quodſi quando religionem negligere cogebantur, prudenti quadam explicatione, ſe eam obſervaſſe ſimulabant. Si quis tamen illam temere contemſiſſet, eum puniebant. cap.14.66

Samni-

Samnites ad religionem ceu ad extremum remedium, rebus afflictis, confugerunt. cap.15.69

Si quis populus conſuevit ſub principis imperio vivere, non poſſe eum libertate frui, nec eam conſeruare, ſi maxime illam caſu aliquo acquireret. cap.16.72

Quam difficile ſit ut populus qui corruptos mores habeat, partam nuper libertatem conſervare poſſit. cap.17.78

In ea civitate, cujus populus corruptos mores habeat, ſi qua occaſio libertatis ſe offerat, qua ratione quis, eam vel conſervare præſentem, vel abſentem arripere atque inſtituere queat. cap. 18.82

Si principi qui excellenti animo & virtute fuit, ſuccedat is qui eo virtute inferior ſit, poſſe eum ſubſiſtere: ſed ſi huic rurſus alius ſuccedat, qui itidem parum excellens ſit, non poſſe eum conſervare imperium. cap.19.88

Quod ſi bini principes excellenti virtute continua ſerie in imperium ſuccedant, poſſe eos multa præclara facinora præſtare. In liberis quoque Repuſpublicis neceſſe eſt ad illarum fœlicitatem, augmentumque imperii, ut continua ſerie boni gubernatores ſequantur. cap.20.91

Vituperandum eſſe illum principem atque eam Rempuplicam quæ non poſſit proprio milite uti, neq; cives ad militiam idoneos habeat. cap. 21 92

Quid potiſſimum obſervandum in hiſtoria de trium Horatiorum Romanorum, & trium Curiatio-

riatiorum Albanorum conflictu. cap.22.94.

Non debere nos omnes fortunas noſtras adducere ad aliquod periculum, quod non poſſimus omnibus viribus noſtris propulſare: ob eamque cauſam perſæpe periculoſum eſſe cum anguſtiis locorum præcluſis, tranſitus exercituum impediuntur. cap.23.96.

Quæ Reſpublicæ bene inſtitutæ ſunt, eæ & bonis præmia & pœnam malefactis ſeorſim conſtituta habent, neque alterum altero compenſant. cap.24.99.

Si quis antiquam Reipublicæ formam innovare recteque informare velit, eum oportere vel umbram ſaltem antiquarum legum retinere. cap.25.101.

Si quis princeps novus aut urbem aut regionem aliquam occupet, & Reipub. formam plane novam inſtituendam eſſe. cap.26.103.

Rarum quiddam eſſe, ut homo poſſit aut omnino pravus, aut omnino bonus eſſe. cap.27.104.

Qua cauſa Romani erga ſuos cives minus ingrati quam Athenienſes erga ſuos fuerint. cap.28.106.

Vtrum populus, an principes erga ſubditos benemeritos, magis ingrati eſſe ſoleant. cap.29.108.

Qua ratione viri principes & Reſpublicæ ingratitudinis vitium evitare poſſint. Et benemeriti cives item, atque duces militares, ne ab eadem opprimantur, cavere. cap.30.113.

Romanorum exercituum duces, non vehementer puniri ſolitos, quanvis aliquando in rebus agen-

agendis capiendisq; conſiliis errarint: ne tunc quidem, quando eorum mala conſilia Reipublicæ damnum aliquod peperiſſent. cap. 31. 116.

Viros principes & Rerumpublicarum gubernatores non debere beneficia, quæ ſubditis præſtare volunt, eo uſque differre, donec videantur neceſſitate compulſi, ea præſtitiſſe. cap. 32. 119

Si quod malum domi in Republica vel adverſus Rempublicam foris vehementer auctum ſit, ſatius eſſe id ferre aliquandiu, quam in id eniti ut violenter extirpetur. cap. 33. 121.

Dictaturæ imperium Populo Romano utile atque ſalutare fuiſſe, neq; ſolere pernicioſam eſſe Reipublicæ civium potentiam, quam legitime per ſuffragia acquirant: ſed illam, quam ſponte & per ambitionem ſibi ſumunt. cap. 34. 125.

Qua de cauſa decemviratus apud Romanos publicæ libertati noxius fuerit, cum tamen publicis ſuffragiis eligeretur. cap. 35. 128.

Si qui cives ſummos magiſtratus geſſerunt, eos non debere poſtmodum aſpernari minores. cap. 36. 131.

Legem agrariam Populo Romano multas ſeditiones turbaſq; peperiſſe: ſemperq; periculoſum eſſe Reipublicæ ſi quis legem dat antiquæ conſuetudini adverſam. cap. 37. 132.

Reſpublicas debiles plerunque conſilio deſtitutas eſſe, & quæ facienda ſibi decernunt à neceſſi-

 tate

tate magis quam prudenti conſilio impelli. cap. 38. 137
Eoſdem caſus ſæpe diverſis gentibus accidere. cap. 39, 141
Quæ fuerit ratio Decemviratus Romæ? quid in eo memorabile? & quantum tale quoddam inſtitutum poſſit, cum ad opprimendam, tum ad conſervandam Rempub. cap. 40. 144
Imprudenter facere eum, qui cum eſſet humanus & humilis, ſtatim ſuperbus fit, & eum etiam, qui ſtatim ex bono crudelis fit, ſine intermediis. cap. 41. 153.
Quam facile mores hominum corrumpantur. cap. 42. 154
Eos eſſe bonos ac fidos milites: qui gloriæ ac laudis comparandæ ſtudio dimicant. cap. 43. 155
Populi multitudinem ſine ductore nil proficere, nec oportere ei minari, à quo ſis quippiam petiturus. cap. 44. 157
Mali exempli rem eſſe, ſi legislator eam quam ipſe tulit legem, non ſervet: præterea admodum periculoſum eſſe urbis moderatori, ſi antiqua odia novis injuriis ſubinde renovet. cap. 45. 158
Homines ſubinde magis magisque ambitioſos fieri, primo enim eo ſpectare: ne ab aliis opprimantur: poſtea etiam eniti, ut ipſi alios opprimere poſſint. cap. 46. 161
Quanvis populus de iis, quæ generatim diſputat, male perſæpe ratiocinetur: tamen cum ad

ad ſingulas res accedit, minus errat. cap.47.
163

Qui vult cavere, ne magiſtratus in humiles perſonas & viles conferatur: eum in id eniti debere, ut ad illum aſpirent ſimul & ſummæ nobilitatis & infimæ conditionis homines. cap.
48.170

Si urbes, quæ à prima origine liberæ fuerunt, tamen difficulter leges canſequuntur, quibus libertas earum conſervetur, ut in urbe Roma apparuit: neceſſe propemodum eſſe, ut quæ à principio aliorum imperio obnoxiæ fuere, libertatem non poſſint conſequi. cap. 49. Ibid.

Nulli magiſtratui tantam poteſtatem attribui debere, ut conſuetas Reipub. functiones ſiſtere queat. cap.50.175

Si quid in Repub. aut imperio tuo facere cogeris, ſimulandum eſſe, ſponte tua id facere te, quod neceſſitas facere cogit. cap.51.177

Eam unicam eſſe tutam rationem, reprimendæ nimiæ civis alicujus potentiæ atque inſolentiæ in Republica, ſi via illi præcludatur, ne ad eam potentiam pervenire queat. cap.52.
178

Perſæpe accidere, ut populus vana quadam ſpe deceptus, ſuam ipſius ruinam atque interitum appetat: eum enim magnis promiſſionibus facilime moveri. cap.53.182

Quanta eſſe ſoleat viri alicujus gravis autoritas in ſedandis tumultibus. cap.54.187

Facile adminiſtrari poſſe Reſpublicas in quibus mores hominum probati atque integri fuerint : neque monarchiam introduci poſſe, quando æqualitas quædam inter cives exiſtit: nec ariſtocratiam, ubi nulla eſt æqualitas. cap. 55. 189.

Magnos motus prædici ſolere, cum in urbibus, tum provinciis: idq; ſignis quibuſdam aut hominum præſagiis denunciari. cap. 56. 195.

Plebem univerſam ſimul fortem ferocemq; eſſe: ſingulos plebejos eſſe debiles & timidos. cap. 57. 197.

Populum conſtantem magis eſſe, magisque prudentem, quam principes eſſe ſoleant. cap. 58. 199.

Quibus fœderibus confidere auſis, iis ne quæ cum Republica libera, an cum principe inita fuerint. cap. 59. 207.

Ad conſulatum cæteroſque magiſtratus evehi ſolitos cives Romanos, nulla habita ratione ætatis. cap. 60. 210.

CATA-

CATALOGVS CAPITVM LIBRI II.

Prior numerus cap. Poſterior pag. oſtendit.

Virtus ne an fortuna major extiterit Romanis acquirendi tanti imperii: cap.1. pag.220

Cum quibus gentibus Romanis dimicandum fuerit, & quam obſtinate illi libertatem ſuam defenderint? quanti item libertas ſit facienda. cap.2.pag.225

Romanæ urbis magnitudo orta eſt partim ex ruina vicinarum urbium, partim quod peregrinos homines ad honorum gradus in urbe facile admiſerit. cap.3.233

Reſpublicas tribus modis ſolere imperium comparare. cap.4 236

Mutationem religionis linguarumque, diluvia item atq; peſtilentiam efficere, ut magnarum rerum memoria aboleatur. cap.5.242

Ratio progrediendi in bellis gerendis à Populo Romano uſurpata. cap.6.245

Quantum agri diſtribuere ſolerent Romani ſingulis, qui in Colonias deducebantur. cap.7. 247

Quibus de cauſis populi quidam, relicto ſolo patrio, alias regiones invadere ſoleant. cap.8.248

Quibus ex cauſis potiſſimum ſoleat inter prin-

cipes oriri bellum. cap.9.154
Pecuniam non eſſe nervum belli. cap.10.256
Non fieri prudenter ab iis, qui fœdus ineunt cum Principibus, quorum potentia minor ſit, quam eſſe putetur. cap.11.260
Cum metuis ne bello petaris, ſatius ne ſit prævenire, ita ut tu prius hoſtem adoriaris, quam ille te. cap.12.262
Ex tenui fortuna ad magnum faſtigium evehi homines ſolere, fraude magis quam per vim. cap.13.269
Multi decipiuntur, dum ſub quadam humilitatis umbra ſuperbiam evitare conantur. cap.14.272
Reſpublicas infirmas & Principes minus potentes dubios eſſe ſolere in captandis conſiliis: tardas tamen conſultationes eſſe minime ſalutares. cap.15.274
Quanta ſit diverſitas militum noſtri temporis, ab illis, qui olim militabant. cap.16.278
Quanti facere oporteat in exercitibus bellicas noſtri temporis machinas, & utrum tantam vim habeant, quantam vulgo putantur habere. cap.17.248
Cum populi Romani autoritate, tum exemplis ab antiqua diſciplina militari petitis. probari poſſe, pedites in bello pluris eſſe faciendos, quam equites. cap.18 293
Si quæ comparantur bello à Republica male inſtituta, ea potius ad interitum illius pertinere, quam ad imperii magnitudinem comparan-

parandam. cap.19.299

Neque Principes neque Reſpublicas ſine periculo uti poſſe auxiliario, ac mercenario milite. cap.20.304

Populum Romanum quadringenteſimo tandem anno, poſtquam bella gereret, ſubditis prætores mittere cœpiſſe, & campanis primum fuiſſe datum. cap.21.307

Quantum perſæpe à veritate aberrent hominum opiniones de rebus magni momenti conceptæ. cap.22.310

Populum Romanum judicando omnia extrema ſpectaſſe, non intermedia voluiſſe. cap.23.314

Arces & loca munita in genere conſiderata: plus nocere ſuis autoribus, quam prodeſſe. cap.24.320

U*rbem inteſtinis diſſidiis laborantem invadere, atque occupare velle dubium eſſe ac periculoſum conſilium.* cap.25.330

Qui contemnit ac parvi facit alios, in eorum odium incurrit, nec utilitatis quicquam ex hoc contemptu conſequitur. cap.26.333

Prudentes imperatores, & Rerumpublicarum moderatores, contenti debent eſſe victoria, non ſæviendo in victos, illius fructum perdere. cap.27.335

Quantum interſit Reipublicæ ut injuriæ puni-

antur, ſiue publice ſiue privatim illatæ fuerint. cap.28.339

Fortuna hominum animis tenebras offundit, ne vim ſuam ingruentem refringant. cap. 29. 342

Reſpublicæ ac principes potentes, amicitias non auro, ſed viribus atque virtute comparant. cap.30.347

Non credendum eſſe exulibus facile. cap. 31. 352

Quot modis Populus Romanus urbes occupare conſueviſſet. cap.32.354

Populus Romanus Imperatoribus in bellum proficiſcentibus liberam adminiſtrandi belli poteſtatem faciebat. cap.33.359

CATA-

CATALOGVS CAPITVM LIBRI III.

Prior numerus cap. poſterior pag. oſtendit.

QVI cupit vel Rempublicam vel ſectam ſuam diuturnam eſſe, eam ſæpe corrigere debet, & veluti ad prima ſua principia revocare. cap.1.pag.362.

Sapientis eſſe nonnunquam ſimulare ſtultitiam. cap.2.369.

Ad conſervandam libertatem nuper partam, neceſſarium eſſe, ut Bruti filii tollantur. cap 3.372.

Princeps in parto nuper imperio tutus eſſe non poteſt, quandiu illi vivunt, quos eo imperio ſpoliavit. cap.4.374.

Ex quibus cauſis regnum hæreditario jure partum amitti queat. cap.5.376.

De conjurationibus. cap.6.378

Quæ ratio ſit quod Reipublicæ forma quandoque ſine ſanguine, quandoq; magnis cædibus mutetur: ſive à libertate ad ſervitutem, ſive ab hac ad illam tranſitus fiat. cap.7.411

Qui vult mutare formam Reipublicæ, rationem habere debet ipſius ſubjecti. cap.8.412

Ad res gerendas ſemper temporum occaſiones expectare intueriq; oportere. cap.9.416

Prælium ab Imperatore evitari nō poſſe, cum hoſtis dimicare omnibus modis cogatur. cap.10.420

Qui adverſus multos bellum gerit, eos ſuperare poteſt, quamvis viribus inferior ſit, ſi modo ſuſtinere queat primum impetum. cap. 11. 425

Prudentem Imperatorem operam dare debere, ut ſuis militibus pugnandi neceſſitatem imponat: hoſtibus vero omnem pugnæ neceſſitatem demat. cap. 12. 429

U*trum plus præſtare poſſit Imperator egregius cum exercitu infirmo, an vero egregius exercitus ſub imperito ineptoq; duce. cap. 13. 434*

Quantum poſſint inter dimicandum aut ſtratagemata, aut alias voces aliquæ præter ſpem emiſſæ. cap. 14. 437

U*nicum debere exercitui imperatorem præfici, non plures. cap 15. 441*

Veram virtutem in ſummis difficultatibus tantum apparere: cum res ſecundæ ſunt, non virtutis inſitæ, ſed opum, familiarum ac gratiæ rationem haberi ſolere. cap. 16. 443

Eum civem, qui gravi injuria affectus eſt, non debere adhiberi ad magnum imperium. cap. 17. 446

Summa laude dignum eſſe illum Imperatorem, qui hoſtis ſui cogitationes conſiliaq; providere ac prænoſcere novit. cap. 18. 448

Pœnane an obſequium magis neceſſarium ſit ad regendam populi multitudinem. cap. 19. 452

Humanitatis unicum exemplum ad Faliſcos occupan-

cupandos plus potuit, quam magna vires. cap. 20 454

Unde factum ſit, ut Annibal in Italia, vitiis Scipionis virtuti contrariis, idem præſtiterit, atq; Scipio in Hiſpania. cap. 21. 456

Manlii Torquati duritiem, & humanitatem Valerii Corvini, eandem utriq; gloriam peperiſſe. cap. 22. 460

Quibus de cauſis Furius Camillus in exilium pulſus fuerit. cap. 23. 467

Roma ad ſervitutem redacta eſt, Imperiorum prorogatione. 24. 468

De Quintii Cincinati & multorum aliorum civium Romanorum paupertate. cap. 25. 471

Propter mulieres magnos ſæpe motus excitari. cap. 26. 474

Qua ratione componendæ ſint civiles diſcordiæ, falſumque eſſe quod quidam dicunt, melius ſub imperio tuo conſervari poſſe civitatem ſeditionibus laborantem quam concordem. cap. 27. 476

Obſervandas eſſe civium actiones: quandoq; enim ſub ſpecie pii alicujus officii, latere tyrannidis principium. cap. 28. 480

Populi errores plerunque à Principibus dependere. cap. 29. 483

Arcendam eſſe invidiam, ſi quis autoritate ſua in Rempublicam boni quippiam introducere cupit. Et quæ ſit ratio urbem defendendi adverſus hoſtes. cap. 30. 485

Reſpublicas potentes & viros excellentes, ſibi ſem-

pere eſſe, quacunque tandem fortuna aſpiret. cap.31.489

Quæ ratio à quibuſdam in perturbanda Republica aut pace frangenda, obſervari ſoleat. cap 32. 496

Ad victoriam ex prælio obtinendam, oportere milites audaces eſſe, & cum ſuis propriis viribus, tum Imperatoris virtuti confidentes cap. 33. 498

Quæ voces opinionesque civi cuipiam apud populum favorem conciliare ſoleant, & utrum ille, an vero Princeps honores melius diſtribuere noverit. cap.34.501

Quæ pericula iis incumbere ſoleant, qui conſilii alicujus autores ſunt, præſertim in rebus arduis atq; periculoſis. cap.35.507

Quibus de cauſis Galli in primo conflictu feroces eſſe putentur, paulo poſt puſillanimes timidiq; videantur. cap.36.511

Antequam totius exercitus vires prælio committantur, ſint ne leves illæ pugnæ ad dignoſcendam novi hoſtis naturam neceſſariæ, annon. cap.37 514

Qua ratione eligendus ſit imperator talis, cui miles confidere auſit. cap 38.581

Ducem militarem debere locorum notitiam obtinere. cap39.521

In negotiis bellicis magna cum gloria, poſſe dolum fraudemq; uſurpari. cap.40.524

Patriam ſemper defendendam eſſe, ſive id fiat honeſte, ſive fiat cum ignominia. cap.41.525

Quæ

Quæ coactus promiſiſti, non neceſſe eſt ut ſerves. cap.42 527

Eos, qui in eadem regione naſcuntur, ſemper retinere aliquid, naturæ ejus regionis familiare. cap.43.529

Sæpe fieri, ut impetu quodam, atque audacia obtineatur id, quod legitime progredienti nunquam contigiſſet. cap.44.532

Vtrum in prælio ſatius ſit hoſtis impetum excipere, exceptumq; ſuſtinere & oppugnare: an vero hoſtem ipſum cum impetu invadere. cap. 45.534

Quæ cauſa ſit, cur in unaquaq; urbe, ſoleant uniuſcujuſque familiæ mores quidam peculiares & conſuetudines longo tempore conſervari, cap.46.536

Bonum civem debere privatarum injuriarum obliviſci, patriæ cauſa. cap.47.537

Cum hoſtem cernimus aliquid agere, quod plane videatur imprudenter actum, & abhorrere à ratione: tunc ſuſpicari debemus dolum aliquem ſubeſſe. cap 48.538

Quæ Reſpub. libertatem tueri vult, ſubinde indiget novis inſtitutis: & qua de cauſa Fabius Maximus id nomen obtinuerit. cap.49.540

FINIS.